BENEDICTI PERERIJ VALENTINI, E' SOCIETATE IESU, QUINTUS...

Benito Perera, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
III
D
25
NAPOLI

Digitized by Google

III
D
25

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEDICTI PERERII VALENTINI, E SOCIETATE IESV,

QVINTVS TOMVS SELECTARVM Diſputationum in ſacram Scripturam:

Qui eſt ſecundus Tomus Diſputationum in Euangelium B. Ioannis, continens Centum quadraginta quatuor diſputationes.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVS.

LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI, PATRI CLAVDIO AQVAVIVA, PRÆPOSITO GENERALI Societatis IESV,

HORATIVS CARDON *S. P. D.*

QVOD ſepulti manes ſoluere non poſſunt, nomini tuo perſoluo, admodum Reuerende Pater. exceſſit recens è viuis Doctorum ingeniorum luctu incomparabili, Scripturæ ſacræ ſummus interpres, abditæque diuinorum librorum & abſtruſæ ſcientiæ perſcrutator & inueſtigator admirabilis BENEDICTVS PERERIVS, cuius amiſsi dicam an in beatius æuum præmiſsi? non Orbis modò caput Roma, ſed vniuerſa Italia, atque adeò Orbis ipſe Chriſtianus, incredibili deſiderio tenetur. Et quamquam meliore ſui parte, hoc eſt, ingenij monumentis etiamnum inter viuos quodam-

modò ſuperat, tamen tot eius doctiſsimis cogitationibus mortem intercurriſſe quò minus propinquam lucem viderent, ſed in ipſo quaſi extremo nixu abortirent, nimirum dolent ij quibus ſapientia non alibi quàm in ſacris paginis quærenda, cordi eſt. Nec tamen nihil eſt quod deſiderium hoc leniat. Ecce enim poſthuma viri illius immortalis proles, quæ gemellæ ſuæ, hoc eſt, priori Diſputationum in Euangelium B. Ioannis parti, adiungi cupit; ſed orba parente, parentis officium qui eam veteri more *tollat*, requirit. Patere te illum eſſe, VIR MAXIME, neque enim ad hoc officium aut affectu quiſquam promptior, aut defuncti ſenſu, qui priorem partem tuo nomini biennio pæne quàm moreretur, inſcripſit, gratior occurrit. Quid quòd ſingularis meus erga tuum vniuerſæque Societatis IESV nomen, cui tu præes, cultus aliò oculos deflectere non ſinit? Accipe ergo munus ſi tua merita reſpicis, tibi debitum; ſi pretium rei, eximium; ſi authoris dignitatem, perexcellens; ſi meum offerentis animum, maximum. Vtinam & tuo recipientis ſit gratum; futurum certè ſpero. Vale, & magno Ordini magnum decus, ac toto Orbi, longùm viue.

AVCTOR

AVCTOR OPERIS LECTORI.

ETSI *cum ſcribebamus primum Tomum ſelectarum Diſputationum in Euangelium B. Ioannis nouem prima eius capita explanantes, reliquam omnem Euangelij partem vno altero Diſputationum Tomo explicari poſſe putabamus, nobis tamen poſtea Tomum ſecundum molientibus commodius fore viſum eſt, ſi Diſputationes in id quod reſtabat huius Euangelij duos alios in Tomos diſtribuerentur. Nunc itaque ſecundus Tomus exit in lucem continens Centum quadraginta quatuor Diſputationes in eam partem Euangelij, quæ eſt à nono capite vſque ad hiſtoriam Paſsionis & Reſurrectionis Domini, quam Sanctus Ioannes vltimis quatuor capitibus enarrauit: cuius nos hiſtoriæ diligenti & copioſæ tractationi & explanationi tertium Tomum, iam magna in parte confectum, deſtinauimus. Hanc nos conſilij noſtri rationem Lectori notam eſſe voluimus.*

CLAVDIVS AQVAVIVA,
Societatis IESV *Præpoſitus Generalis.*

CVM ſecundum Tomum ſelectarum Diſputationum in Euangelia Sancti Ioannis, à P. Benedicto Pererio, noſtræ Societatis Theologo compoſitum, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita iis ad quos pertinet, videbitur. In cuius rei fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 7. Octobris 1609.

CLAVDIVS AQVAVIVA.

Facultas R. D. D. Antonij Emanuelis Chalomi huius libri imprimendi.

ANTONIVS EMANVEL CHALOMVS in præfectura Lugdunenſi Conſiliarius Regius, in primatu Franciæ Iudex, & in Archiepiſcopatu Lugdunenſi Vicarius Generalis: opus hoc à Benedicto Pererio magno ingenio, excellentique doctrina viro compoſitum, & à Theologis recognitum, vt in lucem edatur facultatem concedimus, Lugduni 30. Iulij 1607.

CHALOM.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
III
D
25
NAPOLI

Digitized by Google

III
D
25

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEDICTI PERERII VALENTINI, E SOCIETATE IESV,

QVINTVS TOMVS SELECTARVM Diſputationum in ſacram Scripturam:

Qui eſt ſecundus Tomus Diſputationum in Euangelium B. Ioannis, continens Centum quadraginta quatuor diſputationes.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVS.

LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI, PATRI CLAVDIO AQVAVIVA, PRÆPOSITO GENERALI Societatis IESV,

HORATIVS CARDON

S. P. D.

QVOD ſepulti manes ſoluere non poſſunt, nomini tuo perſoluo, admodum Reuerende Pater. exceſſit recens è viuis Doctorum ingeniorum luctu incomparabili, Scripturæ ſacræ ſummus interpres, abditæque diuinorum librorum & abſtruſæ ſcientiæ perſcrutator & inueſtigator admirabilis BENEDICTVS PERERIVS, cuius amiſsi dicam an in beatius æuum præmiſsi? non Orbis modò caput Roma, ſed vniuerſa Italia, atque adeò Orbis ipſe Chriſtianus, incredibili deſiderio tenetur. Et quamquam meliore ſui parte, hoc eſt, ingenij monumentis etiamnum inter viuos quodam-

modò ſuperat, tamen tot eius doctiſsimis cogitationibus mortem intercurriſſe quò minus propinquam lucem viderent, ſed in ipſo quaſi extremo nixu abortirent, nimirum dolent ij quibus ſapientia non alibi quàm in ſacris paginis quærenda, cordi eſt. Nec tamen nihil eſt quod deſiderium hoc leniat. Ecce enim poſthuma viri illius immortalis proles, quæ gemellæ ſuæ, hoc eſt, priori Diſputationum in Euangelium B. Ioannis parti, adiungi cupit; ſed orba parente, parentis officium qui eam veteri more *tollat*, requirit. Patere te illum eſſe, VIR MAXIME, neque enim ad hoc officium aut affectu quiſquam promptior, aut defuncti ſenſu, qui priorem partem tuo nomini biennio pæne quàm moreretur, inſcripſit, gratior occurrit. Quid quòd ſingularis meus erga tuum vniuerſæque Societatis IESV nomen, cui tu præes, cultus aliò oculos deflectere non ſinit? Accipe ergo munus ſi tua merita reſpicis, tibi debitum; ſi pretium rei, eximium; ſi authoris dignitatem, perexcellens; ſi meum offerentis animum, maximum. Vtinam & tuo recipientis ſit gratum; futurum certè ſpero. Vale, & magno Ordini magnum decus, ac toto Orbi, longùm viue.

AVCTOR

AVCTOR OPERIS LECTORI.

ETSI *cum ſcribebamus primum Tomum ſelectarum Diſputationum in Euangelium B. Ioannis nouem prima eius capita explanantes, reliquam omnem Euangelij partem vno altero Diſputationum Tomo explicari poſſe putabamus, nobis tamen poſtea Tomum ſecundum molientibus commodius fore viſum eſt, ſi Diſputationes in id quod reſtabat huius Euangelij duos alios in Tomos diſtribuerentur. Nunc itaque ſecundus Tomus exit in lucem continens Centum quadraginta quatuor Diſputationes in eam partem Euangelij, quæ eſt à nono capite vſque ad hiſtoriam Paſsionis & Reſurrectionis Domini, quam Sanctus Ioannes vltimis quatuor capitibus enarrauit: cuius nos hiſtoriæ diligenti & copioſæ tractationi & explanationi tertium Tomum, iam magna in parte confectum, deſtinauimus. Hanc nos conſilij noſtri rationem Lectori notam eſſe voluimus.*

CLAVDIVS AQVAVIVA, Societatis IESV *Præpoſitus Generalis.*

CVM ſecundum Tomum ſelectarum Diſputationum in Euangelia Sancti Ioannis, à P. Benedicto Pererio, noſtræ Societatis Theologo compoſitum, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita iis ad quos pertinet, videbitur. In cuius rei fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 7. Octobris 1609.

CLAVDIVS AQVAVIVA.

Facultas R. D. D. Antonij Emanuelis Chalomi huius libri imprimendi.

ANTONIVS EMANVEL CHALOMVS in præfectura Lugdunenſi Conſiliarius Regius, in primatu Franciæ Iudex, & in Archiepiſcopatu Lugdunenſi Vicarius Generalis: opus hoc à Benedicto Pererio magno ingenio, excellentique doctrina viro compoſitum, & à Theologis recognitum, vt in lucem edatur facultatem concedimus, Lugduni 30. Iulij 1607.

CHALOM.

SVMMA PRIVILEGII
à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege obtenti.

HENRICI IIII. Galliæ, & Nauarræ Regis Diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo Regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, ac ratione conetur librum, qui inſcribitur, *Benedicti Pererij Valentini, è Societate Jeſu Theologi, Selectarum Diſputationum Tomus ſecundus in Euangelium Sancti Joannis, Diſputationes quatuordecim ſupra ducentas complectens:* præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunenſem: aut illos, quibus ipſe conceſſerit: ſub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis, 30. die menſis Iulij 1607.

De mandato Regis,

Signatum

DE LA FON.

INDEX COPIOSVS, ET TANQVAM SYNOPSIS TOTIVS OPERIS, CENTVMQVADRAGINTAQVAtuor diſputationum quæ tractantur in hoc ſecundo Tomo; omnium etiam rerum inſigniorum quæ in ſingulis diſputationibus explicantur.

Adiectæ ſunt numerorum notæ quæ indicant numerum marginalem.

In caput decimum Euangelij Ioannis diſputationes vna & viginti.

PRIMA Diſputatio ſuper illis verbis. *Hoc prouerbium dixit eis Ieſus: illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis.* Quid ſit Prouerbium, Parabola, Allegoria, Ænigma. *Numero marginali* 1. vſque ad 4. pag. 4

II. Diſputatio.

Super illis verbis:

Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur, &c. 5. vſque ad 7. p. 7

Quomodo ſecundum Chryſoſtomum nomen oſtij hoc loco ſignificet ſacram ſcripturam: & quæ ſit communis ſententia de ſignificatione huius vocis, oſtium.

Quomodo Chriſtus cùm ſit Paſtor, dicatur eſſe oſtium; & quòd verè ſit oſtium tam reſpectu Paſtorum, quàm reſpectu ouium.

Tria fuiſſe ante Chriſti aduentum quæ ſpeciem oſtij habebant; apud Gentiles erat Religio Deorum; Apud ſapientes, Philoſophia; apud Iudæos, lex Moyſis: ſed hæc ad veram virtutē verámque fœlicitatē introducere hominem non poterant.

III. Diſputatio.

Declaratur quale oſtium ſit Chriſtus, & nouem huius oſtij proprietates exponuntur. 8. p. 9

IIII. Diſputatio.

Super illis verbis.

Ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet, à 9. vſque 12. p. 11

Quid ſit ingredi & egredi, declaratur ſecundū ſeptem interpretationes.

Explicatur etiā paſcua Chriſti quàm ſint varia, & ſalutifera, & iucunda: & de duplici genere paſcuorum, & in præſenti vita, & in futura.

V. Diſputatio.

De Oſtiario.

Super illis verbis:

*Qui intrat per oſtium, paſtor eſt ouium: huic oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt.*13.& 14. p.15

Quid nomine oſtiarij ſignificetur, quatuor ponuntur interpretationes, ſed præfertur vltima, quæ hoc refert ad Spiritum ſanctum.

Quatuor modis Spiritum ſanctum aperire oſtium Eccleſiæ paſtoribus eius.

VI. Diſputatio.

De Ouili.

Super illis verbis.

Et alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, vt fiat vnum ouile & vnus paſtor. 15. vſque 19. p.17

Sex proprietates boni ouilis.

Etiam infideles verè dici poſſe oues Chriſti triplici nomine.

Iuſtos homines qui apud Gentes fuerunt ante Chriſti aduentum, non habuiſſe vnum aliquod ouile diſtinctum ab ouili Iudæorum.

Cur Eccleſia Chriſti per omnes mũdi regiones diſperſa maximaque gentium varietate conſtans, vnum tamen dicatur ouile, quinque cauſæ redduntur.

Nomen ouilis, ſicut paulo ſupra deſcriptum eſt, Eccleſiæ triumphanti nequaquam conuenire.

VII. Diſputatio.

De Ouibus.

Super illis verbis:

*Et oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius,&c.*20. vſque 21. p.22

Duas ob cauſas nomen ouis aptiſſimè per ſimilitudinem attribui viris iuſtis & electis.

Sex eſſe proprietates ouium, quas in ſe ipſis referunt iuſti.

Cum quidam qui ſunt prædeſtinati ad vitam æternam, aliquo tempore fuerint mali & impij, quomodo appellentur oues, quæ audiunt vocem paſtoris & ſequuntur eum.

VIII. Diſputatio.

De Paſtore.

Super illis verbis:

Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & ante eas vadit. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. 22. vſque 24. p.24

Exponuntur quinque proprietates boni Paſtoris, & aliæ quinque proprietates mali Paſtoris.

Sex laudati in ſcriptura Paſtores.

Malos Paſtores ouiũ, quibus Ezechiel coloribus depinxerit.

IX. Diſputatio.

Ex quatuor proprietatibus boni Paſtoris à Domino traditis, tres hic declarantur, quæ ſunt vocare oues nominatim, & educere eas, & ante eas vadere. 25. vſque 28. p.26

Quid ſit vocare oues nominatim: & bonum Paſtorem animarum quibus rebus ſimilem eſſe oporteat bono medico corporum.

Vocare nominatim oues, quatuor denotat in bono Paſtore, quorum ſimilia in bono Paſtore animarum eſſe oportet.

Ad quas res bonus Paſtor educere debeat oues ſuas: ex quibus malis, & ad quæ & quanta bona Chriſtus eduxerit oues ſuas.

Quomodo dicatur Paſtor ante

oues ſuas ire debere, cum id contra morem & conſuetudinem Paſtorum eſſe videatur, & quot modis Chriſtus iuerit ante oues ſuas.

Ex occaſione huius loci attingitur quæſtio de reſidentia Epiſcoporum in ſuis Eccleſiis, an ea ſit iuris diuini.

X. Diſputatio.

Explicatur quarta proprietas boni Paſtoris quæ ſignificatur illis verbis: *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* 29. vſque 34. p. 29

Duobus modis fieri poſſe vt Paſtor animam ſuam ponat pro ouibus.

Septem modis Chriſtum dediſſe animam ſuam pro ouibus ſuis.

Quàm excellentis & perfectæ virtutis fuerit Chriſtum animam ſuam poſuiſſe pro ouibus, quatuor ex rebus demonſtratur.

Quid fuerit in Chriſto, quod poſuit animam eius, & iterum ſumpſit eam.

XI. Diſputatio.

De Fure.

Super illis verbis.

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro: omnes quotquot venerũt fures ſunt & latrones. 40. vſque 42. pag. 33

Duæ proprietates furis ouium.

Quid ſimilitudo furis ouium hoc loco denotet.

Quomodo intelligendum ſit alios omnes præter Chriſtum fuiſſe fures, triplex ponitur interpretatio.

XII. Diſputatio.

De mercenario & lupo.

Super illis verbis.

Mercenarius autem & qui non eſt Paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt Lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, &c. 43. vſque 46. p. 35

Quibus rebus mercenarius & ſimilis ſit, & diſſimilis bono Paſtori.

Fugere aliquando etiam bonum Paſtorem, & gregem derelinquere, ſed longè aliter quàm mercenarium.

Quomodo alij Paſtores præter Chriſtum, quorũ nõ ſunt propriæ oues non ſint mercenarij.

Cur inter animalia ouibus inimica & infeſta, Dominus in hac parabola lupum nominauerit potius quàm leonem vel vrſum.

Quid in hac parabola ſignificetur per lupum.

XIII. Diſputatio.

De feſto Encæniorũ, & de vndecim feſtis Iudæorum, & de Porticu Salomonis.

Super illis verbis.

Facta ſunt Encænia in Hieroſolymis, & hyems erat, & ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis. 48. vſq; 53. p. 39

Feſtum Encæniorum quale fuerit, cur inſtitutum, quo anni menſe agi ſolitum, cur appellatum etiam feſtum luminum.

De duodecim feſtis Iudæorum, quorum ſeptem lege Dei præſcripta fuerãt, quinque verò alia authoritate Principum & Synagogæ.

Quæ fuerit illa Porticus Salomonis, & cur appellata ſit Salomonis.

XIIII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Pater meus quod dedit mihi maius omnibus eſt. 54. vſque 56. p. 44

Exponitur duplex iſtorum verborum lectio, quarum altera eſt Latinorum codicum quam ſequuntur & in-

terpretantur Latini.altera Lectio eſt in græcis libris & apud græcos explanatores.

Declaratur, quomodo nemo rapiat oues Chriſti de manu eius, cùm nonnumquam electi & prædeſtinati excidant Dei gratia, & in peccato maneant aliquandiu.

Et hic agitur de duplici genere ouium Chriſti.

X V. Diſputatio.

Super illis verbis.

Ego & Pater vnũ ſumus. 57.vſq; 60. p.47

Fuſe oſtenditur illis Domini verbis euidenter confutari quatuor hæreſes Arrij, Sabellij, Cerinthi atque Photini, & Neſtorij.

Agitur de vocabulo, homouſion, à Patribus Concilij Niceni inſtituto & confirmato.

De vndecim rebus quę demõſtrant diuinam Chriſti excellentiam, & in ſacris litteris traduntur.

X VI. Diſputatio.

Exponuntur quatuordecim modi ſiue rationes, quibus in ſcriptura demonſtratur, Chriſtum eſſe Deum. 61. vſque 64. p.51

X VII. Diſputatio.

Quẽadmodum illam Domini ſententiam, *Ego & Pater vnũ ſumus* Arriani malè interpretati ſint, ſuamque interpretationem duabus ſcripturæ ſententiis probare voluerint: & quod nec Eraſmus nec Ioachimus Abbas rectam eius ſententiæ habuerint intelligentiam.65.vſque 67. p.54

X VIII. Diſputatio.

Refellitur Arianorũ interpretatio illorum verborum, *Ego & Pater vnum ſumus*, & quod circa iſtorũ verborũ intelligẽtiam Arriani magis cæci fuerint quàm Iudæi.68. p.56

X I X. Diſputatio.

Explicatur primum illud ſcripturæ teſtimonium quo Arriani ſuam illorum Domini verborum *Ego & Pater vnum ſumus*, interpretationem probare voluerunt.69. p.58

X X. Diſputatio.

Ad illud teſtimonium ſcripturæ, quo malè vtebatur Arriani, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua & ſanguis, & hi tres vnum ſunt*, quatuor modis reſpõdetur.70.71.p.60

An illa verba, *& hi tres vnum ſunt* ſcripta fuerint à B.Ioanne.

Quomodo illa tria Spiritus, Aqua, & Sanguis denotent tres perſonas diuinas.

X X I. Diſputatio.

Super illis verbis.

Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, Ego dixi, Dij eſtis? 73.vſque 74. p.63

Explicantur ſeptem ſignificationes illius vocis *lex* vſurpatæ in ſacra ſcriptura.

IN CAPVT XI.

X X I I. Diſputationes.

Inter miracula Domini miraculũ reſuſcitationis Lazari fuiſſe clariſſimum ob quinque cauſſas. 1.2

Sex notabiles circumſtantiæ, in miraculo reſuſcitationis Lazari.3.p.70.& ſeq.

Decem & ſeptem Diſputationes de Maria Magdalena.

Prima Diſputatio.

Exponuntur ſententiæ eorum qui putauerunt mulieres cum vnxerunt Dominum, & quæ communi vocabulo appellantur Magdalenæ, fuiſſe plures vna, & diuerſas mulieres: & ſecundum quoſdam fuiſſe duas, ſecundum alias fuiſſe tres, & ſecundum nõnullos fuiſſe quatuor diuerſas mulieres. 5. vſque 8. p.74

Commemorantur ſuper hoc ſententiæ Clementis Papæ, Origenis, Chryſoſtomi, Ambroſij, Euthymij, Theophylacti, Photij, Euſebij, Macharij, Iacobi Fabri, & Clitouæi.

II. Diſputatio.

Recenſentur authores qui putarũt vnam tantum fuiſſe Magdalenam. Ammonius, Euſebius, Auguſtinus, Gregorius, Beda, Alcuinus, Rabanus, Albertus, Rupertus, Lyranus, Caietanus, Nicolaus Papa 25. Ioannes Arboreus, Natalis Beda, B. Roffenſis, Ianſenius. 9. vſque 14. p.77

Demonſtratur, Eccleſiam Catholicam ſequi ſententiam de vnica Magdalena.

De antiqua traditione apud Maſſilienſes, & vulgo dictos Prouenzales, & de inſcriptione quæ eſt in ſepulchro B. Mariæ Magdalenæ.

III. Diſputatio.

Exponuntur & confutantur duo argumenta eorum, qui negarunt illam peccatricem quæ lacrymis lauit pedes Domini, fuiſſe Mariam ſororem Lazari. 15. vſque 17. p.81

De mulieribus nobiliſſimis, quæ ob inſignem impudicitiam fuere infames.

An Maria ſoror Lazari fuerit publica meretrix.

IV. Diſputatio.

Defenditur argumentum quo B. Auguſtinus probauit, Mariam ſororem Lazari fuiſſe illam ipſam peccatricem, quæ ſecundum Lucam lacrymis lauit, & capillis terſit, & vnguento vnxit pedes Domini. 18. vſque 21. p.84

Beatum Ioannem in ſua hiſtoria Euangelica non vti figura anticipationis, ſed exactè ſeruare ordinem temporũ & ſeriem rerum geſtarum: & de duabus cauſis, ob quas ſcriptores ſacri interdum vtantur figura anticipationis.

V. Diſputatio.

Duobus argumentis probatur Mariam ſororem Lazari non fuiſſe diuerſam mulierem ab illa peccatrice quæ ſecundum Lucam vnxit pedes Domini. 22. vſque 26. p.87

Explicatur ſententia quædam B. Hieronymi, qua ſignificatur mulieres iſtas fuiſſe diuerſas inter ſe.

Quomodo ſecundum B. Ambroſium dici poſſit iſtas mulieres & fuiſſe diuerſas, & fuiſſe eãdẽ mulierem.

VI. Diſputatio.

An Maria ſoror Lazari fuerit illa Maria Magdalena, ex qua Chriſtus ſeptem eiecit dæmonia. 27. vſque 32. p.91

Fabri facientis iſtas mulieres inter ſe diuerſas, opinio & argumenta exponuntur atque refelluntur.

Mariam ſororem Lazari & actiuam & contemplatiuam vitam exercuiſſe, demonſtratur ex ſcripturis.

Quomodo Maria ſoror Lazari fuerit mulier & Galilæa & Iudæa.

Refellitur ſententia Fabri de du-

ã 3

plici Magdalo, altero in Galilæa, & altero in Iudæa.

Quomodo Magdali oppidi poſſeſſio peruenerit ad Mariã ſororem Lazari, declaratur ex duplici antiqua traditione.

VII. Diſputatio.

An illa mulier peccatrix fuerit ea ipſa mulier, de qua Christus eiecit ſeptem dæmonia. 33. vſque 34. p.95

Exponuntur complures rationes quibus Faber probare voluit, illas fuiſſe diuerſas mulieres.

VIII. Diſputatio.

Soluuntur ſupradictæ rationes Fabri, quibus ille probare voluit, illam mulierem peccatricem, & Mariam Magdalenæ fuiſſe diuerſas mulieres. 35. vſque 39. p.97

Quando Maria Magdalenæ remiſſionem peccatorum ſuorum acceperit à Christo, & quando eam Christus à ſeptem dæmonibus liberauerit.

An mulieres illæ quæ ſequebantur Christum, eique de ſuis facultatibus miniſtrabant, fuerint in eodem contubernio & conuictu cum diſcipulis Christi.

IX. Diſputatio.

An ſeptem dæmones quibus liberata eſt Magdalena fuerint ſeptem ſpiritus maligni, à quibus corporaliter vexata fuerit; an verò nomine dæmonum figuratè ſignificata fuerint plurima & maxima vitia quibus illa mulier mancipata fuerat. 40. vſque 41. p.101

Refertur memorabilis ſententia Sereni Abbatis de tribus modis, quibus homines teneri & poſſideri à dæmone ſolent.

Ponuntur exempla nonnulla eorum, qui cum eſſent admodum iuſti & ſancti, corporaliter tamen vexati & afflictati fuerint à dæmone.

X. Diſputatio.

An Maria Marthæ ſoror, quæ ſecundum Ioannem cap.12. vnxit pedes Domini, fuerit ea ipſa mulier, quæ ſecundum Matth. capit. 26. & Marc. cap.14. vnxit caput Domini. 43. & 44. p.104

Exponitur ſententia Origenis & Chryſoſtomi & aliorum aientiũ, fuiſſe diuerſas mulieres, & pro hac ſententia ponuntur quinque argumenta.

Probabilius videtur Authori fuiſſe eandem mulierem, & eandem vnctionem quam narrant ſupradictis locis tres Euangeliſtæ, idq; probatur ab eo quinque argumentis.

XI. Diſputatio.

Soluuntur ſupradicta quinque argumenta quibus probari videbatur, vnctionem narratam à Matt. & Marco fuiſſe diuerſam ab vnctione quam ſcripſit Ioannes. 45. vſque 48. p.106

XII. Diſputatio.

An ex Euangelica hiſtoria paſſionis Domini probari queat duas fuiſſe Magdalenas. 49. vſque 51. p.110

Exponitur & diſſoluitur argumentatio Fabri, quòd fuerint duæ Magdalenæ.

Mariam Iacobi minoris & Mariam Cleophę, ſecundum Hieronymum fuiſſe eandem mulierem.

Eandem perſonam in diuerſis ſcripturæ locis ſolere diuerſis nominibus appellari, demonſtratur pluribus exemplis.

XIII. Diſputatio.

Exponuntur duo argumenta, quibus Faber ex hiſtoria Euangelica reſurrectionis Domini probare voluit, duas fuiſſe Magdalenas inter ſe diuerſas. 52. vſque 54. p.113

XIV. Diſputatio.

Soluuntur ſupradicta Fabri argumenta: demonſtratur non poſſe ex hiſtoria reſurrectionis Domini probari duas fuiſſe Magdalenas; imo fuiſſe vnicam Magdalenam præclara B. Hieronymi ſententia comprobatur. 55. vſque 57. p.115

XV. Diſputatio.

Declaratur, quomodo ſi vna fuit tantum Magdalena, & tangere Dominum prohibita ſit ſecundum Ioan. & pedes tamen Domini tenuerit ſecundum Matthæum: & quomodo ſi vna fuit mulier, & ſola iuerit ad ſepulcrum vt ſcribit Ioannes, & ſecundum Matth. cum ad Domini ſepulchrum iuerit comitata aliis mulieribus: denique ſoluitur ſecundum argumentum Fabri. 58. vſque 60. p.118

XVI. Diſputatio.

Quatuor argumentis probatur, ex hiſtoria reſurrectionis Domini demonſtrari potius vnicam fuiſſe Magdalenam, quàm fuiſſe duas. 61. vſque 65. p.120

XVII. Diſputatio.

Probatur quinq; rationibus, Magdalenam, quæ ſecundum Ioannem, plorabat ad ſepulchrum Domini, fuiſſe Mariam ſororem Marthæ. 66. vſque 70. p.123

XVIII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Ieſus infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum. 71. vſque 75. p.127

Diſcutitur ſententia Chryſoſtomi, Theophylacti, & Euthymij aientium, Chriſtum infremuiſſe aduerſus immodicum quendam affectum humanum qui fuerat in ipſo excitatus.

Quomodo & in ſtatu innocentiæ fuiſſent paſſiones in homine, & quomodo ſint in eo in ſtatu noſtro corrupte, & quomodo fuerint in Chriſto.

XIX. Diſputatio.

Super illis verbis:

Et lacrymatus eſt Ieſus.

De quinque generibus lacrymarum quæ commemorantur & laudantur in ſacra Scriptura. 75. & 76. p.130

XX. Diſputatio.

Super illis verbis:

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

Diſputatur copioſe an licitum ſit occidere hominem innocentem pro communis & publici boni conſeruatione. 77. vſque 81. p.172

XXI. Diſputatio.

Super illis verbis:

Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit. 82. vſque 84. p.136

Demonſtratur illa verba Caiphæ: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat,* fuiſſe à Caipha tripliciter, fuiſſe quoque à ſpiritu Sancto tripliciter.

An iſta verba Caiphæ habuerint duos ſenſus litterales;alterum quidem reſpectu Caiphæ, alterum vero reſpectu Spiritus ſancti;& vter ſenſus fuerit magis litteralis & principalis.

XXII. Diſputatio.

An Caiphas dicens illam ſententiam de neceſſitate mortis Chriſti, verè prophetauerit; & an ideo prophetauerit, quia erat Pontifex anni illius. 85. vſque 87. p.138

Declaratur, quomodo Caiphas illa verba dicens, & aliquo modo prophetauerit, & propriè ac ſimpliciter nec prophetaſſe, nec fuiſſe prophetam dici debeat.

Explicatur quomodo Ioannes dixerit, Caipham prophetaſſe quia erat Pontifex, quaſi donum prophetandi eſſet neceſſario coniunctum cum illo Pontificatu Iudaico.

Cum Pontificatus Iudaicus eſſet perpetuus vſque ad mortem Pontificis, quomodo B. Ioannes dixerit, Caipham fuiſſe Pontificem anni illius.

IN CAPVT XII.

Diſputationes tres.

Prima Diſputatio.

Super illis verbis:

Dixit Iudas Iſcariotes, quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis? 1. vſque 4. p.145

Demóſtratur, illam Chriſti vnctionem non modo fuiſſe prorſus inculpabilem, ſed etiam fuiſſe honeſtiſſimam & decentiſſimam, & maximè laudandam.

Quæ res adduxerint Magdalenam ad ſic vngendum Chriſtum.

De triplici officio humanitatis apud Iudæos præſtari ſolito conuiuis.

Cur Dominus vngi voluerit à Magdalena.

II. Diſputatio.

Super illis verbis:

Fur erat & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. 5. vſque 7. p.149

Exponuntur tres cauſæ ob quas Dominus adminiſtrationem pecuniæ & aliarum rerum temporalium quæ ad vſum eius & diſcipulorum ipſius à piis hominibus dabantur, tradiderit Iudæ, quem & auarum hominem & furem eſſe nouerat.

Si collegium illud Apoſtolorum habuit pecunias, cur Apoſtoli miſſi à Domino ad prædicandum Euangelium, pecunias habere prohibiti fuerint.

Ob tres cauſas noluiſſe Chriſtum, vt Apoſtoli ad prædicandum Euangelium miſſi, ſecum pecunias ferrent.

III. Diſputatio.

Super illis verbis:

Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. 8. vſque 20. q. 151

Niſi granum.

Cur Chriſtus comparetur grano: & cur dictum ſit granum, ſingulariter, & non grana, pluraliter.

Doctrinam Chriſti ſimilē eſſe grano, mūdanam verò doctrinam paleis, & cur. 8. vſque 10. p. ead.

Frumenti.

Declaratur copioſè cur Chriſtus comparatus ſit cum grano frumenti

potius

potius quã nõ aliis granis. Diſtinguitur triplex genus frumẽti & triplex genus panis. Quomodo Chriſtus quibuſdã ſit panis ordeaceus, aliis autẽ triticeus, nõnullis vero ſiligineus. De decẽ rebus quas frumentum pati neceſſe eſt, vt euadat in bonum hominis cibum & nutrimentum. 11. & 12. p. 153

Cadens in terram.

Granum cadere in terram, quid myſticè ſignificet in Chriſto. 13. p. 155

Ipſum ſolum manet.

An Mors Chriſti fuerit neceſſaria redemptioni generis humani.

Modus redemptionis hominum per mortem Chriſti, quanto fuerit vtilior omni alio modo. 14. p. ead.

Si autem mortuum fuerit.

In omni genere rerum non niſi per quandã velut corruptionem & deiectionem ad generationem magni alicuius boni perueniri.

De triplici parte medicinæ: & de quatuor mũdi monarchiarum viciſſitudine, in quibus corruptio vnius fuit generatio alterius.

Quomodo in Chriſto & in electis, & in Eccleſia non niſi per humiliationem ventum ſit ad exaltationem & gloriam. 15. vſque 17. p. 157

Multum fructum affert.

Fructum mortis Chriſti demõſtratur fuiſſe maximum quinque modis, antiquitate, diuturnitate, dignitate, generalitate, & varietate.

Exponuntur nouem fructus paſſionis Chriſti. 18. vſque 20. p. 158

IN CAPVT XIII.

Diſputationes Quinquaginta octo.

Prima Diſputatio.

De loco in quo Chriſtus vltimam cœnam Paſchalem egit, & lauit pedes diſcipulorum. 1. & 2. p. 165

An locus in quo Chriſtus lauit pedes diſcipulorum, fuerit propria domus Ioannis Euangeliſtæ, vt ſcripſit Nicephorus.

Locum in quo Chriſtus lauit pedes diſcipulorum ſex ob cauſas fuiſſe apud Chriſtianos valde celebrem & religioſum.

II. Diſputatio.

Super illis verbis:

Ante diem feſtum Paſchæ. 3. & 4. p. 167

Nomen Paſcha, non eſſe græcum ſignificans paſſionem; ſed eſſe ductum à nomine hebraico Peſſach, quod ſignificat tranſitum.

Nomen Paſcha in nouo teſtamento triplici ſignificatione vſurpari, vel pro agno Paſchali, vel pro Feſtiuitate Paſchali, vel pro ſacrificiis Paſchalibus.

III. Diſputatio.

Quem tranſitum *ſignificet vox Paſcha: & ſuper* illis verbis, *Sciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*. 5. & 6. p. 169

Nomen Paſcha non ſignificare trãſitum Hebræorum per mare rubrum, neque eorum tranſitum ad terram promiſſionis, ſed tranſitum Angeli percutientis Ægyptios, & nõ lædentis Hebræos.

Mortem Chriſti variis nominibus figuratè appellari, & aſſumptionem, & exceſſum, & ſolutionem, & exaltationem, & tranſitum.

Cur mors Chriſti dicta ſit tranſitus,

& hujus tranſitus quæ fuerit illuſtris figura in veteri teſtamento, in Simone videlicet Machabæo.

IV. Diſputatio.

Super illis verbis:

Cum dilexiſſet ſuos qui erat in mundo, in finem dilexit, &c.

Cur Apoſtoli dicantur eſſe Chriſti ſimpliciter, potius quã alij ſancti. 7. & 8. p. 172

Septuplex ratio ob quam aliqui dicuntur eſſe Chriſti.

De quatuor cauſis ob quas Apoſtoli dicantur præcipue eſſe ipſius Chriſti.

De octo rebus ob quas Apoſtoli præ cæteris SS. fuere propinqui & ſimiles Chriſto.

Angelos eſſe conſeruos hominum qui colunt Chriſtum.

V. Diſputatio.

Quid ſignificet illud, *In fine dilexit eos.* Ponuntur quinque interpretationes. 9. & 10. p. 175

Exponuntur quinque proprietates perfecti amoris erga aliquem.

Quæ ſigna Chriſtus & in vita & in morte dederit amoris, quo diligebat Apoſtolos.

VI. Diſputatio.

Super illis verbis:

Ante diem feſtum Paſchæ.

Exponitur ſententia eorum qui dixerunt, Chriſtum vltimã cœnam Paſchalem egiſſe decimo tertio die primi menſis vno videlicet die ante quam Iudæi ſecundũ legem celebrarent Paſcha, ſed hæc ſententia quinque validis rationibus confutatur. 11. vſque 16. p. 177

VII. Diſputatio.

Explicatur ſententia Ruperti, Pauli Burgenſis, Pauli Mildeburgenſis, & Ioannis Lucidi, & Ianſenij, qui putarũt Chriſtum quidem vltimã illam ſuam cœnam Paſchalem egiſſe ad veſperam decimæ quartæ diei primi menſis, vt lex iubebat; ſed Iudæos eo anno ſeruantes antiquam Synagogæ conſtitutionem, feſtiuitatem Paſchalem egiſſe in decimo ſexto die primi menſis, agnũ vero Paſchalem immolaſſe in veſpera diei decimiquinti; ideòque Chriſtum cœnam illã ſuam egiſſe vno die priuſquam Iudæi celebrarent Paſcha. Sed hæc ſententia manifeſtis, & validis quinque rationibus refellitur. 17. vſque 22. p. 181.

VIII. Diſputatio.

Duplici ratione declaratur cur B. Ioannes dixerit, vltimam illam Chriſti cœnam eſſe actam ante diem feſtum Paſchæ 23. vſque 25. p. 186

IX. Diſputatio.

Declaratur quomodo Ioannes cap. 18. ſcripſerit, Iudæos noluiſſe intrare prætorium Pilati ne contaminarentur vt manducarent Paſcha; cum Iudæi iam pridie immolarent Paſchalem agnum. 26. & 27. p. 190

Probatur manifeſto argumento nomine Paſchæ appellari in ſcriptura ſacrificia Paſchalia quæ per ſingulos dies feſtiuitatis Paſchalis fiebant in templo, & quorum pars aliqua pertinebat ad eſum afferentium.

An panes azymi vocabulo Paſchæ rectè appellentur.

X. Diſputatio.

Super illis verbis:

Et cœna facta, &c.

Diſputatur, in quo tempore illius cœnæ facta ſit lotio pedũ, an ante ipſam cœnam, an inchoata iam cœna, an confecta iam & finita cœna. Ponũtur tres ſententiæ, quarum prima in hac diſputatione explicatur & refellitur, quod lotio pedum facta fuerit ante inchoationem illius cœnæ. 28. & 29. p. 192

XI. Diſputatio.

Explicatur & confutatur ſecunda ſententia, quod lotio pedũ facta fuerit poſt finẽ illius cœnæ, & poſt inſtitutionem ſacramenti Euchariſtiæ. 30. & 31. p. 194

XII. Diſputatio.

Explicatur & approbatur tertia ſententia, quod lotio pedum facta fuerit poſt cœnam legalem, & inchoata iam & nondum finita cœna communi. Nã cœna illa Paſchalis duas partes habebat, quarum prior erat cœna legalis in qua manducabatur Agnus Paſchalis, poſterior autem erat cœna communis in qua aliis cibis veſci licebat. Dũ hæc cœna ageretur Chriſtus lauit pedes diſcipulorum, & Euchariſtiam inſtituit. 32. & 33. p. 196

XIII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Cum diabolus iam miſiſſet in cor vt traderet eum Iudas. 34. & 35. p. 198

XIIII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit & ad Deũ vadit. 36. vſque 41 p. 199

Supradictis verbis ſignificari quadruplicem in Chriſto excellentiam, ſcientiæ, potentiæ, nobilitatis ſiue dignitatis, & ſanctitatis, & hæc diſtinctè explicantur.

Exponuntur ſeptem genera rerum quarũ poteſtatẽ Deus dedit Chriſto.

Declaratur, quomodo Chriſtus, & vt Deus & vt homo, exierit à Deo Patre.

Excellentiam miſſionis alicuius ex quinque rebus ſpectari, & has excellenter fuiſſe in miſſione qua Chriſtus à Deo miſſus eſt in mundum.

XV. Diſputatio.

Super illis verbis:

Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua; & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe: deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. 42. vſque 47. p. 103

An Chriſtus comederit agnũ Paſchalem ſtans, an menſæ accumbens.

Filius Dei ter ſurgens inducitur in ſcriptura.

De triplici glorioſo filij Dei veſtimento, & de alio triplici contrario veſtimento.

Comparatio humilitatis aliorum ſanctorum cum humilitate Chriſti lauantis pedes ſuorum diſcipulorum.

Quid ſecundum myſticum ſenſum ſignificet, Chriſtum ſe linteo præcinxiſſe, & miſiſſe aquam in peluim.

XVI. Diſputatio.

Super illis verbis:

Venit ergo ad Simonem Petrum. 48. & 49. p. 107

Exponitur ſententia Origenis, Chryſoſtomi, Euthymij, & Theophylacti aientium lotionem pedum incepiſſe Chriſtum non à Petro, ſed à Iuda.

Declaratur & approbatur, ſententia

Auguſtini & complurium aliorum, quod Chriſtus lotionem pedum orſus fuerit à Petro.

XVII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Domine, tu mihi lauas pedes? 50. vſque 52. p.209

Indicantur ſeptem Chriſti excellentiæ Nobilitatis, Pulchritudinis, Potentię, Maieſtatis, Antiquitatis, Dominationis, Sapientiæ.

Cur Petrus tantopere lauari pedes ſuos à Chriſto recuſarit.

XVIII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Non lauabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Ieſus, ſi non lauero te non habebis partem mecum. 53. vſque 56. p.212

Petrum quinque ob cauſas peccaſſe, tantopere recuſando lauari pedes ſuos à Chriſto.

Illud *Non habebis partem mecũ*, tribus modis intelligi poſſe.

Quomodo ex iſtis Domini verbis argumentetur S. Bernardus illã pedũ lotionem præcipuè factam eſſe ad ſignificandam neceſſitatem ſpiritualis mundationis humani animi à vitiis vitioſiſque affectibus.

An illa lotio pedum fuerit ſimpliciter neceſſaria Petro; & de tribus generibus rerum quæ à Deo præcipiuntur homini.

An lotio ſpiritualis animi ab omni peccato tam mortali quàm veniali, ſit neceſſaria præparatio hominis ad perceptionem ſacramenti Euchariſtiæ.

XIX. Diſputatio.

Super illis verbis:

Dicit ei Simon Petrus, Domine non tantũ pedes meos, ſed & manus & caput. 57. & 58. p.214

Ex hoc Petri reſponſo tria duci perutilia documenta.

Quid ſecundum myſticum ſenſum ſit in anima noſtra caput, manus, & pedes.

XX. Diſputatio.

Super illis verbis:

Qui lotus eſt non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. 59. vſque 61. p.216

Diſcutitur ſententia B. Ambroſij & Bernardi de mirabili virtute lotionis pedum contra rebellionem carnis aduerſus ſpiritum, & ad remiſſionem peccatorum venialium.

An probabile ſit, per illam pedum lotionem ſignificatum eſſe lauacrum peccatorum quæ poſt baptiſmum admittuntur, quod eſt ſacramẽtum pœnitentiæ, vt ſcripſit B. Cyprianus.

Per illam pedum lotionem eſſe ſignificatam purgationem humani animi à triplici affectu vitioſo, quæ purgatio eſt optima præparatio hominis ad dignam & fructuoſam Euchariſtiæ perceptionem.

XXI. Diſputatio.

Super illis verbis:

Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. 62. vſque 65. p.218

Diſcutitur ſententia Chryſoſtomi de munditia agni quam habuerunt Apoſtoli ante paſſionem Domini.

In quo principaliter ſit virtus Baptiſmi, ſecundum Auguſtinum.

De duabus rebus quibus purgantur peccata, ſecundum ſcripturam, eleemoſyna & dilectione.

XXII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Exemplum

Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.66. vſque 68. p.221

De quadruplici fine & fructu actionum, & paſſionum Chriſti.

De quadruplici modo lauandi ſpiritualiter ſordes & peccata proximi.

Quindecim Diſputationes de Iuda Proditore. p.223.

XXIII. Diſputatio.

De Iudæ appellatione qua dictus eſt à B. Ioanne, Iudas Simonis Iſcariotes. 70. & 71 p.225

XXIIII. Diſputatio.

Cur Iudas Chriſtum prodiderit Iudæis.72. vſque 75. p.227

Refertur notabilis ſententia B. Hieronymi aientis, putaſſe Iudam miracula quæ facientem Chriſtum videbat, ea non virtute diuina, ſed magicis artibus ab eo facta eſſe.

De quinque cauſis, quas credibile eſt Iudam dixiſſe Iudæis, cur magiſtrũ ſuum Chriſtum in manus eorum traderet.

De inſania eorum hominum qui dixerunt, Iudam de proditione Chriſti non eſſe accuſandum, ſed laudandum potius, eique gratias agere oportere, vt memoriæ prodiderunt Irenæus, Tertullianus, & Epiphanius.

Explicatur ſententia B. Pauli aientis Deum Patrem tradidiſſe morti Chriſtum propter nos.

Quomodo intelligendum ſit quod ait ſcriptura, ea quæ Iudæi fecerunt contra Chriſtum, ex definitione & decreto Dei eſſe facta.

XXV. Diſputatio.

Quot diebus ante Paſcha Iudas vendiderit Chriſtũ Iudæis, ſex ne diebus, an tantum duobus. Et quis fuerit dies hebdomadæ ille in quo Chriſtus venditus eſt, an Martis, an Mercurij, & de antiqua Chriſtianorum conſuetudine ieiunandi in feria 4. & 6. 76. & 77. p.230

XXVI. Diſputatio.

De mercede & pretio triginta argenteorum pro qua mercede Iudas Chriſtum vendidit Iudæis. 78. vſque 80. p.232

Explicatur diligenter quanti fuerit ponderis & pretij argenteus.

Notatur lapſus Lyrani & Ruperti circa æſtimationem pretij triginta argenteorum pro quibus à Iuda venditus eſt Chriſtus.

Quoniam venditio Ioſeph Patriarchæ figura venditionis Chriſti fuit, diſputatur de pretio quo venditus eſt Ioſeph; nam de eo pretio ſex ſunt diuerſæ authorum ſententiæ.

XXVII. Diſputatio.

An in illa cœna Sacramẽtorum Euchariſtiæ tunc à Chriſto inſtitutum Iudas acceperit vnà cum aliis Apoſtolis. Exponitur ſententia B. Dionyſij Areopagitæ id aientis, & qui ſecus verba Dionyſij interpretari voluerunt, refelluntur. 81. vſque 83. p.234

XXVIII. Diſputatio.

Iudam vna cum aliis Apoſtolis accepiſſe Euchariſtiam probatur teſtimonio Cypriani, Theodoreti, Cyrilli Hieroſolymitani, Hieronymi, Leonis, Theophylacti, Chryſoſtomi, Auguſtini, Hugonis de S. Victore, Magiſtri ſentẽtiarum, ſancti Thomæ, & Theologorum ſcholaſticorum. 84. p.236

XXIX. Diſputatio.

Exponitur ratio ſatis probabilis, qua

oſtenditur Iudam tunc accepiſſe Euchariſtiam. 85. p.239

XXX. Diſputatio.

Exponitur ſententia eorum qui dixerunt, Iudam non accepiſſe tunc ſacram Euchariſtiam. 86. 87. p.241

Huius ſententiæ videtur fuiſſe Clemens Papa, eámque ſequuntur Hilarius, Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ, & Rupertus.

XXXI. Diſputatio.

Super illis verbis quæ Dominus dixit de Iuda Matth. cap. 26.

Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. 88. vſque 91. p.243

Diſputatur, an reprobis & damnatis melius fuiſſet, non eſſe ſimpliciter, quàm eſſe æternis pœnis damnatos.

Non eſſe ſimpliciter, & eſſe damnatum, tripliciter conſiderari poſſe; & ab hac triplici conſideratione pendere propoſitæ quæſtionis explicationem.

XXXII. Diſputatio.

De ordine temporis quo facta eſt à Domino in illa vltima cœna denūtiatio proditionis, qua prodendus erat Iudæis à Iuda. 92. vſque 95. p.247

An denunciatio proditoris Iudæ facta ſit à Chriſto ante vel poſt inſtitutionem Euchariſtiæ.

XXXIII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Et poſt buccellam introiuit in eum Sathanas. 96. vſque 99. p.250

Demonſtratur, illam buccellā panis intinctam quam Chriſtus dedit Iudæ, non fuiſſe ſacram Euchariſtiam.

Quomodo diabolus præcipuè & notabiliter intret corda peccatorum, qui vocantur reprobi & indurati.

De duplici introitu diaboli in hominem.

Reprobi & indurati homines quibus nominibus appellari ſoleant in ſcriptura.

Cum proprium eſſe dicatur Dei intrare & replere animam hominis; quomodo in ſcriptura dicatur diabolus etiam intrare & replere cor hominis?

Obſeruanda Dydimi ſententia de modo quo diabolus intrauit Iudam.

Quando primum Sathanas introierit in Iudam.

XXXIV. Diſputatio.

Super illis verbis:

Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid dixerit ei. 100. vſque 102. p.255

An Chriſtus iſtis verbis præceperit Iudæ, vt proditionis executionem acceleraret.

An iſta verba Chriſtus dixerit Iudæ, an Sathanæ, vt putat Cyrillus.

An Ioannes intellexerit, quorſum iſta verba Chriſtus dixerit Iudæ.

Cur in horto Petrus non Iudam potius quàm Malchum gladio percuſſerit.

XXXV. Diſputatio.

De Pœnitentia Iudæ.

Super illis verbis: Matth. 27.

Tunc videns Iudas qui eum tradidit quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum & ſenioribus dicens, Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. 103. vſque 107. p.257

Quando Iudam cœperit pœnitentia ſui ſceleris.

An Iudas eo animo tradiderit Chriſtum Iudæis, vt vellet eum occidi ab ipſis.

Pœnitentiam Iudæ à triplici cauſa proficiſci potuiſſe.

Teſtimonia innocentiæ & ſanctitatis Chriſti in tempore paſſionis eius.

Pœnitentiam Iudæ habuiſſe tres partes ſimiles aliquo modo tribus partibus veræ pœnitentiæ.

XXXVI. Diſputatio.

Peſſimam fuiſſe Iudæ pœnitētiam maximéque deteſtandam multis ex rebus demonſtrari. 108. vſq; 110. p. 260

XXXVII. Diſputatio.

De infœlici interitu Iudæ. 111. & 112. p. 262

Iudam in ſuo ſuſpendio non periiſſe, ſed ſuperuixiſſe, & poſtea hydropico morbo laboraſſe, & ex corpore eius vermes ebulliuiſſe, à quibus putatum & proditum fuerit.

XXXVIII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis in ſinu Ieſu. Itaque cum recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu. 113. vſque 115. p. 264

De modo quo Ioannes recubuerit in ſinu Chriſti ſiue ſupra pectus eius referuntur duæ ſententiæ, altera Fabri Stapulenſis, & altera Caietani; ſed vtraque refellitur.

Recubitus Ioānis ſupra pectus Domini, cuius rei fuerit indicium, ſimúlque præſagium.

XXXIX. Diſputatio.

Iudæos Chriſti tempore more Romanorum ſuas egiſſe cœnas & conuiuia. 116. vſque 120. p. 266

In hac diſputatione & in aliis duabus proximè ſequentibus explicantur tredecim res, quæ in cœnis & conuiuiis agendis, & à Romanis, & à Iudæis ſimiliter tempore Chriſti ſeruabantur.

Locus cœnæ & conuiuij quo modo appellaretur & à Romanis & à Iudæis.

De lotione corporis, & vnctione, & mutatione veſtis ante cœnam & conuiuiū, tam apud Romanos quàm apud Iudæos.

XL. Diſputatio.

Romanos & Iudæos non ſedentes, ſed accumbentes in lectis, & in altis lectis, & nudis pedibus egiſſe cœnas & conuiuia. Quid ſit aliquem in conuiuio recumbere in ſinu alicuius. 111. vſque 116. p. 269

XLI. Diſputatio.

Quis locus eſſet in conuiuiis honoratior: De numero conuiuarum & lectorum qui ſternebantur in conuiuio: Ex vna & eadem patina conuiuas omnes comediſſe: Quo ſitu corporis cubarent in lectis: De Magiſtro potandi ſeu Rege vini qui conſtituebatur in conuiuiis. 117. vſque 130. p. 271

Diſputationes Nouem.

Super illis verbis:

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoſcent homines quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.

XLII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Mandatum nouum do vobis. Exponuntur octo rationes cur mandatum de dilectione Dominus appellauerit mandatum nouũ. 131. vſque 133. p.276

Quid ſit diligere proximum ſicut Chriſtus dilexit nos, triplex interpretatio.

Cur præceptum dilectionis à Ioanne dictum fuerit & nouum, & non nouum.

XLIII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Vt diligatis inuicem.

Explicantur duodecim res, quæ Chriſtianos ad mutuam dilectionem incitare debent. 134. vſque 136. p.279

De quinque generibus dilectionis proximi.

Tres gradus Chriſtianæ dilectionis proximi.

XLIV. Diſputatio.

Super illis verbis:

Sicut ego dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.

De ſex modis quibus Chriſtus dilexit nos, & quibus nos etiam debemus inuicem diligere, ordinatè, generaliter, efficaciter, vniuerſaliter, vltrò, & perſeueranter. 137. vſque 140. p.281

De duplici regula diligendi proximum.

Quomodo intelligendum ſit debere nos diligere proximum ſicut nos ipſos.

XLV. Diſputatio.

Explicantur quatuor effectus, & quatuor certa ſigna perfectæ charitatis erga proximũ. 141. vſque 143. p.285

Gaudere bonis inimicorum, & calamitatibus, ac malis eorum triſtari & dolere, argumentum eſſe perfectæ charitatis, qualis fuit in Iob & Dauide.

Differentiam hominis verè Chriſtiani & ab antiquis philoſophis, & à Phariſæis, & à diſcipulis Ioannis Baptiſtæ præcipuè conſiſtere in mutua omnium inter ſe dilectione.

XLVI. Diſputatio.

Exponuntur tres cauſæ, ob quas Dominus præceptum dilectionis appellauerit ſuum potius quàm alia præcepta, dicens. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Declaratur etiam quomodo intelligendum ſit, ſolum præceptum charitatis ſufficere ad ſalutem: & ad hoc confirmandum affertur valde memorabilis ſententia quædam B. Ioannis, prodita memoriæ à ſancto Hieronymo. 144. vſque 146. p.288

XLVII. Diſputatio.

Cur Dominus præceptũ dilectionis Dei dixerit eſſe primum & maximum. 147. vſque 151. p.290

Præceptum dilectionis Dei appellari primum ob tres cauſas: maximum verò dici ob ſex cauſas.

Omnia alia præcepta Dei ordinari ad charitatem quadrupliciter.

XLVIII. Diſputatio.

Cur B. Iacobus legem dilectionis appellauerit legem regalem, afferuntur quatuor cauſæ: Exponuntur etiam quatuor cauſæ, ob quas idem Apoſtolus legem charitatis dixerit eſſe legem perfectæ libertatis. 153. & 154. p.295

XLIX. Diſputatio:
Cur B. Petrus dixerit, charitatem operire multitudinem peccatorum, & de triplici modo quo peccata proximi operiuntur. 155. vſque 157. p. 297
L. Diſputatio.
Exponuntur ſeptem rationes ob quas charitas appellata ſit à B. Paulo *vinculum perfectionis*. 158. vſque 162. p. 299
De triplici funiculo charitatis, & de triplici ratione quæ valde mouere debet hominem ad diligendum Deum.
Diſputationes. VIII.
Super prædictione qua Dominus prædixit futuram Petri negationem.
Super illis verbis:
Amen Amen dico tibi, non cantabit Gallus donec ter me neges.
LI. Diſputatio.
An ſemel Dominus tantùm prædixerit negationem Petri, an ter diuerſis temporibus: Exponitur ſententia B. Auguſtini aliorúmque complurium, quòd non ſemel tantùm, ſed ter Dominus prædixerit negationem Petri. 163. & 164. p. 304
LII. Diſputatio.
Explicatur altera ſententia non diſplicens auctori, quòd ſemel tantùm Dominus prædixerit futurã Petri negationem. 165. vſque 167. p. 307
Documentum obſeruandum in lectione Euangeliſtarum.
Petrum illa ſua in præſumptione & confidentia, quòd nunquam eſſet negaturus Chriſtum, tripliciter peccaſſe.
LIII. Diſputatio.
Super diſſonantia quæ videtur eſſe inter Euangeliſtas circa tempus negationis Petri, & de triplici modo quo iſta diſſonantia tollitur, & ab Auguſtino, & à Chryſoſtomo, & à Caietano, cuius ſententia, quòd Petrus ſepties negauerit Chriſtum, diſcutitur. 168. & 169. p. 309
LIIII. Diſputatio.
Declaratur quarta ratio conciliandi inter ſe Euangeliſtas circa tempus negationis Petri, quæ aliis probabilior videtur. 170. & 171. p. 310
Explicatur duplex Galli cantus in nocte: & de huiuſmodi cãtu Galli referuntur pulcherrima verba & Plinij & B. Ambroſij.
LV. Diſputatio.
Super illis verbis: Lucæ cap. 22.
Ait autem Dominus Simoni, Simon Simon, Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. 172. vſque 174. p. 314
Ponitur varia lectio ſingulorũ iſtorum verborũ, quæ eſt apud antiquos ſcriptores Eccleſiaſticos.
Cur vexatio Apoſtolorum aſſimiletur cribrationi tritici.
Refertur pulcherrima Tertulliani ſententia ſuper eo, quòd non liceat diabolo vexare ſeruos Dei, niſi quando, & quantum ei permiſſum à Deo fuerit.
LVI. Diſputatio.
Super illis verbis: Lucæ cap. 22.
Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. 175. vſque 178. p. 317
Cur Chriſtus ſingulariter orauerit pro Petro.
Diſputatur, an fides Petri defecerit cùm negauit Chriſtum.
Explicatur ſententia quædam Ambroſij, aientis, Petrum, cùm negauit Chriſtum, prodidiſſe fidem.
Quomodo Ambroſius excuſet negationẽ Petri, & quomodo iſtam ſententiam refellat S. Hieronymus.
LVII. Diſputatio.
Ex ſupradicta Chriſti oratione pro Petro rectè concludi, nunquam in Apoſt. & Rom. ſede defeciſſe aut defecturam eſſe rectam & ſincerã fidem

Chriſti, idque grauiſſimis authoritatibus& ipſo rei euētu demonſtrari.179.&180. p.321

LVIII. Diſputatio.

Super illis verbis: Lucæ 22.

Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. 181.vſque 183. p.322

Quanta & quàm multiplex ſit in Eccleſia Apoſt. & in ſummo Pontif. Rom.auctoritas & poteſtas in vniuerſam Chriſti Eccleſiam demonſtratur.

Quanta fuerit aliarum omnium Eccleſiarū erga Rom.Eccleſiā & Pontificem Rom. obſeruantia & reuerentia, & in omnibus quæ ad fidei & morum doctrinam pertinent, ab eo dependentia.

Quid ſit confirmare fratres ſuos.

Cur permiſerit Deus B. Petrum labi in illud peccatum negationis.

IN CAPVT XIV.

Et in ſermonem Domini poſt cœnam.

Diſputationes quadraginta.

Prima Diſputatio.

Super argumento ſiue materia ſermonis Domini poſt cœnam.1. p.329

II. Diſputatio.

Super illis verbis:

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.

Explicatur in hac diſput.illud *In domo Patris mei.*2.vſque 4. p.331

Tria poſſe ſignificari vocabulo domus.

Cæleſtis Beatorum ſocietas cur appelletur in ſcriptura, ciuitas: cur dicatur regnum, & Patris, & Chriſti, & SS. & cælorum: cur denique nominetur, domus.

Cœleſtis domus quod ſit fundamentum, & qui ſint parietes, & quod ſit tectum.

Cur Chriſtus domum illā cœleſtem appellauerit domum Patris, exponuntur quatuor cauſæ.

III. Diſputatio.

Super illis verbis:

*Manſiones multæ ſunt.*5.vſq; 8. p.334

Exponuntur duæ cauſæ, cur fœlicitas æterna nominetur manſio.

De inſigni differentia vitæ præſentis, & vitæ quæ futura eſt in cœlis.

De ſeptem modis, quibus vna dicitur eſſe omnium beatorum gloria.

De cauſis diuerſitatis & diſparitatis gloriæ beatorum.

Quomodo manſiones cœleſtes paratæ fuerint ſanctis.

IIII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Ego ſum via, & veritas, & vita. 9. vſque 12. p.338

Quatuor modis Chriſtum fuiſſe nobis viam.

Qualis via ſit Chriſtus declarari eo quod ſequitur *veritas, & vita.*

Quomodo Chriſtus ſit & via & terminus viæ.

Chriſtum eſſe viam, & veritatem, & vitam qui interpretati ſint Patres.

V. Diſputatio.

Ponuntur octo aliæ breues eorumdem verborum Domini *Ego ſum via veritas & vita* interpretationes. 13. vſque 14. p.341

Extra Chriſtum quales ſunt viæ.

De tribus modis, quibus per Chriſtū venitur ad Patrem.

De tribus rebus, quæ ante Chriſti aduentum abſterrebant homines ab acceſſu ad Deum; quæ per Chriſtum ablatæ ſunt.

VI. Diſputatio.

Super illis verbis:

*Philippe, qui videt me, videt & Patrem.*15. p.344

De ſex modis, quibus intelligi poteſt viſo Chriſto videri etiam Deum Patrem.

VII. Diſpu

VII. Diſputatio.

Explicantur tres cauſæ ob quas Chriſtus dicitur & eſt vera & perfecta imago Dei Patris. 16. vſq; 18. p.346

Dupliciter poſſe vnã rem eſſe imaginem alterius rei.

An Spiritus ſanctus propriè dici queat imago filij Dei.

VIII. Diſputatio.

Ex illis verbis *qui videt me, videt & Patrem*, euidẽter ac neceſſario concludi contra Arrianos Chriſtum non eſſe creaturam. 19. & 20. p.149

De nouem rebus ſecundũ quas omnis creatura diuerſa eſt à Deo.

IX. Diſputatio.

Super illo. *Qui videt me, videt & Patrem*, & ſuper eo quod Chriſtus dicitur imago Dei Patris, commemorantur aliquot perilluſtres ſententiæ, Hylarij, Gregorij, Nazianzeni, Ambroſij & Auguſtini. 21. vſque 24. p.351

X. Diſputatio.

Super illis verbis:

Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor, Pater autem in me manens, ipſe facit opera. 25. vſque 28. p.355

De diuerſitate modi quo Deus & per prophetas, & per Chriſtum loquebatur & operabatur.

Quomodo S. Thomas breuiter doctéque oſtẽdat, cur Pater dicatur eſſe in Filio, & Filius in Patre.

Modum quo Pater eſt in Filio & Filius in Patre planè ſupernaturalem & diuinum eſſe, & extra illos octo modos ab Ariſtotele traditos, quibus vnum eſt in alio.

XI. Diſputatio.

Super eo quod dictũ eſt, *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, referuntur aliquot inſignes ſententiæ B. Hylarij & S. Bernardi. 29. & 30.

Quomodo ſecũdum B. Bernardum dicitur in Scriptura Chriſtus eſſe ex Patre, & in Patre, & cum Patre, & à Patre, & pro Patre, & ſub Patre, & quodammodo ſine Patre.

XII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Amen Amẽ dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ad Patrem vado, & quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. 31. vſque 34. p.361

Quomodo intelligendum ſit, credẽtes in Chriſtum facturos opera & miracula, quæ Chriſtus fecerat, ponitur quadruplex interpretatio.

XIII. Diſputatio.

Quomodo intelligẽdum ſit, credentes in Chriſtum facturos opera quæ fecerat Chriſtus, declaratur ſecundum authoris ſententiam. 35. p.365

Quanta ſit vis & efficacitas fidei Chriſti fuſè declaratur.

Cur non in omni tempore multa & inſignia fiant miracula, redduntur quattuor cauſæ.

XIV. Diſputatio.

Declaratur tribus modis, quomodo intelligendum ſit illud quod dixit Dominus, credentes in ipſum facturos maiora opera quàm ipſe fecerat. 36. vſque 38. p.366

XV. Diſputatio.

Super illis verbis:

Si diligitis me mandata mea ſeruate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. 39. vſque 41. p.368

Diſputatur de ſignificatione huius nominis Paracletus.

Quæ ſit optima præparatio hominis ad ſpiritum ſanctum accipiendum.

Quomodò dicitur Spiritus ſanctus aduocatus.

XVI. Diſputatio.

Quemadmodũ Spiritus S. ſit conſola-

tor hominum.42.vſque 44. p.371

De quinque rebus, ſub quarum ſimilitudine Spiritus S. manifeſtari voluit hominibus, quæ ſunt, Ignis, Ventus, Lingua, Aqua, Columba: ex quarum rerũ conſideratione intelligi poteſt ſpiritualis vtilitas & iucũditas quam in animis hominum efficit Spiritus ſanctus.

Triplex quaſi ſpecies ignis deſignans triplicem gradum gratiæ Spiritus ſancti in hominibus.

Quatuor effectus Spiritus ſancti ſimiles quatuor proprietatibus columbæ.

XVII. XVIII. & XIX. Diſputatio.

In his tribus diſputationibus explicantur octo gradus, per quos in animis hominum conſolatio Spiritus ſancti procedere ſolet. 45. vſque 53. p. 374. 377. 380

Primus gradus conſolationis Spiritus ſancti eſt in peccatoribus verè pœnitentibus.

Secundus gradus conſolationis Spiritus ſancti eſt in remiſſione peccatorum, & iuſtificatione hominis, & infuſione cæleſtium donorum.

Tertius gradus cõſolationis eſt, cùm Spiritus ſanctus ſeruos ſuos conſolatur in rebus aduerſis: huiuſmodi autem conſolatio quatuor modis fit à Spiritu ſancto.

Quartus gradus conſolationis, in teſtimonio conſcientiæ SS. quòd ipſi ſint filij Dei, & hæredes vitæ æternæ.

Quintus gradus conſolationis, in donatione gratiarum quæ vocantur *gratiæ gratis datæ*.

Sextus gradus conſolationis, in quibuſdam Sãctis qui confirmantur in gratia vſque ad finem vitæ.

Septimus gradus conſolationis, in ſpiritualibus voluptatibus & deliciis, quibus animos SS. recreat Spiritus ſanctus, & exponitur triplex genus earumdem ſpiritualium voluptatum Spiritus ſancti.

Octauus gradus conſolationis Spiritus ſancti eſt in morte ſanctorum, & de tribus modis quibus Spiritus ſanctus ſeruos ſuos in tempore mortis eorum conſolari ſolet.

De tribus magnis bonis quæ, vt ait Bernardus, Sanctis tribuit Spiritus ſanctus, quæ ſunt, Pignus ſalutis, Robur vitæ, & Scientiæ lumen.

De ſex rebus, quibus ſpiritualis viri perfectio continetur.

Quomodo, ſecundùm Bernardum, Spiritus ſanctus detur homini ad ſex magnas eius vtilitates.

XX. Diſputatio.

Super illis verbis:

Vt maneat vobiſcum in æternum. 45. vſque 56. p.382

Spiritũ ſanctũ perpetuò manere in Eccleſia Chriſti octo modis.

De tribus modis, quibus homo per gratiam fieri poteſt impeccabilis.

XXI. Diſputatio.

Super illis verbis:

Spiritum veritatis. 57. & 58. p.385

Spiritum ſanctum eſſe ſpiritum veritatis octo modis intelligi poſſe.

Ponitur Encomium veritatis.

XXII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Quem mũdus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. 59. vſque 62. p.387

De duplici impedimento accipiendi Spiritum ſanctum, altero in hominis intellectu, altero in eius voluntate.

Quid hoc loco ſignificetur nomine *mundi* ſecũdùm interpretationem Baſilij.

Quæ vitia regnent in mundo, ob quæ mundus non eſt capax gratiæ Spiritus ſancti.

XXIII. Diſpu

XXIII. Diſputatio.
Super illis verbis:
Qui diligit me ſermonem meum ſeruabit. 63.vſque 67. p.390
Cur obſeruatio mandatorum Dei certum ſit ſignũ veræ dilectionis Dei, & quid ſit ſeruare ſermonem ſiue mãdata Dei ſecundùm explanationem S.Bernardi & B.Thomæ.
XXIV. Diſputatio.
Super illis verbis:
*Et Pater meus diliget eum.*68.vſq; 71. p.393
Quintuplex fructus veræ dilectionis Dei.
Diſputatur,quomodo & verum & falſum ſit,quia nos diligimus Deum, ideo diligi nos à Deo.
Quomodo Deus & diligat omnes, & non diligat omnes,ponitur B.Thomæ ſententia,& doctrina.
Exponuntur ſex bona amicitiæ.
XXV. Diſputatio.
Super illis verbis:
*Et ad eum veniemus.*72.vſq; 76.p.396
Quantum & quàm multiplex bonũ ferat ſecum Domini aduentus ad animam hominis.
Cur Chriſtus ad paucorum animas veniat,& in eis maneat.
De bonis quæ aduentus Chriſti efficit in animis hominum ſecundùm doctrinam B.Bernardi.
De triplici miſeria hominis in præſenti vita,& quòd iſtam omnem miſeriam tollit Chriſti aduẽtus in animam hominis,pulchra Bernardi diſputatio.
XXVI. Diſputatio.
Super illis verbis:
Et manſionem apud eum faciemus. 77.vſque 80. p.400
An perſeuerantia in bono vſque ad finem promereri poſſit ab homine,an verò planè gratuitum Dei donum ſit.
De cauſis ob quas accidit vt aliqui viri diu multumq; in ſtudio virtutũ & bonorum operum exercitati,ad extremum excidant Dei gratia, & pereant.
Quibus ſignis & experimentis cognoſci queat an Deus per gratiã ſuam maneat in nobis,ſecundùm B. Leonẽ.
XXVII. Diſputatio.
Super illis verbis:
Et manifeſtabo ei me ipſum. 81.p.404
XXVIII. Diſputatio.
De multiplici Chriſti manifeſtatione. 82.vſque 85. p.405
Explicatur 1. duplex Chriſti manifeſtatio corporalis:deinde triplex eiuſdem manifeſtatio ſpiritualis: ad hæc ſpiritualis manifeſtatio Chriſti diuiditur in ſpeculatiuam & affectiuam; & ſpeculatiuæ varij ponuntur modi,affectuum verò manifeſtatio ſeptuplex enarratur.
XXIX. Diſputatio.
Super illis verbis.
Paraclitus autem Spiritus ſanctus.
Explicantur ſeptẽ rationes ob quas nomẽ, *ſpiritus*, licèt commune ſit omnibus perſonis diuinis,rectè tamen appropretur tertiæ perſonæ diuinæ. 86. vſque 89. p.408
XXX. Diſputatio.
Super illis verbis:
Quẽ mittet Pater in nomine meo,ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcũque dixero vobis. 90.& 91. p.412
Mitti Spiritum ſanctum in nomine Chriſti,quatuor modis poſſe intelligi.
XXXI. Diſputatio.
Quomodo intelligendum ſit, Spiritum ſanctũ docuiſſe Apoſtolos omnia;& quas res docuerit eos,& quibus modis docuerit. 92.vſque 94. p.413
XXXII. Diſputatio.
Super illis verbis:
Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:non quomodo mundus dat, ego do vobis. 95.vſque 97. p.416

Illorum verborum, *non quomodo mundus dat, ego do vobis*, tres ponuntur interpretationes.

Explicatur quintuplex differentia pacis Chriſti, & pacis mundi.

XXXIII. Diſputatio.

Copioſius explicatur qualis ſit pax Chriſti, & pax mundi. 98. vſque 99. p. 419

Tres pacis Chriſti effectus, qui ſunt tria magna hominis bona.

Amplum & luculentum pacis Chriſti Encomium.

Quales ſint proprietates & effectus pacis mundi.

XXXIV. Diſputatio.

De præſtantia & vtilitate pacis, referuntur aliquot præclaræ SS. Patrum ſententiæ. 100. vſque 104. p. 422

De triplici pace, ficta, inordinata, & vera, pulchra S. Bernardi diſputatio.

XXXV. Diſputatio.

Super illis verbis:

Quia Pater maior me eſt. 105. vſque 108. p. 427

Exponitur ſententia Græcorum Patrum, Baſilij, Naziãzeni, & Damaſceni, & duorum Latinorum Patrum Hilarij & Auguſtini aientium, Patrem dici maiorem Chriſto etiã ea ratione qua Chriſtus Deus eſt, propter anthoritatem videlicet principij quæ eſt in Patre.

Græcos Patres aientes Patrẽ eſſe cauſam Filij, nomen cauſæ pro eodem accepiſſe, atque Latini Patres & Theologi accipiunt nomen principij.

Quot modis, ſecundum Baſilium, vnum poſſit dici maius alio.

XXXVI. Diſputatio.

Exponuntur duæ aliæ interpretationes illorum verborum, *Pater maior me eſt*. 109. vſque 111. p. 431

Diſcutitur interpretatio iſtorum verborum, quam tradunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, aientes, ea verba eſſe dicta non ſecũdum rei veritatem, ſed ſecundum opinionem & exiſtimationem quam de Chriſto tunc habebant Apoſtoli.

Explicatur 3. interpretatio Athanaſij, Ambroſij, Auguſtini, & Leonis, & eſt communis Latinorum doctorum Theologorũ, Patrem eſſe dictũ maiore Filio ratione humanitatis à Filio aſſumptæ; & hanc interpretationem ſequitur Auctor.

Optimum Auguſtini documentum circa ea quæ dicuntur in ſcriptura de Chriſto.

XXXVII. & XXXVIII. Diſputatio.

Super illis verbis:

Venit enim Princeps mundi huius, & in me nõ habet quicquam. 112. vſque 117.

Quomodo diabolus appelletur Princeps mundi.

Tres ob cauſas eſſe obnoxios homines morti.

De vera lectione illorum verborum, *& in me non habet quicquam*: quã tradit Ambroſius.

Ponitur triplex interpretatio illorũ Domini verborum, *Et in me non habet quicquam.*

Declaratur ſimilitudo quæ fuit inter Dauidem & Chriſtum, & inter gigantem Goliath & diabolum.

Memorabilis ſuper mortis noſtræ conſideratione B. Gregorij diſputatio, illuſtrem continens iſtorum Domini verborum *in me non habet quicquam*, explanationem.

XXXIX. Diſputatio.

De miſerrima humani generis captiuitate ſub poteſtate diaboli ante Chriſti aduentum, quæ ſignificata eſt illis verbis, *Venit Princeps mundi huius*. 118. vſque 120

Verbum liberandi, cum tribuitur Chriſto: quid propriè ſignificet ſecundum Cyrillum & Auguſtinum.

De errore Petri Abailardi aientis, nunquã diabolum habuiſſe ius vllum & poteſtatem in hominem, nec Filiũ Dei aſſumpſiſſe carnem humanam, vt liberaret hominem à poteſtate diaboli.

Quomodo Auguſtinus demonſtret etiam infantes non baptizatos eſſe ſub poteſtate diaboli.

De duplici poteſtate diaboli in hominem.

XL. Diſputatio.

Poteſtas quam habet Dæmon tentandi & decipiendi homines, quanta fuerit ante Chriſti aduentum, & quanta ſit poſt aduentum Chriſti. 121. vſque 126.

Diſputatur, an iuſti mortui ante Chriſti aduentum & manentes in ſinu Abrahæ fuerint aliquo modo ſub poteſtate diaboli.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO explicantur.

Adiectæ ſunt duæ numerorum notæ, quarum prior indicat caput Euangelij, poſterior verò numerum marginalem.

Exod.33. *NOui te ex nomine.* 10.25

Deut.16. *Immolabis Phaſe Domino Deo tuo de ouibus & de bobus.* 13.27

1.Reg.15. *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle aquieſcere.* 13.55

Iob.3. *Maledicta dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* 13.90

Iob.31. *Si gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui quòd inueniſſet eum malum.* 13.141

Iob.34. *Quem conſtituit Deus alium ſuper terram, aut quem poſuit ſuper orbem quem fabricatus eſt?* 14.113

Pſalm.2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* 10.16

Pſalm.108. *Fiat oratio eius in peccatum.* 13.109

Prouerb.10. *Vniuerſa delicta operit charitas.* 13.155

Prouerb.15. *Secura mẽs quaſi iuge conuiuium.* 14.50

Prouerb.17. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, gregéſque tuos conſidera.* 10.28

Eccleſiaſt.4. *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* 13.162

Sapient.5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* 14.13

Sapient.7. *Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula maieſtatis Dei, & imago bonitatis illius.* 14.20

Sapient.7. *Venerunt omnia bona mihi pariter cum illa.* 14.73

Eccleſiaſt.13. *Si communicabit aliquãdo Lupus cum Agno, ſic peccator iuſto.* 10.45

Eccleſiaſt.30. *Melior eſt mors quã vita amara, & requies ſempiterna quàm languor perſeuerans.* 13.91

Eccleſiaſt.40. *Tibia & pſalterium ſuauem faciunt melodiã, ſed ſuper vtraque lingua ſuauis.* 14.44

Iſaiæ 11. *Habitabit Lupus cum Agno, & Pardus cum Hœdo cubabit.* 10.17

Iſaiæ 42. *Hæc dicit Dominus dans ſpiritum calcantibus terram.* 14.61

Thren.1. *Sordes Hieruſalem in pedibus eius.* 13.58

Baruch.4. *O Iſraël quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius.* 14.3

Ezechiel.34. *Væ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebãt ſemetipſos, nónne greges à Paſtoribus paſcuntur?* 10.23

Oſeæ 11. *In funiculis traham eos in vinculis charitatis.* 13.160

Malachiæ 2. *Nunquid non Pater vnus omnium noſtrum? Nunquid nõ Deus*

vnus creauit nos? Quare ergo deſpicit vnuſquiſque noſtrum fratrem ſuum? 13.135
Matthæi 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* 10.69
Matth.7. *Nolite ſanctum dare canibus.* 13.87
Matth.22. *Hoc eſt maximũ & primum mandatum.* 13.147
Matth.26. *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.* 13.88
Lucæ 7. *Stans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius.* 13.124
Lucæ 7. *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit.* 12.2
Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, volucres cœli nidos, filius autem hominis nõ habet vbi reclinet caput ſuum.* 14.74
Lucæ 11. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum.* 14.122
Lucæ 22. *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.* 13.172
Lucæ 22. *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* 13.175
Lucæ 22. *Et tu aliquando cõuerſus confirma fratres tuos.* 13.181
Actor.4. *Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, facere quæ manus tua & conſiliũ tuũ decreuerunt fieri.* 13.75
Actor.5. *Anania, cur tentauit Satanas cor tuũ mentiri te Spiritui ſancto?* 13.97
Actor.20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* 10.28
Ad Rom.5. *Iuſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum.* 14.103
Ad Rom.8. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* 13.75
1.ad Cor.2. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* 14.59
1.ad Cor.6. *Sæcularia iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.* 12.5
1.ad Cor.9. *Nunquid poteſtatem nõ habemus mulierẽ ſororem circũducẽdi, ſicut & cæteri Apoſtoli.* 11.36
Ad Coloſſ.3. *Super omnia autem charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis.* 13.158
Iacobi 1. *Qui perſpexerit in lege perfectæ libertatis.* 13.154
Iacobi 2. *Si tamen legem perficitis regalem ſecundum ſcripturam.* 13.153
1.Petri 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes.* 10.23
2.Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 13.155
1.Ioan.vlt. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt.* 10.70

CAPVT

CAPVT DECIMVM
EVANGELII IOANNIS.

AMEN, amen dico vobis, 1.
qui non intrat per oſtium in
ouile ouium,ſed aſcẽdit aliun-
de:ille fur eſt,& latro. * *Qui* 2.
autem intrat per oſtium,paſtor
eſt ouium. * *Huic oſtiarius* 3.
aperit,& oues vocem eius au-
diunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit
eas. * *Et cùm proprias oues emiſerit,ante eas va-* 4.
dit:& oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius.
* *Alienum autem non ſequuntur,ſed fugiunt ab eo:* 5.
quia non nouerunt vocem alienorum. * *Hoc pro-* 6.
uerbium dixit eis Ieſus. Illi autem non cognouerunt
quid loqueretur eis. * *Dixit ergo eis iterum Ieſus:* 7.
Amen,amen dico vobis,quia ego ſum oſtium ouium.
* *Omnes quotquot venerunt fures ſunt,& latrones,* 8.
& non audierunt eos oues. * *Ego ſum oſtium.Per* 9.
me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, &
egredietur,& paſcua inueniet. * *Fur non venit niſi* 10.
vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vi-

11. *tam habeant, & abundantiùs habeant. * Ego ſum*
paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro
12. *ouibus ſuis. * Mercenarius autem, & qui non eſt*
paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum ve-
nientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, &
13. *diſpergit oues. * Mercenarius autem fugit, quia*
mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus.
14. ** Ego ſum paſtor bonus: & cognoſco meas, & cogno-*
15. *ſcunt me meæ. * Sicut nouit me Pater, & ego agno-*
ſco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis.
16. ** Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: &*
illas oportet me adducere, & vocem meam audient,
17. *& fiet vnum ouile, & vnus paſtor. * Propterea me*
diligit Pater: quia ego pono animam meam, vt ite-
18. *rum ſumam eam. * Nemo tollit eam à me: ſed*
ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi
eam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: Hoc
19. *mandatum accepi à Patre meo. * Diſſenſio iterum*
20. *facta eſt inter Iudæos propter ſermones hos. * Di-*
cebant autem multi ex ipſis: Dæmonium habet, &
21. *inſanit: quid eum auditis? Alij dicebant: hæc verba*
non ſunt dæmonium habentis: numquid dæmonium
22. *poteſt cæcorum oculos aperire? * Facta ſunt autem*
23. *Encænia in Ieroſolymis: & hyems erat. * Et am-*
bulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis.
24. ** Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei:*
Quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus,
25. *dic nobis palam. * Reſpondit eis Ieſus: Loquor*
vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine
Patris

*Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me: * ſed* 26.
*vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. * O-* 27.
ues meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas,
*& ſequuntur me: * & ego vitam æternam do eis:* 28.
& non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſ-
*quam de manu mea. * Pater meus quod dedit* 29.
mihi, maius omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de
*manu Patris mei. * Ego, & Pater vnum ſumus.* 30.
** Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarēt eum.* 31.
** Reſpondit eis Ieſus: Multa bona opera oſtēdi vo-* 32.
bis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapi-
*datis? * Reſponderunt ei Iudæi, de bono opere non* 33.
lapidamus te, ſed de blaſphemia: & quia tu homo
*cùm ſis, facis teipſum Deum. * Reſpondit eis Ie-* 34.
ſus: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: quia ego di-
*xi, dij eſtis? * Si illos dixit deos, ad quos ſermo* 35.
*Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura: * quem* 36.
Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos di-
citis: Quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei
*ſum? * Si non facio opera Patris mei, nolite cre-* 37.
*dere mihi. * Si autem facio: & ſi mihi non vultis* 38.
credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis
*quia Pater in me eſt, & ego in Patre. * Quærebant* 39.
ergo eum apprehendere: & exiuit de manibus eorum.
** Et abiit iterum trans Iordanem in eum locum, vbi* 40.
*erat Ioannes baptizans primùm, & manſit illic: * Et* 41.
multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Ioannes
*quidem ſignum fecit nullum. * Omnia autem quæ-* 42.
cumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi
crediderunt in eum.

IN CAPVT DECIMVM DISPVTATIONES VNA ET VIGINTI.

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Hoc prouerbium dixit eis IESVS*: illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis.*

Explicantur quatuor hæc vocabula, Prouerbium, Parabola, Allegoria, Ænigma, quorum frequens mentio fit in Sacris litteris.

IN hoc decimo Capite commemorantur à B. Ioanne duo ſermones, 1.
quos diuerſis temporibus CHRISTVS cum Iudæis habuit: priorem quidem proximè poſt illuminationem cœci nati narratum in proximè ſuperiori Capite nono; poſteriorem verò duobus poſt menſibus in feſto Encœniorum. Et prior quidem Sermo pulcherrimam continet parabolam de Paſtore, & Ouibus, & Ouili, de Oſtio, & Oſtiario, de Mercenario, Fure, ac Lupo, cuius ſententia bellè congruit cum extremis illis CHRISTI verbis in Capite nono: *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident,*

videant, videant: & qui vident, cæci fiant. Sed quia hunc figuratum, & parabolicum CHRISTI ſermonem Ioannes hoc loco appellauit prouerbium, non abs re fuerit breuiter in præſentia declarare, quid propriè ſignificent quatuor hæc vocabula, Prouerbium, Parabola, Allegoria, Ænigma, quorum eſt frequens mentio, & vſus in ſacra ſcriptura.

2. Quod à Latinis prouerbium dicitur, idem à Græcis appellatur parœmia, de qua voce B. Baſilius explanãs initium libri Prouerbiorum Salomonis, ita ſcribit: Quæ à Græcis dicitur Parœmia, extra Sacræ Scripturæ vſum eſt, & de ſermonibus vulgatioribus vſurpatur, & de iis, quæ in viis, plerumque dicuntur: vnde Parœmiam definiunt Verbum in viis, & in compitis vſu tritum, & quod à paucis transfertur ad plura. Apud nos verò Prouerbium, eſt ſermo vtilis cum moderata obſcuritate editus, multam in ſe vtilitatem complexus, multámque in profundo intelligentiam occultans. Ergo ſermo prouerbialis non eſt apertus, nec directè ſuam ſententiam quibuſlibet aperit, ſed obliquè, acutioribus tantùm videlicet, & ſagacioribus. Hactenus ex Baſilio. Cyrillus ſuper decimum ſextum Caput Ioannis, Prouerbium, inquit, Dominus appellauit occultũ, & adumbratum ſermonem, qui quoniam obſcuritate tegitur, ideo non facilè ab audientibus capitur. Ceterùm hoc loco nomen Prouerbij amplè ſumitur pro parabola, vel ſimilitudine. *Quid ſit Prouerbiũ ex ſentẽtia Baſilij.* *Cyrillus Alexand.*

3. Dicitur autem Parabola, vt nomen eius Græcũ ſonat, ex eo, quod in ſe continet comparationem quandam & collationem: & ſic definitur, ſimilitudo, in qua res diuerſæ comparantur in eo, in quo ſunt inter ſeſe ſimiles, habens notam ſimilitudinis, & comparationis, qualis eſt: *Simile eſt regnum cælorum*: vel, *ſicut in diebus* *Quid ſit Parabola.* *Matth. 13. & alibi.*

Matth.24. Lucæ 17. *diebus Noë*. Allegoria, eſt ſimilitudo, ſed perpetua me-
Quid ſit Allegoria. taphora obſcurata, qua aliud ſignificatũr, quàm dicitur; vt illa quæ eſt in nono Capite libri Iudicum de lignis conſultãtibus de rege eligendo. In vſu eſt Scripturæ, allegoriam ſumere pro typo, & figura alterius, vt ad Galatas 4. Ænigma, eſt ſpecies allegoriæ inſigni
Quid ſit Ænigma. tantũm obſcuritate à ceteris differens; eſt enim ſermo propter obſcuritatem ferè intellectu impenetra-
Iudic. 14. bilis, vt illud Samſonis: *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.*

Multiplex Parabolæ ſignificatio. Interdum porrò parabola adhibetur ſine vlla no- 4
ta ſimilitudinis, & aliquando ſumitur pro allegoria,
Matth. 13. 5. vt illa: *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* nonnunquam pro ænigmate, vt apud Ezechielem 17. Parabola de duabus aquilis. Ponitur etiam pro ipſo prouerbio, aut parœmia, vnde nominantur parabolæ Salomonis: quin etiam pro re aliqua, quæ typum, & figuram alterius habet: qua ſignificatione dixit Paulus ad Hebræos 11. Abraham accepiſſe filium in parabolam, id eſt, in figuram CHRISTI. Ponitur etiam pro ſermone vulgato, qui vſurpatur cum irriſione, & ſubſannatione alterius, idémque eſt quod Latinis ſcomma, vt in Pſalmo ſexageſimo octauo: *Factus ſum illis in parabolam.* Denique ſumitur etiam pro vaticinio, ſed per figuram, & ſimilitudinem alicuius rei edito. Nam in capite vigeſimoquarto Numerorum ſcriptum eſt, Balaam vaticinaturum de populo Hebræo, aſſumpſiſſe parabolam.

Cur in Scriptura nomẽ Parabolæ tam amplè pateat. Cur autem nomen Parabolæ tam amplè pateat, & tam variè vſurpetur, cauſa fluxit ex Hebræis, qui vocabulo ſignificante parabolam vtuntur ad ſignificandum quemlibet ſermonem grauem, & reconditum, qui apud imperitos indiget enarratione, & explanatione.

SECVN

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Vers. 9.

5. IN hoc parabolico CHRISTI ſermone de Paſtore & ouibus ponuntur octo nomina, quæ præcipuam huius parabolæ ſignificationem cõtinent: ſunt autem hæc, Oſtium, Oſtiarius, Ouile, Oues, Paſtor, Mercenarius, Fur, & Lupus: de quorum ſingulis diſtinctè ac propriè diſſerendum eſt, & primò dicendum eſt de Oſtio.

Chryſoſtomus putat nomine Oſtij ſignificari hoc loco ſacrã Scripturam, quæ Legẽ, Prophetas & Pſalmos complectitur. Nimirũ hæc eſt tamquã Oſtium, & aditus ad CHRISTVM, quod ipſe ſuprà ſatis oſtendit, cùm dixit Iudæis: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere; & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Hoc autem Oſtium clauſum erat Iudæis ſecundum litteram tantùm, & carnali modo ſcripturas intelligentibus. Sed B. Auguſtinus, & plerique omnes huius Euangelij explanatores arbitrantur, nomine Oſtij hoc loco ſignificari rectam viam & rationem, legitimúmque modum aſſumendi officium paſtoris: eſt autem ipſemet CHRISTVS, ea ſcilicet ratione, vt ab ipſo vocatus quis ſit ad illud munus paſtorale, & propter ipſum CHRISTVM id ſuſcipiat, & gerat. Sũt enim qui munus paſtorale per vim rapiunt, vt Alcimus ſummũ pontificatum Iudai-

Quid ſignificet Oſtium.

Chryſoſt.

Ioann. 5.

Communis interpretatio, quæ eſt Auguſtini & plurimorum.

cum,vt de eo ſcriptum eſt in priori libro Machabæorum,Capite ſeptimo. ſunt etiam,qui per largitiones, vel per dolos, & fraudes id ſibi acquirant. Nomine autem Oſtij ſignificari hoc loco ipſum CHRISTVM, ſatis indicant eius verba hîc aientis:*Ego ſum oſtium.*

Quomodo Chriſtus qui eſt Paſtor, etiam appelletur Oſtium.

Illud tamen dubitationem habere videtur; Cùm CHRISTVS nominetur,& ſit verè paſtor, non videtur conueniens ipſum appellari Oſtium:ſunt enim iſtæ duæ res admodum diuerſæ. Sed ſciendum eſt, quæ ſunt diuerſa in hominibus,& reperiri coniuncta in CHRISTO, & quæ diuerſa ſunt inter ſe, ea ſecundum variam conſiderationem,ſimul CHRISTO conuenire. Nec mirum hoc: in vno quippe CHRISTO quæ infinitè diſtant inter ſe,ſubſtantialiter vnita fuerunt;hominis dico,& DEI naturâ in perſona Verbi. Eſt itaque CHRISTVS Paſtor reſpectu ouium; eſt oſtium reſpectu paſtorũ, & oſtium paſtorũ quidem, quia nullus ad paſcendas oues niſi per CHRISTVM legitimè ingreditur: reſpectu verò ouium, quia per CHRISTVM oues ingrediuntur vt cuſtodiantur,& egrediuntur vt paſcantur. 6.

Tria fuiſſe ante CHRISTI aduentũ,quæ ſpeciem oſtij habebant.

Tria porro erant, quæ ante CHRISTI aduentum, aditum, atque introitum promittebant ad veri cognitionem, ſummíque boni adeptionem, hoc autem eſt, ad ſapientiam,& fœlicitatem comparandam. Huiuſmodi oſtium erat apud Gentiles ſuorum Deorum cultus, per quem illi credebant ſe poſſe bona, quæ cupiebant, aſſequi,& mala,quæ formidabant propulſare. Apud Philoſophos erat ſtudium ſapientiæ,& quam ipſi vocabant Philoſophiam, & bene beatéque viuendi magiſtram eſſe dicebant. Apud Iudæos erat lex Moſis,per quam iuſtitiam ſibi, & felicitatem promittebant. Sed nihil 7.

 iſtorum

iſtorum verum oſtium. Nam cùm Dij Gentium non eſſent aliud quàm Dæmones è cœlo in Tartarum deiecti, colentibus eos tantum abeſt vt aſcenſus pateret in cœlum, vt neceſſarius eis futurus eſſet in infernum delapſus. Philoſophia verò cùm eſſet humano ingenio, & ſtudio conſtituta, & comparata, per eam perueniri non poterat ad veram hominis virtutem, verámque felicitatem, quæ nonniſi per ſupernaturalem DEI fidem, & gratiam poſſunt homini contingere. Iudæi credentes ſufficere ſibi ad bene beateq; viuendum legem Moſis, maximo in errore verſabantur. Lex enim illa neminem iuſtificare, ne dum beatificare poterat: qua de re Paulus copioſè diſputat in epiſtola ad Hebræos. Solus igitur CHRISTVS veriſſimum eſt oſtium, per quod ingredi omnes oportat, qui verè boni & iuſti, vereq; beati ac felices eſſe cupiunt.

TERTIA DISPVTATIO.

Declaratur quale oſtium ſit CHRISTVS, *& nouem huius Oſtij proprietates exponuntur.*

8. SED quale oſtium eſt CHRISTVS? eſt profectò paruum, & humile oſtium, ſicut ipſe dixit: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Neque dij per hoc oſtium ingrediuntur, niſi qui paruuli ſunt in oculis ſuis, & humiles ſpiritu. Dominus enim dixit: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Eſt CHRISTVS, oſtium anguſtum: debet enim qui vult per hoc

Matth. 11.

Matth. 18.

oſtium ingredi, à voluptatum oblectamentis, & terrenarum rerum cupiditatibus animum ſuum reſtringere, atque coarctare. Eſt oſtium, ſecundum exiſtimationem hominum, vile, abiectum, & aſpernabile: ea namque CHRISTVS commendat maximè, quæ mundus maximè auerſatur, & abominatur, quæ in
Matth.5. octo Beatitudinibus à Matthæo deſcriptis continentur. Eſt oſtium à paucis celebratum & frequentatum: paucorum enim eſt perfecta ſui mortificatio, & contemptus mundi, & ardens deſiderium cœleſtis vitæ, ad quas res per hoc oſtiũ fit ingreſſus; quamobrem pauciſſimi per hoc oſtium ingredi volunt. Eſt vnicum dumtaxat oſtium: non enim alius patet adi-
Act.4. tus ad cœlum, niſi per CHRISTVM. *Nec eſt aliud nomen ſub cœlo per quod quiſquam hominum ſaluus eſſe queat.* Eſt oſtium vniuerſale, quia omnibus eſt apertum & patens ad ſalutem. Eſt oſtium antiquiſſimum, quoniam ab initio vſque mundi vſque ad ipſius CHRISTI aduentum ſola fides CHRISTI venturi neceſſaria fuit ad æternam ſalutem comparandam. Eſt oſtium perquàm amabile, maximéque faciendum, quia per ipſum ingreſſi reperiunt tria cunctis mortalibus optatiſſima, Semper viuere; Perfectè ſapere, & vſquequaque atq; in æternũ animo, & corpore beatum, & felicem eſſe. Eſt oſtium inexpugnabile: nam cùm vniuerſus fermè mundus ad ipſum deſtruendum conſpirauerit, omnéſque ſuas vires contulerit, nihil profecit tamen, quin etiam ex ipſa expugnatione munitius atque firmius factum eſt. Huc ſpectat præclarum illud Dauidis de CHRISTO vaticiniũ; quod ſcriptum eſt in Pſalmo ſecundo, cuius initium eſt: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus*

uerſus Dominum & aduerſus CHRISTVM *eius*. Quæ verba propriè de Domino IESV intellexiſſe, atque vſurpaſſe Apoſtolos refert Lucas. *Act.4.*

QVARTA DISPVTATIO.

Explicantur illa verba:

Et ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. VERS. 9.

9. ILLORVM verborum: *Et ingredietur, & egredietur*, quæ ſit propria ſignificatio, & ſententia, variè ab explanatoribus huius Euangelij declaratur. Ego ſeptem reperio interpretationes. *Septem interpretationes.* Prima interpretatio: Iſtum loquendi modum eſſe hebraiſmum, eóque idem ſignificari, atque liberè, & ſecurè, & proſperè agere, atque conuerſari. Sic in Pſalmis dictum eſt: DOMINVS *cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* *Pſal.120.* Et in Capite decimo octauo libri primi Regum dicitur Dauid fuiſſe ingrediens, & egrediens in conſpectu populi: & B. Petrus dixit: *In omni tempore quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus* IESVS. *Act.1.* Id autem eſt, in omni tempore, quo in terris nobiſcum verſatus eſt. Senſus itaque iſtorum verborum, ſecundum primam hanc interpretationem, eſt huiuſmodi: Qui per oſtium, qui eſt CHRISTVS, intrauerit, quidquid agit, bene ſuccedet ei, & omnia eius dicta, facta, & ſtudia, & incepta proſperos exitus habebunt, & continget ei, quod ſub ſimilitudine arboris de viro iuſto ſcripſit Dauid: *Fructum ſuum dabit in tempore ſuo; & folium eius non defluet, & omnia quæcum-* *Pſal.1.* *Ierem.4.*

que faciet, proſperabuntur. Et quod Paulus ſcripſit: *Diligentibus* DEVM, *omnia cooperantur in bonum.*

Ad Rom. 8

Auguſtin. Secunda Interpretatio: B. Auguſtinus hæc verba 10.
ſic interpretatur: Ingredietur in Eccleſiam militantem, & in ea vſque ad finem perſeuerans, egredietur ad Eccleſiam triumphantem, & in vtroque inueniet paſcua: in illa inueniet gratiæ paſcua, quibus in exilio huius vitæ ſuſtentetur; in hoc reperiet gloriæ paſcua, quibus immortalem, & beatam in omni æuo degat vitam. Tertia Interpretatio, quæ eſt Chryſoſtomi: Ingredietur ad inſtruendos, & confirmandos Fideles, qui ſunt intra CHRISTI Eccleſiam: egredietur ad euangelizandũ Infidelibus, eóſque ad fidem CHRISTI conuertendos; & ad confutandos, & conuincendos Hæreticos, & Chriſtianæ religionis hoſtes profligandos. Quarta Interpretatio, quæ eſt Theophylacti: Ingredietur ad mundandam interiùs à peccatis, & virtutibus ornandam conſcientiam ſuam, vt placeat DEO: egredietur ad ordinandam exteriùs vitam, & conuerſationem ſuam, bonáque opera facienda, quibus ædificet Proximum, & glorificet DEVM.

Theophyl.

Quinta Interpretatio: Ingredietur ad contempla- 11.
tionem æternitatis, & diuinitatis CHRISTI, ſecundum quam habet eandem cum Deo PATRE ſubſtantiam, maieſtatem, omnipotentiam, & omniſcientiam, éſtque pariter cum ipſo Creator, conſeruator, gubernator, principium atque finis omnium: Egredietur ad conſiderandam CHRISTI Humanitatem, per quam ſimilis noſtri factus eſt. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*: & ad meditandum ea, quæ dixit, & fecit in carne ſua, quæ ſalutifera nobis bene viuendi documenta, exempla, & remedia præbent. Sexta Interpretatio: Ingredietur,

Ad Phil. 2.

interiori cogitatione animum ſuum excitans, & erigens ad meditationem rerum cœleſtium,& ad earum amorem atque deſiderium incendens:egredietur ad res humanas iuſtè tractandas, & ad officia virtutum exercenda, & ad ea perficienda, quæ ad ſpiritualem ipſius, & aliorum ſalutem conducant. Septima Interpretatio:Ingredietur per interius lumen fidei,conſiderando ſupernaturalia myſteria, & æterna bona: egredietur, per naturale lumen humanæ mentis, & ſenſuum exteriorum,conſiderando opera DEI, quæ ſunt in hoc mundo corporali, varietatem,& pulchritudinem: hæc enim diuinæ bonitatis, & potentiæ,ac ſapientiæ & ineſtimabilis erga nos beneficentiæ eius grauiſſima ſunt teſtimonia, & certiſſima argumenta, clariſſimáque præconia.

12. Sed quæ ſunt illa paſcua,de quibus hoc loco dicitur: *Et paſcua inueniet?* His verbis ſignificatur ei, qui per oſtium, qui CHRISTVS eſt,ingreſſus fuerit,nil defuturum, quod neceſſarium, vel vtile ſit ad ſpiritualis vitæ conſeruationem,accretionem, confirmationem, atque oblectationem. Ea verò paſcua reperiuntur in pia lectione ac meditatione ſacrarum ſcripturarum, in ſacramentorum confeſſionis, & EVCHARISTIÆ digna frequentatione, & in legendis ſanctorum Doctorum ſcriptis:in exemplis CHRISTI & ſeruorum eius contemplandis, atque imitandis: in creaturis DEI conſiderandis ea ratione, vt ſunt opera eius,& ad omnem eius voluntatem deſeruiunt ei; tam in auxilium, & ſolatium bonorum, quàm in vindictam,& punitionem impiorum. Nec in his ſolùm reperiuntur paſcua, verùm etiam in ipſis rebus aduerſis, calamitoſis, & in acerbiſſimis cruciatibus: hæc enim licet per ſe videantur homini aſpe-

Qualia ſint CHRISTI cultorũ, & ſectatorum paſcua.

ra,& odioſa, maximéque fugienda, perfectis tamen viris & in ſtudio virtutum diu multúmque exercitatis, fiunt dulcia,& optanda, & pro ſummo gaudio, & gloria habenda, ſicut Apoſtolus Iacobus dixit: *Om-*
Iacob.1. *ne gaudium exiſtimate fratres mei,cùm in tentationes varias*
Rom.5. *incideritis.* & Paulus: *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Atque hæc quidem ſunt paſcua iuſtorum hominum in hac vita. Beatorum autem pa-
1.ad Cor.2. ſcua in cœleſti Patria quis enarrare queat? *Neque enim*
Eſa.64. *oculus vidit, neque auris audiuit,neque in cor hominis aſcendit,* vt ait Scriptura, *quæ præparauit* DEVS *diligentibus*
Pſalm.35. *ſe.* Et illud Dauidis bene competit in Sanctos, qui ſunt in æterna fœlicitate. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Eodem quoque ſpectat quod de ſanctis reuelatum fuit B.
Apoc.7. Ioanni,& ab eo ſcriptum illis verbis: *Qui ſedet in throno, habitabit ſuper eos:non eſurient, neque ſitient ampliùs, nec cadet ſuper illos ſol,neque vllus æſtus, quoniam Agnus,qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes*
Eſa.25. *aquarum, & abſterget* DEVS *omnem lacrymam ab oculis*
Infra.21. *eorum.* Denique ad hanc DOMINI de paſcuis Iuſtorum ſententiam illuſtrandam, adhiberi poteſt totus ille Dauidis Pſalmus vigeſimus ſecundus. *D*OMINVS *regit me, & nihil mihi deerit:in loco paſcuæ,ibi me collocauit.*

***

QVIN

QVINTA DISPVTATIO.

De Oſtiario.

Super illis verbis:

Qui autem intrat per oſtium paſtor eſt ouium. Huic oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt. VER. 1. & 2.

Quid ſignificat Oſtiarius, quatuor Interpretationes.

13. QVID nomine Oſtiarij hoc loco ſignificetur, variæ ſunt ſententiæ. Chryſoſtomus *Chryſoſt.* iſtum Oſtiarium interpretatur Moyſen legiſlatorem Iudæorum. Alij putant ſignificari Deum PATREM, quia de eo CHRISTVS dixit: *Nemo poteſt venire ad me niſi* PATER *qui miſit me, traxerit eum.* *Ioann. 6.* Nonnulli exiſtimant, iſtum oſtiarium eſſe ſummum Eccleſiæ Pontificem, & CHRISTI vicarium in terris, legitimúmque B. Petri ſucceſſorem, cui ſpeciali quadam ratione à DEO datæ ſunt claues Eccleſiæ ad *Matth. 16.* claudendum, vel aperiendum, cuius præcipuum eſt munus alios in Eccleſiam admittere, & alios ab ea excludere, & arcere, quin etiam, ſi res exigat, aliquos iam intromiſſos, ab Eccleſia ejicere.

14. Satis veroſimilis ſatíſque probabilis videtur *Theophyl.* Theophylacti ſententia, qui Oſtiarij vocabulo ſignificari putat SPIRITVM ſanctum. ille enim principalis eſt ianitor, cuſtos & rector Eccleſiæ: ille claudit oſtium Eccleſiæ pecca-

toribus ob admiſſa peccata; ille aperit verè pœnitentibus, per ſacramentorum participationem, peccata remittendo & condonando ſupplicia: quapropter
Ioann.20. Dominus Diſcipulis ſuis dixit: *Accipite* SPIRITVM *ſanctum: quorum remiſeritis pecccata; remittuntur eis*: Sanè, ipſi ſacerdotes, qui Eccleſiæ adminiſtrant ſacramenta, & per ea remiſſionem peccatorum confitentibus ea, eorúmque pœnitentibus conferunt, ſunt in hoc tanquam vicarij ipſius SPIRITVS ſancti, qui non ſolùm ouibus ianuam Eccleſiæ aperit, ſed etiam Paſtoribus, ídque quatuor modis. Primò quidem eos ad paſtorale munus vocando, & aſſumendo; huiuſmodi enim ſunt legitimi Paſtores, ſecundum illud Pauli: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur à* DEO, *tanquam Aaron.* Nam qui ſe ipſos intrudunt, & vel pecuniis, vel ambitioſis obſequiis paſtoralem dignitatem ſibi comparant, iſtis ad Ouile, & ad paſcendas oues oſtium SPIRITVS ſanctus non aperit. Deinde aperit oſtium paſtoribus SPIRITVS ſanctus per interiorem illuminationem, & inſtructionem eorũ, docendo eos quemadmodum commiſſas ſibi oues bene paſcere, ac regere, tuerique debeant: eſt enim ars artium, & ſcientia ſcientiarum, cura, & guber-

Quatuor modis SPIRITVS *ſanctus aperit oſtium Paſtoribus Eccleſiæ.*

ad Hebr.8.

S.Gregor. natio animarum; vt copioſè oſtendit B. Gregorius in ſuo Paſtorali. Adhæc roborando paſtorum animos aduerſus res omnes contrarias bonæ gubernationi ouium, vt magno & inuicto animo omnia quæ adminiſtrationi muneris paſtoralis obſtare poſſunt, perrumpere, ac ſuperare valeant. Poſtremò mitigando, & molliendo labores, & moleſtias: quæ in paſtorali officio nec paucæ, nec leues ſunt; & quo paſtores maiori facilitate, ac ſuauitate, vberioríque fructu munus ſuum perficiant, ad ipſorum amorem,

amorem & reuerentiã, atque obediẽtiam inclinando eorum animos, qui fidei, & curę ipſorũ crediti ſunt, vt oues paſtorem ſuum libenter audiãt, ex animo, & ſincerè ament, reuerenter obſeruent, fidem eius dictis, & monitis habeant, præceptis obediant, & quocumque eas ille duxerit, pronis & gaudentibus animis ſequantur.

SEXTA DISPVTATIO.

De Ouili.

Super illis verbis:

Et alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc Ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum Ouile, & vnus Paſtor. VER. 16.

16. OVILE appellatur locus, in quo congregantur, & ad tempus aliquod manent oues: qui locus vt ſit idoneus, & commodus receptioni, & conſeruationi ouium, ſex res habere debet. Primò, vt ſit locus amplus, & bene capax omnium Ouiũ, vt oues commodè in eo manere queant. Deinde, vt ſit firmus, benéque munitus aduerſus latronum, & ferarum incurſiones. Tum, vt ſit bene tectus & cuſtoditus contra omnes frigoris, & imbrium, atque ventorum iniurias, & incommoda. Adhæc, vt ſit mundus à ſordibus, ne propter immunditiam, & fætorem loci, morbo inficiantur, & marceſcant oues. Præterea, vt ſit molliter ſtratus, quò poſſint in eo

Sex proprietates boni Ouilis.

commodius, & iucundius oues manere, ac requieſcere, & manſione in eo loco gaudere. Poſtremò, quia ſæpè ob turbidas cæli tempeſtates, non patet ouibus egreſſus ad paſcua, oportet in eo loco eſſe ſatis boni pabuli, ad oues aliquandiu inibi reficiendas & ſuſtentandas.

Sed attenta & curioſa ſcrutatio, & conſideratio il- 16.
lorum verborum Domini : *Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili*; quatuor excitat quæſtiunculas hoc loco minimè ſilentio prætereundas. Prima quæſtio. Per illa oues, ſecundum communem Doctorum interpretationem, intelliguntur Gentiles, qui erant eo tempore, & poſtea conuertendi erant per Apoſtolorum prædicationem ad fidem CHRISTI: quæritur itaque cũ illi tunc eſſent infideles, & idololatræ, quomodo verè appellati ſint oues CHRISTI. Reſpondeo, illos infideles verè appellatos eſſe oues CHRISTI triplici ratione: Primò iure creationis. CHRISTVS enim, quà DEVS erat, omnium hominum & fidelium, & infidelium, ſicut creator erat, ita gubernator, & conſeruator, & altor, ob idque etiam Paſtor, nomen enim paſtoris ſignificat altorem, rectorem, cuſtodem, atque conſeruatorem ouium. Deinde, iure hæreditario ipſius CHRISTI, cui DEVS in hæreditatem dederat dominationem, & poſſeſſionem omnium gentium. Dauid enim in Pſalmo ſecundo inducit DEVM PATREM ita loquentem Filio ſuo CHRISTO: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Adhæc, ratione æternæ electionis ad gloriam cœleſtem, & prædeſtinationis ad CHRISTI fidem, & gratiam: illi enim infideles ab æterno prædeſtinati fuerant vt ſuo tem-

Quatuor quæſtiones proponuntur.

Etiam infideles verè dicti oues Chriſti triplici nomine.

Locus Pſalmi ſecundi.

tempore crederent in CHRISTVM, & per eius fidem, & gratiam conſequerentur vitam æternam. Ob has igitur tres cauſas infideles illi verè appellati ſunt oues CHRISTI.

17. Secunda quæſtio: An qui apud Gētes ante CHRISTI aduentum erant verè boni, & iuſti coram DEO, haberent ouile aliquod diſtinctum ab ouili Iudæorum, an verò vnum, & idem cum Iudæis. Videtur enim omnium iuſtorum, quicumque illi fuerint ſiue Iudaici, ſiue Gentiles, vnum fuiſſe ouile, quia omnium eſt vnus DEVS, & vnus Dominus, & vnus finis vltimus, & eadem media ſimpliciter neceſſaria ad illum finem conſequendum: hæc autem ſunt ſupernaturale donum fidei, ſpei & charitatis. Sed contrà res habet: ouile namque ſignificat locum corporalem, & viſibilem, in quem congregantur oues, & per metaphoram denotat congregationem Fidelium ſub vna externa lege, & communibus quibuſdam ceremoniis religionis externæ, quibus inter ſe conſociati, in vnam quandam rempublicam adunantur. Gentiles autem aute CHRISTI aduentum, etiam qui iuſti fuerunt coram DEO, non cogebantur ſimul cum Iudæis in vnam coire ſocietatem, neque eiuſdem legis, & religionis externæ obſeruantia obſtringebantur. Immò verò neque omnes iuſti qui erant apud Gentiles, vno aliquo, & communi omnibus externo DEI cultu, & religionis modo continebantur; ideóque nullum erat commune omnibus ouile. Nam vt vna eſſet omnium hominum lex, & religio, & vnum ouile omnium, copioſiſſima DEI gratia opus erat, quæ in tempus MESSIÆ reſeruata fuerat. Felicitatem enim in tempore MESSIÆ futuram deſcribens Eſaias, mirabilem Gentium, & Iudæorum con-

ſociationem,& concordiam figurata locutione ſignificauit vocabulis animalium, quæ cum ſint naturâ ſua maximè fera, & ſæua,pacificè tamen, & concorditer ſimul viuerent cum animalibus manſuetis, & innoxiis.Iſaiæ verba ſunt hæc:*Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo cubabit: vitulus, & Leo, & ouis ſimul morabuntur:vitulus,& vrſus paſcentur:ſimul requieſcent catuli eorum: & Leo quaſi bos comedet paleas.* Atque huius tanti miraculi rationem,& cauſam aperiens, ſubiungit: *Quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes. In die illa radix Ieſſe, quæ ſtat in ſignum populorum, ipſum Gentes deprecabuntur.*

Locus Iſaiæ cap. XI.

Cur Eccleſia Chriſti licet per omnẽ Mũdũ diſperſa ſit, tantaq; hominũ varietate conſtet, vnum tamen dicatur Ouile, quinque redduntur cauſæ.

Tertia quæſtio: Quomodo nunc Eccleſia CHRISTI dicitur vnum Ouile,cum per omnes mundi regiones & terras ſit diſperſa,& ex omni hominum,qui ſub cœlo ſunt varietate conſtituta ſit. Dicitur vnum Ouile multas ob cauſas: primò, quia vnum habet in terris ſummum, & generalem omnium ouium viſibilem Paſtorem,cuius ductu, & magiſterio reguntur, erudiuntur, iudicantur, & quæ credenda & agenda ſunt,edocentur; hic autem eſt ſummus Pontifex Romanus, verus CHRISTI in terris vicarius, qui hoc tempore eſt Paulus Quintus. Deinde, quia eadem cunctis ouibus, vbicumque terrarum, & ex quacumque gente ſint, proponuntur paſcua doctrinæ,in ſacris ſcripturis, in decretis generalium Conciliorum,& ſummorum Pontificum; quarum rerum doctrina validam apud omnes auctoritatem habet. Traduntur etiam omnibus eadem paſcua percipiendæ gratiæ DEI in ſacramentis,quæ ſunt eadem apud omnes. Adhæc principalis DEI cultus & religio externis conſtans ceremoniis eadem eſt; præſertim verò venerandum Miſſæ ſacrificium: Denique, omnes vbicum

vbicumque ſint fideles vna communi lege diuina tenentur adſcripti, & nonnullis etiam Eccleſiaſticis legibus. Eſt autem lex velut ſepes huius Ouilis.

19. Quarta quæſtio: An ſicut Eccleſia CHRISTI in terris militans, ita quæ in cælis eſt triumphans, propriè appellari queat Ouile. Non videtur Eccleſiæ triumphanti nomen Ouilis, ſi proprietates Ouilis ſupra expoſitas ſpectemus, conuenire: Primò; quia in Ouili non eſt perpetua ouium manſio, ſed ad breue tantùm aliquod tempus: Sanctorum autem in cœlis perpetua eſt manſio. Deinde; quia in Ouili non eſt ouibus copia pabuli, & potus in omne tempus ſufficientis ouibus: at Beatis omnia ſuppetunt bona, & in omnem æternitatem. Adhæc, oues libentius, & iucundius extra Ouile paſcuntur, & vagantur, quàm intra ipſum manent: Cœlicolis autem ſumma eſt voluptas, & felicitas ſemper in cœlo eſſe, DEI q; ſui conſpectu & in illa cœleſti ciuitate, & ſocietate ſanctorum, & Angelorum, perpetuò manere. Poſtremò, quia Ouile eſt locus clauſus, & munitus propter metum latronum, & ferarum: in cœlo nullus Beatis vllius rei metus accidere poteſt: vt verè in eos illud dici queat, quod in Pſalmo nonageſimo ſcriptum eſt de viro iuſto: *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum, non accedet ad te malum; & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

An Eccleſiæ triumphãti nomẽ Ouilis propriè conueniat.

***

SEPTIMA DISPVTATIO.

De Ouibus.

Super illis verbis:

Et oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius: alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.

RECTE profectò veri DEI cultoris, præ- 20.
ſertim verò electi, & prædeſtinati à DEO
ad vitam æternam, ſæpenumero in diuina
Pſal.94. ſcriptura nominantur oues. *Nos autem,* inquit Dauid,
populus eius, & oues paſcuæ eius. Nomen enim, & ſimili-
tudo ouis bellè conuenit hominibus, & præcipuè
Duæ cauſæ ob quas nomen Ouis conueniat electis. electis. Nimirum, ouis eſt animal infirmum, ſibíque
ad vitæ ſuæ conſeruationem, ſuíque defenſionem
minimè ſufficiens, ſed indigens cura, & præſidio pa-
ſtoris. Nam neque habet arma, quibus alia animalia
appetat & lædat, nec quibus ſe ab illis defendat: non
habet velocitatẽ ad fugiendum, non calliditatem ad
ſe occultandum, & ſubducendum ſe inſectationibus
eorum: non habet naturalem ſolertiam, & quaſi pro-
uidentiam quandam ad paſcua ſibi neceſſaria per-
quirenda, ſibíque comparanda; ſed in his omnibus à
paſtore omnino pendet. Conſimili profectò ratione
homines, etiam iuſti, & electi, cunctis in rebus indi-
gent ductu, præſidio, & cura DEI. Veriſſimũ enim eſt
quod CHRISTVS Diſcipulis ſuis dixit: *Sine me nihil po-*
Ioann.15. *teſtis facere.* Deinde boni appellantur oues, quòd ſuis
inge

ingeniis, ſtudiis,moribus, & viribus mirificè referant proprietates ouium.Nempe,ouis eſt animal manſuetum,eſt humile, eſt innoxium, eſt ſociabile homini, eſt obediens paſtori, eſt omni ex parte vtile homini, lana videlicet,pelle,carne,lacte,& multis rebus, quæ ex lacte conficiuntur, quin etiam ſuo fimo, ſeu ſtercore. Hæc ipſa ſecundum moralem, & ſpiritualem ſenſum accepta, quemadmodum in ſe habeant homines iuſti & ſancti,facile eſt intelligere. *Sex proprietates ouium quas in ſe referunt iuſti.*

21. At enim(dicet quiſpiã)ſi oues ſignificant hoc loco electos, quomodo verũ eſt ſemper oues audire vocẽ paſtoris,cùm multi ex Electis,& Prædeſtinatis fuerint multo tẽpore impij, & infideles, & inſectatores atq; hoſtes Chriſtianæ religionis,& nominis CHRISTI, & ad hoc probandum ſatis fuerit vnius Pauli exemplum, qui erat electus,& prædeſtinatus, & nihilominus, priuſquam conuerſus eſt ad CHRISTVM, fuit contumelioſus, & blaſphemus in CHRISTVM, vt de ſe ſcribit ipſe ad Timotheum, & vt ſcribit Lucas, *Spirans minarum,& cædis in Diſcipulos Domini,* & Dominus dixit ei,*Saule,Saule quid me perſequeris?* Reſpondent quidam,Electos,cùm audiunt vocem DEI, tunc verè dici oues eius:cùm verò non audiunt vocem eius, non appellari propriè oues.Sed contra iſtam opinionem facit,quod Dominus ipſe hoc loco Electos, qui eo tempore erant inter infideles,appellauit oues ſuas, dicens: *Alias oues habeo,quæ non ſunt ex hoc Ouili.* B. Auguſtinus ita ſoluit hũc nodum:Electi non ſemper audiunt vocem DEI, ſicut non ſemper ſunt boni ; aliquando tamen audient,ſicut aliquando boni erunt; ob idque priuſquàm ex hac vita decedant, & oues fient DEI, & vocem eius audient.Sed hæc interpretatio ſimilis videtur ſuperiori.Breuiſſimum itaque ad *1.ad Timot. 1.* *Act.9.* *Auguſt.*

hanc dubitationem ſit illud reſponſum, Electos, eo tempore quo mali ſunt, oues eſſe DEI, & dici, non ſecundùm præſentem tunc illorum iuſtitiam, ſed ſecundum æternum DEI propoſitum faciendi eos oues ſuas, & ſecundum gratiam æternæ prædeſtinationis eorum ad gloriam cæleſtem.

OCTAVA DISPVTATIO.

De Paſtore.

Super illis verbis:

VERS.3.& 12. *Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & ante eas vadit. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.*

Exponuntur quinque proprietates boni paſtoris, & aliæ quinque proprietates mali paſtoris.

BONI paſtoris hæc ſunt quaſi clara quæ- 22.
dam inſignia, & illuſtres notæ, Amor ouiũ, & amor etiam illius, qui eſt verus, & proprius dominus ouium: Perpetua & ſingularis cura, & diligentia in paſcendo, & regendo, & cuſtodiendo oues: Induſtria, & prouidentia quærendi, & comparandi ea quæ ouibus neceſſaria, vel vtilia, & grata ſunt: Fortitudo animi ad propulſanda pericula, & aduerſa, quæ ouibus ſolent, & poſſunt accidere: denique Fidelitas erga dominum ouium, nullatenus fraudando eum vtilitatibus, atque emolumentis, quæ

quæ deberet ex ouibus capere. Inter eos qui fuère boni & laudati paſtores ouium, ſex viri præſtantiſſimi in ſacra ſcriptura maximè celebrãtur, Abel, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, Dauid. *Sex laudati in Scriptura paſtores.*

23. Mali autem paſtoris proprietates ſupradictis boni paſtoris proprietatibus planè ſunt contrariæ, eaſque propheta Ezechiel graphicè deſcripſit in Capite trigeſimoquarto; ſunt autem eiuſmodi: Paſcere ſe ipſum duntaxat, nec paſcendi gregem curam gerere vllam. Nec tantùm ſibi deligere optima quæque ex ouibus; & deterrima ouibus relinquere, ſed ea ipſa quæ relicta ſunt, pedibus conculcare ac fœdare; Nulla ouium cõmiſeratione tangi, non incõmodis earũ ſubuenire, nec mederi morbis; Nõ curare, an oues aberrent à grege, & præda fiant latronũ, & ferarũ: deniq; oues durè, auſterè, & aſperè regere ac tractare. Ezech. verba ſunt hæc: Hæc dicit Dominus Deus; *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nõ-ne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis, gregem autem meũ non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis: Sed cum auſteritate imperabatis eis: & cum potẽtia. Et diſperſæ ſunt oues meæ, eo quòd non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerſo colle excelſo: & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret.* *Malos paſtores oniũ quibus Ezechiel colori bus depinxerit.* *Locus Ezechielis. c. 34*

Ad hunc Ezechielis locum proculdubio ſpectauit B. Petrus, cum in prioris Epiſtolæ ſuæ Capite quinto ſcripſit illa verba: *Paſcite qui in vobis eſt gregem* DEI, *prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundum* DEVM, *ne-* *Locus 1. Petri cap. 5.*

que turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.

Sed in hac parabola Dominus quatuor præcipuas boni paſtoris proprietates deſignauit; primam illis verbis: *Proprias oues vocat nominatim.* ſecundam illis: *& educit eas.* tertiam illis, *& ante eas vadit.* quartam illis: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Hoc autem, vt eſt perquàm arduum & rariſſimum, ita excellentem paſtoris virtutem arguit, eximiámque laudem atque gloriam meretur. 24.

Super harum quatuor boni paſtoris proprietatum ſingulis diſtinctè ac propriè, breuiter tamen deinceps diſputandum eſt.

NONA DISPVTATIO.

Explicantur tres boni Paſtoris proprietates, quæ ſunt, vocare oues nominatim, & eas educere, & ante eas vadere.

Quid ſit vocare nominatim oues.

PRIMA proprietas boni paſtoris eſt, vocare nominatim oues ſuas: ſed quia ſub nomine, ac ſimilitudine paſtoris in hac parabola deſignatur paſtor non pecudum, ſed hominum, & qui non corpora hominum corporalibus paſcuis, ſed ſpiritualibus animos eorum paſcere debet; declarandum eſt, quid ſit, huiuſmodi paſtorem nominatim vocare oues ſuas; id autem eſt, homines ſuæ gubernationi, curæq́; ſubiectos. Eſt itaque nominatim vocare, omnium, & ſingulorum diſtinctè, ac propriè cognoſcere ingenia, propenſiones, vitia, virtutes, quid cuique proſit, aut noceat, quibus 25.

rebus

rebus egeat. Debet enim bonus paſtor animarum habere ſe ad eos quos paſcit, ſimiliter vt medicus ad ægrotos qui ſunt in publico Noſodochio: is enim non omnibus illis in commune vnum aliquod medicamenti genus præſcribit, ſed ſuũ cuique pro qualitate, & varietate morbi & temperamenti corporis vniuſcuiuſque ægroti, idque prius exploratum, & cognitum habere debet. In ſacra Scriptura dicitur DEVS nouiſſe Moyſem de nomine, id autem eſt diſtinctè, & propriè cognouiſſe, & familiariter atque amicè cum eo conuerſatum eſſe, & apud ſe honoratum, & pretioſum illum habuiſſe. Ergo vocare nominatim oues, quatuor denotat in paſtore; Primò diſtinctam notitiam ouium, deinde ſtudium & amorem erga oues, tum perpetuam circa illas curam, & ſollicitudinem, ac demum quandam velut conuerſationem & familiaritatem cum ipſis ouibus.

Bonus paſtor animarum ſimilis eſſe debet bono medico corporis

Locus Exodi cap. 33.

Vocare nominatim oues quatuor denotat, quæ in bono paſtore eſſe debent.

26. Secunda proprietas boni paſtoris eſt, oues educere ad lucem, videlicet hyberno tempore ad calorem, æſtiuo autem ad frigus opacum, ad aperta loca vel montoſa, vel campeſtria, ad lotionem, ad paſtum, ad potum, ad corporis agitationem, & exercitationem. Conſimili quadam ratione CHRISTVS eduxit homines ex tenebris ignorantiæ ad lucem veritatis, ex ſordibus peccatorum ad purioris vitæ cultum, & vſum, ex metu mortis, & inferni ad ſpem immortalitatis, & expectationem cæleſtis patriæ, ex ſeruili timore DEI ad filialem eius amorem, & reuerentiam, ex immodico ſtudio, & amore rerum terrenarum ad deſiderium bonorum cœleſtium.

Quid ſit educere oues

27. Tertia proprietas boni paſtoris eſt ante oues vadere. Sed videtur hoc contrarium eſſe conſuetudini paſtorum, qui ante ſe agunt oues, & ipſi ſubſequuntur

Quomodo dicatur paſtor ante oues ire debere.

gregem. Quidam aiunt, dictum hoc eſſe à Domino ſecundum morem paſtorum Paleſtinæ, vbi paſtores præire ſolebant oues. Sanè id nonnumquam fit & in aliis locis, vt cum opus eſt, paſtores antegrediantur gregem propter locorum vel ignorantiam vel aſperitatem, vel pericula itineris. CHRISTI certè gratia quemlibet iuſtum hominē & præuenit, & comitatur & ſequitur, ſignāter tamen hoc loco dicitur antecedere: ipſe enim CHRISTVS prior dilexit, & elegit oues ſuas, ipſe prior vocauit, & traxit eas ad ſe, ipſe præiuit exemplo vitæ, veritate doctrinæ, deſpicientia rerum terrenarum, contemptu mortis, victoria Diaboli, placatione, & propitiatione DEI, apertione aditus in cœlum, præparando omne genus medicinæ ad ſpiritualem curationem ouium, & abunde præparando ſpiritualia paſcua ad refectionem, & confirmationem, & accretionem earum.

An reſidentia Epiſcoporum in ſuis Eccleſiis ſit iuris diuini.

Ex tribus ſupradictis boni paſtoris proprietatibus 28.
argumentati ſunt nec pauci, nec incelebres Theologi, reſidentiam Epiſcoporum in ſuis Eccleſiis eſſe iuris diuini: ſunt autem Epiſcopi in Eccleſia CHRISTI tanquam paſtores, & homines eorum gubernationi & curæ traditi: ſunt tanquam oues ab illis ſpiritualiter paſcendæ, cuſtodiendæ ac regendæ. Hoc autem ius diuinum, quo tenentur paſtores reſidere in ſuis Eccleſiis, manifeſtè CHRISTVS conſtituit, & ſanxit, cum dixit paſtorem debere nominatim vocare oues ſuas, & educere eas, & ante eas vadere, & vt paſtor cognoſcat oues ſuas, & ipſæ cognoſcant eum, & vocem eius audiant, & vt paſtor animam ſuam det pro ouibus ſuis. hæc enim præſtare non poteſt paſtor, niſi præſens reſideat apud gregem ſuum: ergo huiuſmodi reſidentia paſtoris apud gregem (id autem

autem eſt, epiſcopi in ſua Eccleſia) eſt iuris diuini, quo adſtrictus tenetur Epiſcopus. Ad hoc item comprobandum adferunt illud Salomonis ex Capite decimo ſeptimo libri Prouerbiorum: *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, gregéſque tuos conſidera.* Ad hoc ipſum firmandum putant valere plurimum illam B. Pauli ſententiam: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos* SPIRITVS *ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam* DEI, *quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Et hæc quidem eſt iſtorum Theologorum ſententia, & præcipua eius ſententiæ firmamenta. Sed quæſtio hæc de reſidentia Epiſcoporum grauior, & operoſior eſt, quàm vt obiter in hoc loco diſceptari & diiudicari queat.

Locus libri Prouerbiorum ca. 17.

Locus Actorũ Apoſtolorũ cap. 20.

DECIMA DISPVTATIO.

XPlicatur quarta proprietas boni paſtoris, quæ ſignificatur illis verbis: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* VERS. 12.

29. DVobus modis fieri poteſt vt paſtor animam ſuam ponat pro ouibus ſuis: primò, vt aperte pro ouium ſuarum cuſtodia, & defenſione acriter fortitérque propugnans mortem oppetat, à latronibus vel à feris interfectus: vel non apertè, & citò, ſed latenter, & lentè paſtor ponit animam ſuam pro ouibus, cum propter magnos & aſſiduos labores, quos in paſcendis, & cuſtodiendis ouibus perfert, vita eius minuitur, mórſque acceleratur, aut in graues, & lethales morbos incidit, & citius moritur. CHRISTVS Dominus noſter priori

Duobus modis paſtorẽ ponere animam ſuam pro ouibus.

Septem modis Chriſtũ dediſſe animam ſuam pro ouibus ſuis.

modo, qui excellentior eſt, animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis: nec iſto tantùm modo, ſed aliis etiam pluribus modis. Ipſe namque animam ſuam dedit in pretium redimendis ouibus, in medicamentum ſanandis, in documentum, & exemplum erudiendis & inſtruendis, in alimentum paſcendis & nutriendis, in lauacrum abluendis, in ſacrificium expiandis, in præmium cœleſti felicitate glorificandis.

Quàm excellentis ac perfectæ virtutis fuerit Chriſtum animam ſuam poſuiſſe pro ouibus, quatuor ex rebus demonſtratur. *Iob. 2.* *Matth. 16.* *Ioann. 15.*

Quanti porro æſtimandum ſit CHRISTVM animam ſuam dediſſe pro ouibus, quatuor ex rebus licet intelligere. Primò ex magnitudine operis, quia nihil homini quàm ſua ei anima carius, & pretioſius eſt. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua.* & Dominus dixit, *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur? aut quam commutationem dabit homo pro anima ſua?* ſua igitur cuique anima carior eſt vniuerſo mundo: paſtorem itaque animam ſuam dare pro ouibus manifeſtum eſt, certúmque argumentum, oues ab eo maximè diligi. vnde Dominus dixit, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* 30.

Ioann. 10.

Deinde CHRISTVS animam ſuam pro ouibus ſuis poſuit ſua ſponte, magnáque voluntate ſua, ſicut ipſe dixit: *Nemo tollit animam meam à me: ſed ego pono eam à me ipſo.* Iudæi quidem ei animam abſtulerunt, ſed permittenti, & vehementer optāti; & alij quidem Martyres vltro ſe obtulerunt morti, ſed quam tamen ſi non tunc, poſtea vellent nollent ſubituri erant. Dominus autem IESVS quantum in ipſo fuit, minimè obnoxius morti fuit; non erat obnoxius legi mortis, ſed ei ſe pro noſtra ſalute voluntariè ſubiecit, atque obiecit. Ad hæc, quod CHRISTVS animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, fuit opus gratiſſimum, & acceptiſſi- 31.

ceptiſſimum DEO, ſicut ipſe hoc in loco ait: *Propterea me diligit* PATER, *quia pono animam meam.* Cuius rei fuit ſignum, quod licet quælibet CHRISTI actio infiniti eſſet meriti, & infinito digna præmio; attamen præcipua quadam ratione dicitur CHRISTVS per paſſionem, & mortem ſuam meruiſſe nominis ſui exaltationem & gloriam ſuper omnia, teſtante hoc Paulo illis verbis: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod &* DEVS *exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* *Ad Philip. 2.*

32. Poſtremò, præſtantia huius operis, quod fecit CHRISTVS ponendo animam ſuam pro ouibus ſuis, æſtimari debet ex dignitate perſonæ eius. Fuit enim homo, ſimúlque DEVS, ideóque ipſe dixit hoc in loco: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* quod eſt hominis: *& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* quod eſt hominis, & DEI. Nec maximam habet admirationem, paſtores nonnullos ouium pro earum cuſtodia, & defenſione animam ſuam poſuiſſe; quippe illi ex ouibus ſuis ingens capiebat lucrum & emolumentum, quo fit, vt illi oues ſuas amaret amore concupiſcentiæ, non autem amicitiæ, id autem eſt, non propter ipſas oues, ſed ſuæ tantùm vtilitatis cauſa. Non ſic CHRISTVS: is enim ouibus ſuis nullatenus indigens, in tantum eas amauit, vt mortem pro earum ſalute acerbiſſimam, & turpiſſimam ſubire non dubitauerit.

33. Sed nonnihil habet difficultatis illud CHRISTI dictum, quod eſt in verſu decimoſeptimo huius Capitis: *Propterea me diligit* PATER, *quia pono animam meam, vt iterum ſumam eam.* quid enim illud fuit in *Quid fuerit in Chriſto, quod poſuit animã eius, & iterũ ſumpſit eam.*

CHRISTO, quod poſuit animam, & iterum ſump-
ſit eam? Nempe quatuor tantùm in CHRISTO fue-
runt, Natura diuina, & diuini VERBI perſona, &
Anima, & Corpus: Sed priora duo ne puncto quidem
temporis depoſuerunt, ſiue dimiſerunt vel animam
vel corpus ipſis vnita inſeparabiliter. Neque anima
depoſuit ſeipſam, nec iterum ſumpſit ſe, vt per ſe ma-
nifeſtum eſt; nec item corpus, quod in animam po-
teſtatem non habet ponendi eam, & iterum ſumendi.
Auguſt. Reſpondet B. Auguſtinus, iſtud CHRISTI dictum
intelligi debere de CHRISTI carne non præciſè, vt
caro erat, ſed vt erat VERBO DEI vnita; VERBVM
enim DEI ſubſiſtens in illa carne dimiſit animam
non à ſe, ſed à carne ſua, ſeparando animam videlicet
à corpore per mortem: & iterum ſumpſit eam, per re-
ſurrectionem, animam iterum cum corpore con-
iungendo.

Sed illud promptius, & facilius ad iſtam quæſtio- 34
nem fuerit reſponſum: ſi vocabulo animæ ſignifica-
ri dicamus hoc loco vitam corporalem, quæ conſi-
ſtit in coniunctione cum corpore. hac enim ſignifi-
catione & in vetere & in Nouo teſtamento fre-
quentiſſimè nomen animæ vſurpatur: quòd autem
in CHRISTO vitam corporalem obiecit morti,
VERBVM fuit diuinum. nam quod aiunt quidam,
id fuiſſe coniunctum ex DEO & homine, quemad-
modum in Symbolo Athanaſij canit Eccleſia: *Sicut
anima rationalis & caro vnus eſt homo; ita* DEVS *& ho-
mo vnus eſt* CHRISTVS. hoc inquam iſtorum di-
ctum minimè conſiſtit, quia iſtud coniunctum de-
ſijt eſſe in triduo mortis CHRISTI. homo enim cō-
ſtituitur ex coniunctione animæ cum corpore, quæ
in illo triduo mortis ſunt inuicem ſeparata. Quapro-

pter

pter licet iſtud coniunctum potuerit animam ponere, non tamen potuit iterum illam ſumere.

VNDECIMA DISPVTATIO.

De Fure.

Super illis verbis:

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſ- Vers. 1. 8.
cendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Omnes quot- 10.
quot venerunt, fures ſunt, & latrones, & non audierunt eos oues. Fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat.

40. HIs verbis deſcribitur duplex furis ouium proprietas: altera eſt, furi oſtiarius ouilis nō aperit oſtiū, nec ille per oſtiū intrat in ouile, ſed aliunde aſcendendo vel per feneſtram vel per tectum, vel rupta per vim clauſura ouium. Altera furis ouium proprietas eſt, quòd fur non intrat ad oues in bonum earum, vel paſtoris, & domini earum, ſed vt furetur auferendo eas, vel mactet occidendo eas, vel perdat malè tractando, vel huc illuc diſſipando, idq; inuidētia, & odio paſtoris, & domini ouium. Sub nomine autem, & ſimilitudine furis deſignantur hoc loco auctores falſarum ſectarum, & corruptores bonorum morum, qui populum fidelem à ſinceritate veræ fidei & doctrinæ, & obſeruantia diuinæ legis auertere, & vitiis, & noxiis erroribus inficiendo, ſecundum animam occidere, & in æternam perditionem adducere conantur.

Duæ proprietates furis ouium.

Quid ſignificetur per ſimilitudinem furis.

Quomodo alij omnes præter Chriſtũ fuerint fures ouium, triplex Interpretatio. Matth. 11.

Sed illud CHRISTI dictum non facilem intel- 41.
lectu habet ſententiam: *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones.* An Moſes, & Prophetæ, ſanctiſſimi viri, & fideliſſimi paſtores populi DEI, fures fuerunt? An fur Ioannes Baptiſta fuit, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, & qui illuſtriſſimo ipſius CHRISTI præconio mirificè commendatus eſt? Tribus modis hæc difficultas explicari ſolet. Primò, quidam in ſupradictis verbis Domini legunt illam particulam *Ante me.* Hoc modo: *Omnes quotquot venerunt ante me, fures ſunt.* Eam namque particulam habent codices Græci. Secundum hanc itaque lectionem aiunt, iſtis verbis ſignificari eos, qui veniunt ad oues, non poſt CHRISTVM, id eſt, Chriſtiana charitate, & vocatione, & obſequio, & amore, & imitatione, ſed ante CHRISTVM, id eſt, nullo CHRISTI reſpectu ſe ipſos faciunt paſtores, & dominatores ouium. At enim ſcire conuenit, particulam illam *ante me* quæ in libris Græcis, qui nũc ſunt, legitur hoc loco, non eſſe in emendatis codicibus Latinis, nec fuiſſe olim in Græcis libris, propterea non improbabilis eſt coniectura, nec vana fides, quòd Græci iſtam particulam in ſuis commẽtarijs tacitam prætererint, non fuiſſe eam in textu Græco. Sed quamuis iſta particula eſſet in textu ſacræ Scripturæ, iſtorum tamen interpretatio minimè approbanda eſſet tanquam litteralis, ſed tantùm vt myſtica. Altera interpretatio eſt, in iſtis verbis ſubintelligi debere illud quod CHRISTVS paulo antè dixerat: *Qui non intrat per oſtium, ſed aſcendit aliunde, fur eſt.* Quot igitur venerunt, non intrantes per oſtium, fures fuerunt: Sancti autem omnes ante CHRISTI aduentum, intrauerunt per oſtium, quia per CHRISTI venturi fidem iuſtificati

cati & ſaluati ſunt,& ad docendum,& regendum populum DEI, ab ipſo DEI miſſi ſunt. Tertia interpretatio eſt, illo verbo *venerunt* ſignificari eos qui non à DEO vocati,& miſſi ſunt,ſed ſua ſponte,ſuáque cupiditate adducti ſunt ad ſumendum munus paſtorale: in quos congruè dici poteſt illud, quod per Ieremiam dixit DEVS: *Non mittebam prophetas,& ipſi currebant:*& illud per *Oſeam dictum à* DOMINO*: Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* *Ierem. 13. Oſeæ 8.*

DVODECIMA DISPVTATIO.

De Mercenario,& de Lupo.

Super illis verbis:

Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit; & lupus rapit,& diſpergit oues:mercenarius autem fugit,quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. VER.12.& 13.

43 MERCENARIVS quibuſdam rebus ſimilis eſt bono paſtori: nam & per oſtium intrat ad oues ab ipſo admiſſus oſtiario: & bona paſcua quærit, & præbet ouibus, bonámque ac diligentem earum curam gerit,quoad videlicet nihil ſuę vtilitati, aut cupiditati contrarium accidit. Differt autem à paſtore,quod ſui amore,non autem ouium, vel proprij earum domini paſtorale munus ſuſcipit, & exercet:ex quo fit, vt tantiſper oues paſcat, & regat,& cuſtodiat,dum emolumentum ſperat.Si autem *Quibus rebus Mercenarius ſimilis ſit & diſſimilis bono Paſtori.*

Digitized by Google

cõtrarium quid eueniat, vt aliunde plus vtilitatis ſperet, aut ſi ex cura ouium magnum ſibi quódpiam timeat damnum, oues deſerit, & hoſtibus earum obiectas, fugiens ipſe derelinquit. Et hoc facit, inquit DOMINVS, quia mercenarius eſt, & non ſunt propriæ eius oues. Fugiunt ſanè nonnunquam etiam boni paſtores, cum hoſtili perſecutione premuntur; ſed tunc tantùm fugiunt, cum perſecutio nõ propter gregem commota eſt, ſed propriè perſonam ipſius paſtoris petit; & cum propter paſtoris abſentiam ad aliquod tempus perſecutio parũ damni apportatura eſt gregi: & vitæ paſtoris conſeruatio plurimum deinde gregi prodeſſe poteſt: & ad huiuſmodi fugã Dominus Diſcipulos ſuos & documento & exemplo hortatus eſt.

Fugit nõnũquam Paſtor, ſed aliter quàm mercenarius.

Matth. 10.

Sed dicet quiſpiam; ſi omnes ſunt mercenarij, 44.
quorum non ſunt propriæ oues, ergo nullus præter CHRISTVM, cuius propriæ ſunt oues, id eſt, omnes fideles, erit bonus paſtor, alij verò omnes curam fidelium gerentes, mercenarij erunt. Ad hoc ita reſpõdendum eſt: Charitas facit, vt qui CHRISTVM verè amant, vnum quodammodo & idem ſint atque ipſe CHRISTVS, & quæ illius ſunt, non minus, immò multo magis quàm ſi propria eſſent, ament, & curent: in quos nempe quadrat etiam illud Pauli dictum: *Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me* CHRISTVS. & illud eiuſdem: *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* Quapropter non minus iſti ſtudioſè & curioſè paſcunt oues, nec minus fortiter pro illis pugnant, nec minus intrepidè ſeſe hoſtibus earum etiam cum ſummo vitæ ſuæ periculo opponunt, quàm ſi propriæ ipſorum eſſent oues. Ergo fideles ſunt propriæ oues CHRISTI per creationem, & per redemptionem, & viuificum paſtum & potum ex carne, & ſanguine ipſius

Quomodo alij Paſtores præter Chriſtum, quorum nõ ſunt propriæ oues, non ſint mercenarij.

Ad Galatas 2.
1. ad Cor. 6.

Digitized by Google

ipſius; ſunt oues etiam aliorum per affectum & communicationem charitatis qua ſancti viri CHRISTVM & quæ ſunt eius, magis quàm ſe ſuáque diligunt.

45. Super eo autem quod dixit Dominus de lupo: *Mercenarius videt lupum venientem, & fugit, & lupus rapit & diſpergit oues*, poſſunt duæ proponi quæſtiunculæ: Altera eſt, cur ex animalibus quæ ſunt inimica, & infeſta ouibus, Dominus in hac parabola potius nominauerit lupum, quàm leonem, & vrſum, quæ inimica & noxia ouibus non obſcurè ſignificauit ſacra Scriptura referens verba illa, quæ dixit Dauid regi Saul: *Dixit Dauid ad Saul: Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo (vel vrſus) & tollebat arietem de medio gregis: & ego perſequebar, & percutiebam eos, & eruebam de ore eorum: illi autem conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam atque interficiebam eos. nam leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus.* Reſpondeo; duas ob cauſas magis infeſtum, & horrendum ouibus eſſe lupum, quàm leonem, & vrſum: primò quidem, quia lupus eſt frequentior, & perpetuus fermè hoſtis, & inſectator Ouium: Leones enim, & vrſi non in omnibus terris inueniuntur, lupi autem in omnibus ferè locis inueniuntur, in quibus verſantur greges ouium: éſtque lupus ouium hoſtis inſidioſior, aſtutior, rapacior, atque voracior, quàm vllum aliud animal. Deinde maior quædam naturalis antipathia eſt in ouibus aduerſus lupos quàm aduerſus alia animalia: quo fit, vt aſpectū & vocem lupi, quàm vllius aliorum animalium vehementiùs exhorreſcant oues: & naturalem hanc inter oues repugnantiam, & lupum indicauit ſacra Scriptura in Capite decimotertio libri Eccleſiaſtici illis verbis: *Si communicabit aliquando lupus agno, ſic pec-*

Cur inter animalia infeſta ouibus Dominus in hac parabola potius nominauerit lupum quam leonem vel vrſum.

1. Reg. 17.

Locus Eccleſiaſtici c. 13. & Iſa. c. 11.

cator iuſto. & Iſaias pro ingenti miraculo futurum prædixit, vt in tempore MESSIÆ lupus, & agnus ſimul innoxiè habitarent.

Quid in hac parabola ſignificetur per lupum. Altera quæſtiuncula eſt, quid in hac parabola per 46. lupum venientem, & diſpergentem oues ſignificetur. Proculdubio ſignificantur falſi Prophetæ; de his *Matth. 7.* enim dixit CHRISTVS: *Attendite vobis à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Significantur etiam Hæretici, quos deſignauit Paulus loquens Epiſcopis Aſiæ, cum dixit: *Act. 20.* *Scio quia poſt diſceſſionem meam intrabunt lupi rapaces in* *Sophon. 1.* *vos, non parcentes gregi.* Sophonias propheta malos Iu- *Ezech. 22.* dices populi appellauit lupos veſpertinos: Ezechiel quoque principes in populo Iuda nequaquam populi vtilitatibus conſulentes, ſed cupiditati tantùm ſuæ ac libidini ſeruientes, dicit fuiſſe lupos in medio hominum verſantes, & prædas ex illis captantes.

Alter ſermo CHRISTI habitus cum Iudæis in Feſto encæniorum, & à Ioanne enarratus in poſteriore parte huius Capitis decimi à verſu vigeſimo ſecundo vſque in finem Capitis.

SVPERIOREM Domini ſermonem de Pa- 47. ſtore, & Ouibus, alter hic eiuſdem ſermo habitus in feſto Encæniorum non eſt proximè conſecutus, ſed interiecto duorum menſium interuallo. Videntur enim quæ narrauit Ioãnes à Capite ſeptimo vſque ad hunc ſermonem ea dicta, & facta eſſe circa feſtum ſcenopegiæ, quod in menſe ſeptimo anni Iudaici agebatur à Iudæis. Hoc verò

mani

manifeſtum fit contextum Euangelicæ Hiſtoriæ Ioānis conſideranti. Hic autem ſermo habitus eſt in feſto encæniorū, quod celebrabatur à Iudæis in menſe nono. Multa porrò in illo bimeſtri temporis ſpatio, quod inter iſta duo feſta interceſſit, ſanè quàm memorabilia, & notabilia CHRISTVS dixit, & fecit, à Ioanne prætermiſſa, ſed à Luca ferè prodita memoriæ inter ea quæ commemorantur ab ipſo à Capite decimo vſque ad decimumquartum.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

De Feſto Encæniorum, & de aliis vndecim feſtis Iudæorum, & de Porticu Salomonis.

Super illis verbis:

Facta ſunt encænia in Ieroſolymis, & hyems erat; & ambulabat IESVS in templo, in portu Salomonis. VER. 23. & 24.

48. ENCÆNIA vox Græca eſt à verbo Græco καινίζω quod ſignificat nouare, ſiue innouare aut inſtaurare. Agebatur enim feſtum Encæniorum in memoriam factæ olim inſtaurationis, & renouationis templi Ieroſolymitani: dicebantur autem plurali numero Encænia, quia per octo dies ſolemnitas illa celebrabatur. Sed in ſacra Scriptura legimus duplicem eſſe factam tēpli inſtaurationem, & renouationem; & prior quidem facta eſt poſt reuerſionem Iudæorum à captiuitate Babylonica, ſummo Iudæorum pontifice Ieſu, & prin *Duplex renouatio tēpli Ieroſolymitani.*

principe Zorobabele, prophetantibus Aggæo & Zacharia, in anno ſexto regni Darij regis Perſarum, ſicut narratur in capite ſexto prioris libri Eſdræ. Poſterior autem renouatio templi facta eſt à Iuda Machabęo duce & principe populi Iudaici, poſt feliciter debellatos atque profligatos duces & exercitus regis Antiochi Epiphanis crudeliſſimi Iudæorum hoſtis: cuius renouationis hiſtoria in capite quarto prioris libri Machabæorum diſertè ſcripta eſt. Quæritur itaque in vtrius iſtarum duarum renouationis templi memoriam, prioris ne, an poſterioris feſtum illud encæniorum ageretur. S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & Caietanus in Commentariis ſuis in Euangelium Ioannis, & ſuper hoc loco aiunt, feſtum Encæniorum in memoriam prioris renouationis templi inſtitutum eſſe, & à Iudæis celebratum; ſed iſtorum ſententiæ duo aduerſantur. Nuſquam enim in ſcriptura legitur propter priorem illam renouationem templi inſtitutum fuiſſe tunc feſtum aliquod vel à Iudæis vllo anni tempore celebrari ſolitum. Deinde prior illa templi renouatio facta eſt in menſe vltimo anni Iudaici, quem menſem Iudæi vocabant Adar, iſque reſpondebat noſtro Februario, quo tempore in terra Paleſtinæ finiebatur hyems: at feſtum Encæniorũ agebatur vigente hyeme, quod non obſcurè ſignificauit hoc loco Ioannes, cùm dixit: *Facta ſunt encænia in Ieroſolymis, & hyems erat.*

In vtrius renouationis templi memoriam ageretur feſtũ Encæniorũ

Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Caietan.

Feſtum igitur Encæniorum inſtitutum eſt, & à 49
Iudæis celebrari ſolitum in memoriam renouationis templi quæ à Iuda Machabæo facta eſt in vigeſimo quinto die menſis Caſleu, qui erat menſis nonus anni Iudaici, reſpondens noſtro Decembri. De feſto tũc inſtituto ſic in quarto capite prioris libri Machabæo

chabæorum ſcriptum eſt: *Et ſtatuit Iudas, & fratres eius, & vniuerſa Eccleſia Iſrael, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis ab anno in annum per dies octo, à quinta, & vigeſima die menſis Caſleu cum lætitia, & gaudio.* Cum eo quod hîc dicitur, benè cógruit feſtum Encæniorum. nam & agebatur per octo dies, & in hyeme, vt hoc loco ait Ioannes, hyems autem in Iudæa maximè vigebat in nono menſe anni Iudaici. Ioſephus ſcribit in capite vndecimo libri duodecimi de Antiquitatibus Iudaicis, feſtum hoc Encæniorum eſſe appellatum à Iudæis feſtum luminum, propterea quod tantæ illius de hoſtibus victoriæ à Iuda Machabæo partæ felicitas inſperato eis illuxiſſet. *Ioſephus.* *Feſtum Encæniorũ cur vocatum ſit feſtum luminum.*

50. Sed vellem hoc loco duo Lectorem animaduertere, & cum animo ſuo reputare: Alterum eſt, quanta fuerit apud Iudæos auctoritas, & veneratio rerum geſtarum à Iuda Machabæo, & fratribus eius, vt ſolemne, & octiduum feſtum ab illis inſtitutum per ducentos deinceps annos religioſè obſeruatum fuerit à Iudæis. Non itaque immeritò Chriſtiana, & Catholica Eccleſia duos libros de rebus geſtis Machabæorum tanquam canonicos, & ſacros colit atque veneratur. Alterum eſt, ſi Iudas Machabæus princeps in populo DEI, & quæ tunc erat Eccleſia Iſrael, auctoritatem habebant inſtituendi dies feſtos, eorúmque obſeruantia non tantùm præſentes tunc Iudæos, ſed omnem etiam deinceps eorum poſteritatem obligauit: quanto magis putandum eſt eiuſmodi auctoritatem reſidere in CHRISTI Eccleſia, & penes maximum eius Principem, atque Pontificem? *Duo documenta.*

51. Sed quia de feſto Encæniorum dictum eſt hoc loco, ſcire lectorem volumus, duodecim feſta fuiſſe ſolemnia à Iudæis agi, & celebrari ſolita, quorum ſe- *Duodecim feſta Iudæorum, & eorum ſeptem lege Dei præſcripta.*

ptem erant lege DEI conſtituta, quinque autem auctoritate Principum populi, & ipſius Synagogæ fuerant inſtituta. Septem feſtorum ſecundum legem DEI, vnum erat hebdomadarium in ſeptimo die cuiuſque hebdomadæ agi ſolitum, & vocabatur ſabbatum. Alterum erat feſtum menſtruum in principio cuiuſque menſis agi ſolitum, & appellabatur feſtum Neomeniæ, ſiue Calendarum: reliqua feſta erant annua ſemel in vnoquoque anno celebranda. Tertium feſtum erat Phaſe ſiue Paſcha, & in decimo quarto die primi menſis, & deinceps per ſeptem dies agebatur. Quartum feſtum erat Pentecoſte in tertio mēſe anni, & quinquageſimo die à feſto Paſcha celebrari ſolitum. Reliqua tria feſta celebrabantur in mēſe ſeptimo; nam quintum feſtum quod vocabatur Tubarum, agebatur in primo die ſeptimi menſis: in decimo autem die eius menſis agebatur ſextum feſtum, quod nominabatur Expiationis, & poſt hoc celebratur per octo dies feſtum Scenopegiæ, ſiue tabernaculorum. De iſtis feſtis videat lector Exodi caput vigeſimumquartum, & Leuitici vigeſimumquintum, & libri Numerorum vigeſimumoctauum. Rationes autem inſtitutionis iſtorum feſtorum legi poſſunt apud B. Thomam in prima ſecundæ in quæſtione centeſima ſecunda, eiuſque articulo quarto in reſponſione ad decimum.

Quinque feſta Iudæorum auctoritate Principum populi & Synagogæ inſtituta.

Quinque porro fuere feſta non lege DEI, 50.
ſed auctoritate Principum populi, & ipſius Synagogæ inſtituta: vnum fuit ob victoriam Iudith de Holoferne, vt traditur in vltimo capite libri Iudith. Secundum feſtum inſtitutum eſt à Mardochæo ob liberationem vniuerſæ gentis Iudæorum à ſupremo exitio, quod eis machinatus fuerat Aman, & agebatur

tur in decimo quarto die menſis Adar, qui erat vltimus menſis anni Iudaici, de quo ſcriptum eſt in nono Capite libri Eſther. Tertium feſtum à Iuda Machabæo inſtitutum eſt ob inſignem victoriam de Nicanore duce exercitus Antiochi Regis Epiphanis, & agebatur pridie ſupradicti feſti Mardochæi, de quo proditum eſt in fine poſterioris libri Machabæorum. Quartum feſtum ab eodem Iuda Machabæo inſtitutum eſt ob purgationem templi à Gentibus profanati, eiúſque pluribus rebus deſtructi inſtaurationem, & renouationem, agebatúrque vigeſimoquinto die noni menſis per octo dies, & vocatum eſt feſtum Encæniorum. Quintum feſtum fuit inſtitutum à Simone Machabæo ob acceptam arcem Sion, eiecto inde præſidio gentium, vt ſcriptum eſt in Capite decimo tertio prioris libri Machabæorum. Iſtiuſmodi autem quinque feſtorum nullius; præter feſtum Encæniorum, mentio fit in Nouo Teſtamēto, quam ob rem coniectant quidam, obſeruantiam eorum feſtorum, ante CHRISTI aduentum exoleuiſſe.

53. Sed in illis verbis, quæ proximè ſequuntur: *Ambulabat* IESVS *in templo, in porticu Salomonis*: ſubobſcurum eſt, quæ fuerit illa porticus Salomonis. Non temerè quidam opinantur, fuiſſe eam porticum quæ deſcribitur in ſexto Capite libri tertij Regùm, quam fecit Salomon ante faciem templi, longam cubitis viginti, ad menſuram nempe latitudinis templi, latam verò decem cubitis. Hæc Salomonis cognominata eſt, vel quòd in ea Salomon manere conſueuiſſet quo tieſcumque publicè ad populum concionaretur; vel quia in ea commorari ſoleret, quoad peragerentur in templo ſacrificia; vel ſecundum Magiſtrum Hiſto-

Quæ fuerit illa porticus Salomonis, & curſic appellata ſit.

Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ.

riæ Scholaſticæ, quòd in ea Salomon columnam æream erexerat,& ſuper ea fecerat Oratorium,in quo flexis genibus præclaram illam ad DEVM habuit Orationem, quæ commemoratur in octauo Capite libri tertij Regum. At enim illa ipſa porticus, quam Salomon extruxerat,à Chaldæis ſimul cum illo templo deſtructa fuerat;ea verò in qua CHRISTVS ambulabat,poſtea in refectione tẽpli vel à Zorobabele,vel ab Herode cõdita fuerat. Sed quia omnino ad ſimilitudinem illius facta erat, propterea etiam hæc Salomonis appellationem retinuit. In hac putant nonnulli CHRISTVM docuiſſe populum, quotieſcumque dicitur in hiſtoria Euangelica, cum docuiſſe in templo.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS.29. *Et non rapiet eas quiſquam de manu mea. PATER meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt.*

PLVRIBVS verbis Dominus oſtendere 54.
voluit Iudæis, oues ſuas fore ſemper ſub eius præſidio & tutela omnino tutas & ſecuras, neque vmquam fore quempiam, qui eas de manu ſua rapere valeat. Verùm duplex huius loci eſt lectio. Altera eſt ea, quam in titulo huius diſputationis propoſuimus, & quam habent omnes codices Latini, & ſecuti ſunt Hilarius, & Auguſtinus, cæteríque Patres Latini. Secundùm hanc lectionem

Duplex lectio huius loci.

nem illud: *Quod dedit mihi*, ſignificat diuinam ſapientiam, & potentiam, & ſubſtantiam ipſam diuinam, quam PATER dedit FILIO, ab æterno ipſum generando. Illud verò *maius omnibus eſt*, in vniuerſum dicitur de omnibus rebus à DEO creatis. Sic igitur argumentatur CHRISTVS: Potentia, quam dedit mihi PATER meus, maior eſt omni alia potentia; ſum igitur ego potentior, & fortior ad oues meas defendendas, & cuſtodiendas, quàm vllus eſſe queat ad eas rapiendas. Alij per illud: *Quod dedit mihi* PATER, *maius omnibus eſt*. ſignificari putant ſanctam Eccleſiam, & ſocietatem omnium Electorum quam DEVS dedit CHRISTO, faciens ipſum caput eius, Electos autem membra ipſius, ex quo omnis motus, & ſenſus ſpiritualis, omnéque bonum gratiæ deriuatur ad ipſa. Hæc autem ſocietas Electorum dicitur maior omnibus, quia aliis omnibus rebus carior, & pretioſior, & gratioſior eſt DEO. Vel quia non ſua, ſed DEI potentia maior & fortior eſt omnibus aduerſariis poteſtatibus non humanis tantùm, ſed etiam diabolicis, ſecundum illud CHRISTI promiſſum: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Nempe ſancta Electorum ſocietas veriſſimè dicere poteſt, quod de ſe Dauid dixit: DOMINVS *illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* DOMINVS *protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Qui tribulant me inimici mei, ipſi ceciderunt. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ſperabo.* Paulus certè de inſuperabili potentia, & fortitudine eorum qui à Deo electi, & prædeſtinati ſunt ad vitam æternam, præclaram illam ſcripſit ſententiam. *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, ne-*

Matt.16.

Pſalm.26.

Ad Rom.8

quę creatura alia poterit nos ſeparare à charitate DEI, *quæ eſt in* CHRISTO IESV *Domino noſtro.*

Altera huius loci lectio eſt in omnibus libris Gręcis, & apud Græcos huius Euangelij explanatores, Chryſoſtomum, Theophylactum, Euthymium; ea verò ſic habet: PATER *meus, qui dedit mihi (oues) maior omnibus eſt.* Secundum quam lectionem CHRISTI argumentatio in hoc loco ita procedit: PATER meus qui curæ meæ dedit oues, de quibus ſupra dixi, maior, & fortior, & potentior eſt omnibus; nemo igitur rapiet eas de manu PATRIS mei: neque rapiet eas de manu mea, quia par eſt in me fortitudo, & potentia. Ego enim & PATER vnum ſumus. CHRISTVS enim poſt illud quod dixerat: *Nemo rapiet eas de manu mea, neque de manu* PATRIS *mei*, quaſi rationem reddens, quòd ſe in hoc parem faciat PATRI, proximè adiunxit illa verba: *Ego &* PATER *vnum ſumus.* 55.

Chryſoſt. Theophyl. Euthym.

Sed quomodo verum eſt, quòd nemo rapiet oues CHRISTI de manu eius, cum ipſemet CHRISTVS ſupra dixerit, furem venire, vt rapiat, & mactet, & perdat oues, & lupum rapere, ac diſpergere oues, & apud Ezechielem DEVS pluribus verbis vehementer conqueratur de raptu, & diſperſione, & perditione ouiũ ſuarum? Sed ſciendum eſt, dupliciter dici oues CHRISTI: ſunt enim quædam oues CHRISTI non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, id eſt, ad aliquod tantummodo tempus, & vt dici ſolet, ſecundum præſentem dumtaxat iuſtitiam, & pertinent ad numerum præſcitorum, & reproborum; & iſtæ denique rapiuntur à Diabolo. Alij, ſunt oues CHRISTI ſimpliciter & ſecundum externum DEI propoſitum, & prædeſtinationem earum ad vitam æternam, & iſtas oues poteſt quidem Diabolus rapere è manu Dei, & perdere 56.

An oues Chriſti poſſint rapi de manu eius.

Ezech. 34.

Duplices Chriſti oues

ad

ad aliquod tempus in præſenti vita, per noxios errores,& turpia vitia ſeparando ab ipſo DEO, ſed id nõ erit in perpetuum, ſed ante finem vitæ conuertẽtur, & reducentur ad DEVM, & cum gratia DEI morientes, ex hac vita tranſibunt ad æternam vitam: & de huiuſmodi ouium raptu & perditione in æternum locutus eſt CHRISTVS in hoc loco dicens, *Nemo rapiet eas de manu mea.* Poſſet etiam, quod ſupra dictum eſt de raptu, & perditione, & mactatione ouium CHRISTI accipi,& intelligi de corporali raptu, & perditione quantum ad corporalia,& temporalia bona, ipſámque vitam corporalem: quibus rebus fideles priuabantur in perſecutione Infidelium; non autem de ſpirituali raptu & perditione quantum ad bona ſpiritualia, & quantum ad ſalutem & vitam æternam.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Ego & PATER vnum ſumus. VERS. 30.

57. HIs paucis Domini verbis quatuor expugnantur hæreſes. Primò euidenter confutatur hæreſis Arij negantis CHRISTVM eſſe conſubſtantialem PATRI, ſed aſſerentis habere diuerſam ſubſtantiam, & reuera creaturam eſſe. Sed iſtam impietatem manifeſtè redarguunt iſta Domini verba: *Ego & PATER vnum ſumus.* Illud enim *vnum* denotat perfectam ſubſtantiæ vnitatem, quæ eſt in PATRE,& in FILIO. Quamobrem treccen- *His Domini verbis quatuor hæreſes explodi.*

Digitized by Google

Patres Concilij Niceni. Vocabulũ Homouſion ti & decem & octo patres in Concilio Niceno nouo CHRISTVM vocabulo homouſion PATRI, id eſt, conſubſtantialem, appellandum eſſe cenſuerunt. Quod vocabulum etſi ſecundum litteras, & ſyllabas expreſſe non inuenitur in Scriptura, ſecundum rem tamen eo vocabulo ſignificatam aperte continetur in iſtis Domini verbis: *Ego &* PATER *vnum ſumus:* *Auguſt.* quid enim aliud eſt homouſion (inquit Auguſtinus in Capite decimoquarto libri tertij contra Maximinum) niſi illud ipſum quod CHRISTVM dixiſſe Iudæis refert Ioannes; *Ego &* PATER *vnum ſumus?*

Sabellius. Deinde, hac Domini ſententia iugulatur hæreſis 58. Sabellij, qui tollebat perſonalem diſtinctionem PATRIS, atque FILII, faciens PATRIS, & FILII & SPIRITVS ſancti non realem, & perſonalem, qualis reuera eſt, ſed nominalem tantùm diſtinctionem. At in iſtis Domini verbis, *Ego &* PATER, denotatur duas eſſe perſonas PATRIS & FILII: & verbum illud plurale *ſumus*, perſpicuè indicat pluralitatem, & diſtinctionem perſonarum PATRIS & FILII. Adhæc, his Domini verbis proſternitur at- *Cerinthus & Photinus.* que confoditur hæreſis Cerinthi, & Photini, qui non ſunt veriti dicere, CHRISTVM non habuiſſe naturam diuinam, ſed fuiſſe hominem tantùm; ideóque non fuiſſe ante Matrem ſuam. Sed tantam hanc iſtorum impietatem planè refellunt iſta Domini verba, *Ego, &* PATER, *vnum ſumus.* Si enim CHRISTVS humanam duntaxat habuit naturam, quomodo ipſe & PATER vnum erant? nam illud *vnum* ſignificat vnitatem ſubſtantiæ, DEVS autem PATER non habet naturam humanam. Si CHRISTVS itaque non habuiſſet naturam diuinam, falſum vtique fuiſſet illud eius dictum: *Ego &* PATER, *vnum ſumus.*

Poſtremò

Poſtremò, hac Domini ſententia profligatur Neſtorius, qui dixit in CHRISTO duas fuiſſe naturas, diuinam & humanam; duas item fuiſſe in eo perſonas, humanam, & diuinam: ex quo ſequebatur, hominem illum, qui erat CHRISTVS, non fuiſſe coniunctum ſubſtantialiter cum DEO, neque in perſona, quia diuerſam habebat, & propriam perſonam humanam; neque in natura, quia propriam habebat naturam humanam: quamobrem coniunctio CHRISTI cum DEO non fuiſſet ſubſtantialis, ſed accidẽtalis tantùm, per gratiam videlicet, & charitatem. At in verbis Domini, *Ego & PATER, vnum ſumus*, illud *vnum* ſimpliciter, & præciſè dictum, ſignificat perfectam vnitatem, & quæ facit vnum ſimpliciter, & non ſecundum quid; huiuſmodi autem eſt vnitas ſubſtantialis, non autem accidentalis. Quod ſanè Iudæi benè intellexerunt, qui propter iſtud dictum voluerunt lapidare Dominum, quia faciebat ſe æqualem DEO, & DEVM. *Neſtorius.*

59. Hæc porrò Domini ſententia: *Ego, & PATER, vnum ſumus*, non modo veriſſima eſt, verum etiam ipſa in ſe manifeſtam ſuæ veritatis rationem continet. Illud enim *Ego & PATER* indicat, CHRISTVM eſſe verum, & naturalem filium DEI, cui neceſſariò conſequens eſt, ipſum eſſe vnum ſecundum ſubſtantiam cum DEO PATRE: nam in hominibus qui eſt verus & naturalis filius alterius hominis, eſt conſubſtantialis ei, habens eandem naturam humanam, quam habet ille. Sed hoc intereſt inter FILIVM DEI, & filiũ hominũ, quod in hominibus pater & filius ſunt vnum ſecundum ſpecificam tantùm ſubſtantialem vnitatem, habet enim vterque naturam humanam eiuſdem ſpeciei; non poſſunt au- *Differentia inter filiationem diuinam & filiationem humanam.*

tem eſſe vnum ſecundum naturalem, & prorſus indiuiduam ſubſtantiæ vnitatem: natura enim diuina in PATRE, & FILIO omnino vna & prorſus indiuidua eſt, nec FILIVS DEI, & DEVS PATER poſſunt eſſe vnum ſecundum ſpecificam ſubſtantiæ vnitatem: cum enim ſpecies dicatur de multis numero differentibus, ſequeretur multos eſſe Deos, pluráque infinita ſecundum perfectionem, quod implicat contradictionem.

Vndecim de diuina Chriſti excellentia in ſacris litteris tradita.

Ex eo præterea quod CHRISTVS, & DEVS 60.
PATER vnum erant, palam fit veriſſima eſſe omnia, quæ de diuina CHRISTI excellentia prædicantur in ſacra Scriptura, cuiuſmodi ſunt hæc vndecim, Æternitas CHRISTI, Omnipotentia, Omniſcientia, Virtus effectrix omnium rerum, Quòd quæcumque PATER, habet, ea quoque FILIVS habeat, quæcúque PATER facit, ea ipſa FILIVM ſimiliter facere, ſicut PATER viuificat mortuos, ita FILIVM in ſe poteſtatem habere viuificandi quoſcumque vult, ſicut PATER honorificatur, ita FILIVM pariter honorificari debere. Qui credit in DEVM etiam debere in CHRISTVM credere: Qui videt CHRISTVM, etiam videre DEVM PATREM: PATRM in FILIO, & in PATRE FILIVM eſſe. Hæc omnia veriſſimè dici de CHRISTO negare non poterit, quicumque crediderit, ipſum, & PATREM, vnum eſſe. Videat lector copioſam, & luculentam ſuper hac re Hilarij in libro octauo de TRINITATE diſputationem.

Hilarius.

***

DISPV

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

Proponuntur quatuordecim modi, ſiue rationes, quibus oſtenditur in Scriptura, CHRISTVM eſſe verum Deum.

61. QVATVORDECIM modis, & rationibus declaratur in Scriptura, CHRISTVM eſſe verum DEVM, Nomine, Natiuitate, Natura, Poteſtate, Profeſſione, Æternitate, Omniſcientia, Omnium rerum effectione, & ſuſtentatione, Auctoritate, & poteſtate remittendi peccata, ſimilitudine ſubſtantiali, Æqualitate cultus, & honoris cum DEO PATRE, Omnium bonorũ poſſeſſione, Continua operatione in mundo; Corporali, & reali habitatione totius Diuinitatis in ipſo.

62. Primò igitur oſtenditur, CHRISTVM eſſe DEVM nomine, quia ſæpè in Scriptura nominatur ſimpliciter DEVS, vt in exordio huius Euangelij. DEVS *erat VERBVM.* & apud eundem Ioannem in Capite vltimo primæ Epiſtolæ eius, *& ſimus in vero FILIO eius: hic eſt verus DEVS.* Paulus quoque in nono capite Epiſtolæ ad Romanos eum appellat DEVM ſuper omnia, cum ait: *Quorum patres, ex quibus eſt CHRISTVS ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia DEVS benedictus in ſæcula. Amen.* Secundò Natiuitate: Scriptura enim dicit eum, tanquam verum FILIVM à Patre eſſe genitum. in Pſalmo enim ſecundo de CHRISTO ſcriptum eſt: *Dominus dixit ad me: FILIVS meus es tu, ego hodie genui te.* quæ verba dicta eſſe de CHRISTO affirmat Paulus in primo Capite epiſtolæ ad Hebræos, cum de CHRISTO loquens ait: *Cui enim dixit ali-*

quando angelorum, Filius meus es tu, hodie genui te? Hanc ſubſtantialem generationem CHRISTI ex DEO PATRE figuratè DEVS per Dauidem in Pſalmo centeſimo nono ſignificauit illis verbis: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Tertiò Natura; etenim ipſe CHRISTVS dixit Iudæis, vt hoc loco refert Ioannes: *Ego & PATER vnũ ſumus, vnum* denotat vnitatẽ ſubſtantiæ, ſi autem vna eſt in PATRE & in CHRISTO ſubſtantia diuina, ſicut PATER eſt Deus, ita CHRISTVM eſſe Deum neceſſe eſt. Propter hanc naturæ diuinæ vnitatem in PATRE & in CHRISTO, veriſſimè dicitur & CHRISTVM eſſe in PATRE & PATREM eſſe in CHRI-
Ioann.14. STO, ſicut ipſe dixit Philippo: *Non credis quia ego in PATRE, & PATER in me eſt?*

Matthæi vltimo. Quartò Poteſtate, ipſe enim dixit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* 63. Et in tertio capite huius Euangelij ſcriptum eſt: *PATER diligit FILIVM, & omnia dedit in manu eius.* Quintò Profeſſione: CHRISTVS enim profitebatur, & palam ac publicè dicebat ſe habere PATREM DEVM, & æqualem eſſe DEO, quod tanquam blaſphemiam exprobrabant ei Iudæi, ob idque lapidare eum volebant, vt in quinto, & decimo huius Euangelij capite ſcriptum eſt. Sextò, Æternitate, quam æternitatem indicant prima illa huius Euangelij verba. *In principio erat VERBVM*, vt oſtendimus nos in priori Tomo noſtrarum diſputationum ſuper hoc Euangelio Ioannis, in Explicatione illorum
Ioan.14. verborũ. Et ipſemet CHRISTVS ſatis indicauit æternitatem ſuam verbis illis quæ dixit orans PATREM: *Clarifica me tu PATER apud temetipſum claritate quam habui priuſquam mundus eſſet, apud te.* Septimò, Omniſciëntia: de CHRISTO enim dixit Paulus in Capite ſecundo Epiſtolæ ad Coloſſenſes: *In quo ſunt omnes*

the

theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Octauo, Rerum omniū effectione, atq; cōſeruatione, & quaſi ſuſtentatione: de CHRISTO quippe qui eſt VERBVM DEI, in principio huius Euangelij traditum eſt: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* qui autem fecit omnia, inquit Scriptura, DEVS eſt. Et ſicut ſolus DEVS eſt qui creauit omnia ita ſolus ipſe eſt, qui conſeruat, & ſuſtentat omnia: Paulus autem de CHRI- *Ad Heb. 1.*
STO dixit: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.*

64. Nono Auctoritate & Poteſtate remittendi peccata: ſolus enim DEVS peccata remittit; cum enim peccatum ſit offenſa DEI, nemo alius poteſtatem habet remittendi peccata, ſicut ipſe dixit Iudæis: *Vt ſciatis,* *Matth. 9.*
quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. eamque poteſtatem remittendi pec- *Ioan. 20.*
cata dedit ipſe diſcipulis ſuis, cum dixit eis: *Accipite SPIRITVM ſanctum, quorū remiſeritis peccata, remittuntur* *Ad Heb. 1.*
eis. Paulus quoque de Chriſto dixit: *Purgationem peccatorum faciens.* Decimò Similitudine ſubſtantiæ: CHRISTVS enim vt Paulus dixit, *eſt ſplendor gloriæ,* *Ibidem.*
& figura ſubſtantiæ PATRIS. Propter quam ſimilitudinem ſubſtantiæ Dominus Philippo dixit; *Philip-* *Ioan. 14.*
pe, qui videt me, videt & PATREM. Vndecimò, Æqualitate cultus, atque honoris cum Deo Patre: Dominus enim dixit: *Vt omnes honorificent FILIVM* *Ioan. 5.*
ſicut honorificant PATREM. Et cum proprium DEI, *Ad Heb. 1.*
ſit ipſum adorari ab omnibus Angelis; Paulus illud, quod in pſalmo nonageſimo ſexto ſcriptum eſt: *Et adorent eum omnes Angeli eius,* de CHRISTO dictum eſſe interpretatus eſt, ſic enim ſcripſit: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli DEI.* Duodecimo Poſſeſſione

Digitized by Google

Matth. 17. omnium diuinorum bonorũ: ipſe enim dixit: *Omnia*
Ioan. 16. & *mihi tradita ſunt à PATRE meo.* & alio loco: *Omnia quæ*
17. *habet PATER mea ſunt.* & orãs PATREM, dixit ei: *Omnia*
mea tua ſunt, & tua, mea ſunt. Decimo tertio, continua
operatione in mundo, ſecũdum illud ipſius CHRISTI
Ioan. 5. dictum: *PATER meus vſque modò operatur, & ego operor.*
& infra: *quæcumque enim ille (PATER) fecerit, hæc & Filius*
ſimiliter facit. Decimoquartò, plenitudine diuinitatis
Ad Coloſſ. inhabitantis corporaliter in ipſo: ſicut de ipſo Paulus
2. ſcripſit: *In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Quemadmodum ſupradictam Domini ſententiam: *Ego & PATER vnum ſumus*; Ariani malè interpretati ſint; & quòd nec Eraſmus, nec Ioachimus Abbas rectam eius ſententiæ habuerint intelligentiam.

ARIANI huic ſententiæ Domini, *Ego & PATER vnum ſumus*, qua euidenter conuinceretur impietas ipſorum negantiũ, conſubſtantialem PATRI eſſe FILIVM, tenebras offundere volentes, illud *vnum ſumus* interpretabantur non vnum ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum voluntatem, & ſententiam, quia PATER, & FILIVS & ſemper, & in omnibus idem ſentiunt & volunt. Sicut duo homines inter ſe amiciſſimi vulgo dicuntur eſſe vnum, & vna duobus in corporibus anima. & Paulus dixit: *Qui adhæret Domino vnus Spiritus eſt.* atque huic interpretationi ſuæ, fidem aſtruere volebant duabus diuinæ Scripturæ ſententiis: quarum alteram refert 65.

1. ad Cor. 2.

refert Ioannes infrà in capite decimo ſeptimo: rogans enim DOMINVS pro ſuis Diſcipulis, dixit: *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu PATER in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Manifeſtum autem eſt CHRISTVM non petiiſſe à PATRE, vt diſcipuli eſſent vnum vel inter ſe, vel cum PATRE ſecundum numericam ſubſtantiæ vnitatem, id enim erat impoſſibile; ſed per vnionem voluntatis & amoris, & per mutuam concordiã & pacem, quæ prouenit ex charitate: ergo conſimili ratione FILIVM & PATREM dici vnum intelligere oportet.

66. Altera ſententia ſacræ Scripturæ eſt ea, quam Ioãnes in vltimo Capite primæ Epiſtolæ ſuæ ſcripſit illis verbis: *Tres ſunt qui teſtimoniũ dãt in cœlo, PATER, VERBVM, & SPIRITVS ſanctus, & hi tres vnũ ſunt: & tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt.* Sicut itaque tria illa, Spiritus, aqua & ſanguis, dicuntur eſſe vnum, nec tamen ſunt vnum ſecundum ſubſtantiã ita cum PATER & VERBVM, & SPIRITVS ſanctus dicuntur eſſe vnum, non ſignificatur, eos vnum eſſe ſecundum ſubſtantiam. His itaque Scripturæ ſententiis argumentabantur Ariani, non ex eo quod CHRISTVS dixit: *Ego & PATER vnum ſumus*, poſſe concludi, FILIVM eſſe conſubſtantialem PATRI.

67. Nec modò Ariani hunc in modum iſtam Domini ſententiam interpretati ſunt, ſed etiam ſimiliter illis ſenſit Eraſmus, homo neque apertè hæreticus, nec ſincerus Catholicus, & ſcriptum reliquit in ſuis Annotationibus ſuper eo quem diximus loco Epiſtolæ B. Ioan. negat enim ex iſtis Domini verbis firmũ duci argumentum ad probandum, PATRIS, & FILII vnam eſſe ſubſtantiam, opponens ea ipſa Scripturæ loca,

quæ obiiciebant Ariani, & quæ nos paulo ſupra retulimus. Quin etiam vir Catholicus, & pius Ioachimus Abbas in ſuo quodam libro ſiue tractatu, quem fecit contra Magiſtrum ſententiarum, non dubitauit dicere, PATREM, FILIVM, & SPIRITVM Sanctũ dicivnũ non ſecundum numericam ſubſtantiæ vnitatem, ſed vel ſecundum quandam vnitatem collectitiam, ſicut multi homines dicuntur vnus populus, & omnes Fideles dicuntur vna Eccleſia & ſicut Paulus di-

1. ad Corinth. 12. xit: *Omnes corpus vnũ ſumus.* vel PATER & FILIVS & SPIRITVS ſanctus dicuntur eſſe vnum vnitate voluntatis, & amoris, ac ſententiæ, quia vnũ, & idem in omnibus ſentiunt & volunt; quemadmodum de illis primitiuæ Eccleſiæ Chriſtianis ſcripſit Lucas: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* & hæc quidem iſtorum eſt interpretatio, & ſententia ſuper illis Domini verbis: *Ego, & Pater vnum ſumus.*

Act. 4.

DECIMAOCTAVA DISPVTATIO.

Refellitur ſupradicta interpretatio illorum Domini verborum: *Ego & PATER vnum ſumus*, quam tradiderunt Ariani.

SVPRADICTA Arianorum interpretatio verborum Domini non ſolum contraria eſt ſenſui Catholicæ Eccleſiæ, Patrúmque doctrinæ, ſed etiam rectæ illorum Domini verborum intelligentiæ nequaquam couueniens. Illud enim *vnum ſumus*, intelligi oportere de vnitate ſecundum ſubſtantiam, vt Catholici aſſerunt, non autem de vnitate tantum ſecundum conſenſum voluntatis, quæ 68.

fit

fit per donum gratiæ, & charitatis, vt dicebāt Ariani, ſatis oſtendit ea ipſa, qua vtitur CHRISTVS hoc loco argumentatio. ſic enim argumentatur Dominus: Nemo poteſt rapere oues meas de manu Patris, quia Pater maior omnibus eſt; ergo neque poterit quiſquam oues meas rapere de manu mea, quia *Ego, & PATER vnum ſumus*. Si illud *vnum ſumus*, intelligatur de vnitate ſecundum ſubſtantiam, hæc Domini argumentatio clariſſima, & firmiſſima eſt: Cum enim in DEO potentia ſit idem, atque ſubſtantia eius, ſi in CHRISTO, & DEO PATRE erat eadem ſubſtantia, eadem quoque erat potentia; ex quo neceſſariò ſequitur, vt ſicut de manu PATRIS nemo rapere poterat oues, ita nec de manu CHRISTI. Si autem illud *vnum ſumus*. intelligatur de vnitate tantum ſecundum voluntatis conſenſum, & per vnionem amoris, & charitatis, vt dicebant Ariani, illa Domini argumentatio eſſet inualida: non enim quia eſt paſtor, & rector Eccleſiæ vnum cum DEO ſecundum gratiam, & charitatem, ex eo fit neceſſariò, vt maior, & potentior ſit omnibus aduerſariis, & nemo rapere queat oues eius de manu ipſius, id eſt populum eius regimini, & curæ commiſſum, decipere, & in errores rectæ fidei contrarios pertrahere. Non rarò enim accidit vt bonorum etiam epiſcoporum Eccleſiæ per pſeudoprophetas & Hæreticos præualente eorum malitia, & potentia, corruptæ, atque in poteſtatem Diaboli redactæ ſint: quod ſanè non obſcurè ſignificant verba illa quæ Paulus dixit Epiſcopis Aſiæ: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos SPIRITVS ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi: Et ex vobis ipſis exurgent* Act. 20.

viri loquentes peruerſa , vt abducant diſcipulos poſt ſe. Fuit profectò Arianorum perfidia in eo ſimilis perfidiæ illorum Iudæorum , quòd vtríque non credebant CHRISTVM eſſe verum, & naturalem Filium DEI : Sed in eo tamen mentis cœcitas maior in Arianis fuit, quàm in Iudæis, quod hi audientes CHRISTVM dicentem illud: *Ego & PATER vnum ſumus*, rectam iſtorum Domini verborum intelligentiam habuerunt. intellexerunt enim ſignificatum eſſe iſtis verbis, CHRISTVM eſſe vnum ſecundum ſubſtantiam, & potentiam cum DEO, quapropter lapidare eum voluerunt , quia cum eſſet homo diceret ſe æqualem DEO. Ariani verò illud *vnum ſumus*; intellexerunt eſſe dictum non de vnitate ſecundum ſubſtantiam , ſed de vnitate quæ eſt ſecundum conſenſum voluntatis, & quæ fit per donum gratiæ & charitatis.

Ariani mẽte cæciores Iudæis.

DECIMANONA DISPVTATIO.

Explicantur duo ſcripturæ teſtimonia, quibus Ariani ſupradictam interpretationem ſuam confirmare voluerunt.

DVO ſunt Scripturæ teſtimonia, quæ nos ſupra in decima ſeptima Diſputatione cõmemorauimus, quibus Ariani ſuam interpretationem illorum Domini verborum fulcire firmaréq; conati ſunt. Alterũ teſtimonium ductum eſt ex illis Domini verbis: *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu PATER* 69.

Ioann. 17.

TER in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. Ex quibus verbis Ariani argumentationem conficiebāt huiuſmodi: Vult CHRISTVS Diſcipulos ſuos ita eſſe vnum inter ſe, ſicut ipſe & PATER erant vnum; Sed non volebat CHRISTVS, vt Diſcipuli eſſent inter ſe vnum ſecundum numericam ſubſtantiæ vnitatem, id enim erat impoſſibile, ſed ſecundum mentis, & voluntatis conſenſum, atque concordiam: Ergo cum dixit, ſe, & PATREM eſſe vnum, non ſignificauit numericam ſubſtantiæ vnitatem, ſed voluntatis DEI PATRIS ac ſuæ maximam vnionem, atque conſenſionem. Ad hoc item reſpondendum eſt. Quemadmodum cum CHRISTVS dixit Diſcipulis ſuis. *Eſtote vos perfecti, ſicut & PATER veſter cœleſtis perfectus eſt,* noluit ſignificare iſtis verbis, Diſcipulos eſſe debere perfectos prorſus eodem modo, quo modo DEVS eſt perfectus. DEVS enim perfectus eſt ſubſtantialiter, infinite, atque omnino indepēdenter: hoc autem modo hominem fieri perfectum eſt impoſſibile. CHRISTVS itaque illis verbis hortatus eſt Diſcipulos vt ſtuderent atque curarent habere in ſe participationem quandam, & ſimilitudinem illius perfectionis, quæ eſt in DEO; præſertim autem in eo, quod ſicut DEVS facit oriri ſolem ſuum ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos: ita & ipſi diligerent etiam inimicos ſuos, & benefacerent perſequentibus ipſos. Conſimili etiam ratione cum CHRISTVS dixit: *Vt ſint & ipſi vnum, ſicut & nos vnum ſumus*, non voluit vt Diſcipuli eodem penitus modo eſſent vnum inter ſe, quemadmodum ipſe, & PATER eius DEVS erant vnum; ſed vt Diſcipuli maximam haberent inter ſe participationem, & ſimilitudinem illius diuinæ vnitatis, quæ eſt inter FI-

Locus Matth. 5.

LIVM & PATREM. Sunt quidem vnum FILIVS & PATER ſecundum mentem, & voluntatem: idem enim ſemper, & in omnibus ſentiunt, & ſapiunt, & volunt; ſed in DEO voluntas, & velle, atque intelligere, eſt idem atque ipſa DEI ſubſtantia; ideoque FILIVM & PATREM eſſe vnum ſecundũ voluntatem, idem eſt atque eſſe vnum ſecundum ſubſtantiam. In homine autem voluntas, & intellectus, & velle, atque intelligere ſunt quid accidentale, & extra ſubſtantiam hominis: voluit itaque CHRISTVS vt Diſcipuli eſſent inter ſe vnum ſecundum voluntatem ſecundum modum naturæ ſuæ humanæ; ſicut ipſe, & PATER erant vnum ſecundum voluntatem ſecundum modum naturæ diuinæ, cum qua voluntas diuina vnũm eſt ſecundum rem. Videat Lector Concilium magnum Lateranenſe ſub Innocentio III. congregatum, in Decreto de fide, & in capite ſecundo eius Decreti, vbi hac ipſa de re agitur contra Ioachimum Abbatem.

Concil. Lateranen. ſub Innocentio III.

VIGESIMA DISPVTATIO.

Explicatur alterum Scripturæ teſtimonium ductum ex illis verbis Ioannis: *Tres ſunt qui teſtimonium dãt in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt*: quo teſtimonio abutebantur Ariani ad probandam ſuam interpretationem.

Explicatur diligenter locus primæ Epiſtolæ Ioãnis cap. vlt.

EX iſtis verbis Beati Ioannis, quæ ſunt in vl- 70.
timo capite primæ Epiſtolæ eius, ſic argumentabantur Ariani, Ioannes dixit Spiritum,

tum,aquam, & ſanguinem eſſe vnum,nec ſignificare voluit eſſe vnum ſecundum ſubſtantiam,quia id perſpicuè falſum eſt:Ergo non ex eo quod FILIVS & PATER dicuntur eſſe vnum,neceſſum eſt intelligere, eos eſſe vnum ſecundum ſubſtantiam.Ad hanc rationem Arianorum quadruplex reſpõſum dari poteſt. Primũ reſponſum:licet in quibuſdã codicibus reperiatur illa vltima verba:*& hi tres vnũ ſunt*,in pleriſque tamen nõ leguntur,ſicut in Magno Cõcilio Lateranenſi ſignificatur, in eo loco,quem in fine præcedẽtis Diſputationis cõmemorauimus:& B.Thom. in Opuſc.vigeſimo quarto ait in quibuſdam codicibus ea verba legi, ſed in veris exemplaribus non haberi,& dici ea fuiſſe adiecta ab Arianis,quò peruerterent verum intellectum horum verborum Domini: *Ego & PATER vnum ſumus*.Ioannes Heſelius Louanienſis in ſuis Commentariis in illam Epiſtolam B.Ioannis,tractans hæc ipſa verba eius,de quibus nũc agimus,citat aliquot codices tam græcos quàm latinos,tã manu ſcriptos,quàm impreſſos,propter vetuſtatem,& propter diligentiam emendationis fide dignos, in quibus verba illa: *Et hi tres vnum ſunt*,non leguntur.

An illa verba, Hi tres vnum ſunt *ſcripta fuerint à B. Ioanne.*

Concilium Lateranẽſe

S. Thomas.

Ioannes Heſelius.

71. Secundum reſponſum: Tria iſta,Spiritus,aqua, & ſanguis,dupliciter conſiderari poſſunt; vel per ſe, & vt res quædam ſunt; vel ea ratione, vt teſtimonium dant de DOMINO IESV. Priori modo conſiderata non modò non ſunt vnum , ſed etiam ſunt inter ſe admodum diuerſa. Poſteriori autem modo, dicuntur eſſe vnum,quia vnum,& idem teſtificantur de IESV, nempe ipſum eſſe CHRISTVM verum DEI Filium.Atque hoc ſignificare voluiſſe B.Ioannẽ, indicant illa eius verba, quæ proximè anteceſſerunt: *Quis eſt autem, qui vincit mundum,niſi qui credit, quoniam*

IESVS eſt Filius DEI? Hic eſt, qui venit per aquam, & ſanguinem; non in aqua ſolùm, ſed in aqua, & ſanguine. Et Spiritus eſt qui teſtificatur quoniam CHRISTVS *eſt veritas.* Et tam hoc ſecundum reſponſum, quàm duo alia quæ deinceps ſequuntur, valent ad confutandam ſupradictam Arianorum obiectionem, cõceſſo quòd illa verba: *Et hi tres vnum ſunt,* ſcripta fuerint à B. Ioanne, ideóque ſint verba ſacræ Scripturæ; quod ſanè videtur non eſſe negandum; tum quòd omnes ferme codices Latini conſtanter ea verba habent, & B. Auguſtinus, aliíque Doctores, & Theologi ea verba tanquam ſacræ Scripturæ legerunt, & interpretati ſunt, tum ob id maximè, quòd Eccleſia Catholica publicè in templis, & in ſacris Officiis tanquam ſacræ Scri-
Seſſio.4. pturæ recitat: in Concilio autem Tridentino traditum eſt, omnes eas Scripturas haberi debere pro canonicis, & ſacris, quæ vt tales publicè leguntur in Eccleſia.

Tertium reſponſum: Tria illa dicuntur eſſe vnum, 72.
quia inſeparabiliter vnita ſunt in ſanctificatione hominis. Prima enim ſanctificatio hominis, quæ fit in Baptiſmo, fit per aquam & Spiritum ſecundum illam
Ioann.3. Domini ſententiam: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & SPIRITU ſancto, non poteſt introire in regnum* DEI: Baptiſmus verò habet vim ſanctificandi hominem propter CHRISTI ſanguinem; id autem eſt, propter virtutem, & meritum paſſionis, & mortis eius. Quartum reſponſum eſt B. Auguſtini in vigeſimo ſecundo
Auguſt. capite libri tertij contra Maximinum: Tria iſta dici eſſe vnum, quia ſunt quaſi teſtimonia & ſacramenta eiuſdem ſanctiſſimæ TRINITATIS, denotantia tres diuinas perſonas. Nam vocabulum *Spiritus*, de-
Ioann.4. notat DEVM PATREM, de quo Dominus dixit: *SPI-*

RITVS

RITVS *eſt* DEVS. Vox illa *ſanguis* denotat ſecundam perſonam diuinam quæ eſt FILIVS DEI, qui pro ſalute hominum communicauit carni, & ſanguini, vt Paulus dixit: & ſicut Ioannes ſcripſit in Apocalypſi: *Ipſe lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Nomen *aquæ* denotat perſonam diuinam quæ eſt SPIRITVS ſanctus. nam vt ſupra in ſeptimo capite eius Euãgelij ſcriptum eſt, cum Dominus dixiſſet, flumina aquæ viuæ proditura de ventre eorum, qui crederent in ipſum, continuò adiunxit Euangeliſta: *Hoc autem dixit de* SPIRITV *quem accepturi erant credentes in eum.* *Ad Hebr. 2* *Apocal. 1.*

VIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: Ego dixi, Dij eſtis?

73. QVÆRITVR, Cùm iſta verba: *Ego dixi, Dij eſtis.* ſint in Pſalmo nonageſimoprimo, cur ea Dominus dixerit ſcripta eſſe in lege Iudæorum: præſertim verò quod legem ipſe à Pſalmis manifeſtè diſtinxerit illis verbis, quæ refert Lucas: *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, & Pſalmis, & Prophetis de me.* Huius quæſtionis ſolutio petenda eſt à B. Hieronymo, qui in epiſtola centeſima quinquageſima prima, quam ſcripſit ad Algaſiam in reſponſione ad octauam eius quæſtionem ait, vocabulum legis variè admodum in ſacra Scriptura vſurpatum reperiri. Nos ſeptem eius vocabuli ſignifica- *Luc. vlt.* *Hieron.* *Septem ſignificationes huius vocabuli Lex.*

tiones in lectione ſacrarum Scripturarum obſeruandas breuiter hoc loco exponemus.

Primò, nomine legis ſignificatur lex ipſa Moyſis, 74.
quæ traditur in quatuor poſterioribus libris Pentateuchi: hac ſignificatione legis vſus eſt Dominus, cum
Ioan. 8. dixit: *In lege veſtra ſcriptum eſt quia duorum hominum teſtimonium verum eſt:* hoc autem ſcriptum eſt in libro
Deut. 17. Deuteronomij. Secundò, interdum nomen legis ſignificat librum Geneſis. Paulus enim in quarto Capite epiſtolæ ad Galatas referens hiſtoriam illam de duobus filijs Abrahæ Iſaac & Iſmaële, quæ ſcripta eſt in vigeſimoprimo Capite libri Geneſis, dixit, eã ſcriptam eſſe in lege; ſic enim ſcribit: *Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe, legem non legiſtis, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, &c.* Tertiò, nomen legis nonnunquam ponitur pro pſalmis, vt hoc loco Dominus dixit illud: *Ego dixi: Dij eſtis,* quod eſt in pſalmo octogeſimo primo; & infra dixit: *Vt adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt, Quia odio habuerunt me gratis.* Quartò aliquando legis vocabulo ſignificatur liber, ſiue prophetia Eſaiæ. Paulus enim in Capite decimoquartò prioris epiſtolæ ad Corinthios illud: *In alijs linguis, & labijs alijs loquar populo huic, & nec ſic exaudient me,* dixit id eſſe ſcriptum in lege, quod tamen eſt apud Iſaiam in Capite vigeſimo octauo ſecundum hebraicam ſcripturam, & ſecũdum interpretationem Aquilæ, vt tradit B. Hieronymus. Quintò, ponitur etiam pro vniuerſa Scriptura veteris Teſtamenti, præter Prophetas tamen, quod intelligere licet ex verbis illis, quæ Dominus de præcepto dilectionis DEI, & Proximi dixit: *Ex hoc vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.* Sextò, myſtica quoque ſacrarum Scripturarum intelligentia vocatur à Paulo lex,

lo lex, cùm dixit: *Scimus quia lex ſpiritualis eſt.* Septimò Paulus in ſecundo capite Epiſtolæ ad Romanos nomen legis præcisè ſumptum primò poſuit pro lege ſcripta, & mox deinde pro lege naturali, in illis verbis: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt; legem enim non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.* Ad Rom. 7

CAPVT VNDECIMVM EVANGELII IOANNIS.

1. ERat autem quidam languens La-
zarus à Bethania, de caſtello Ma-
2. riæ, & Marthæ ſororis eius.* (Ma-
ria autem erat, quæ vnxit Domi-
num vnguento, & exterſit pedes
eius capillis ſuis: cuius frater Lazarus infirmaba-
3. tur.)* Miſerunt ergo ſorores eius ad eum, dicentes,
4. Domine, ecce quem amas infirmatur. * Audiens
autem Ieſus dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad
mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei
5. per eam. * Diligebat autem Ieſus Martham, &
6. ſororem eius Mariã, & Lazarum. * Vt ergo audi-
uit quia infirmabatur, tunc quidẽ manſit in eodem
7. loco duobus diebus. * deinde poſt hæc dixit diſcipu-
8. lis ſuis: Eamus in Iudæam iterum. * Dicunt ei di-
ſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare,
9. & iterum vadis illuc? * Reſpondit Ieſus: Nónne
duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die
10. non offendit, quia lucem huius mundi videt: * Si
autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non
eſt in

eſt in eo. * *Hæc ait.* & *poſt hæc dixit eis: Lazarus* 11.
amicus noſter dormit: ſed vado vt à ſomno excitem
eum. * *Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine ſi dor-* 12.
mit, ſaluus erit. * *Dixerat autem Ieſus de morte* 13.
eius: illi autem putauerũt quia de dormitione ſomni
diceret. * *Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſtè: Laza-* 14.
rus mortuus eſt: * & *gaudeo propter vos, vt credatis,* 15.
quoniam non eram ibi. ſed eamus ad eum. * *Dixit* 16.
ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipu-
los: Eamus & *nos, vt moriamur cum eo.* * *Venit* 17.
itaque Ieſus: & *inuenit eum quatuor dies iam in mo-*
numento habentem. * (*Erat autem Bethania* 18.
iuxta Ieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim.)
* *Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham,* 19.
& *Mariam, vt conſolarentur eas de fratre ſuo.*
* *Martha ergo vt audiuit quia Ieſus venit, occur-* 20.
rit illi: Maria autem domi ſedebat. * *Dixit er-* 21.
go Martha ad Ieſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater
meus non fuiſſet mortuus: * *Sed* & *nunc ſcio quia* 22.
quæcũque popoſcerit à Deo, dabit tibi Deus. * *Di-* 23.
cit illi Ieſus: Reſurget frater tuus. * *Dicit ei Mar-* 24.
tha: Scio quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo
die. * *Dixit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio,* & *vita: qui* 25.
credit in me, etiã ſi mortuus fuerit, viuet: * & *omnis* 26.
qui viuit, & *credit in me, nõ morietur in æternũ. Cre-*
dis hoc? * *Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia* 27.
tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum 28.
veniſti. * *Et cũ hæc dixiſſet, abiit,* & *vocauit Ma-*
riam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt,
& *vocat te.* * *Illa vt audiuit, ſurgit citò,* & *venit* 29.

30. *ad eum : * nondum enim venerat Ieſus in caſtel-*
lum : ſed erat adhuc in illo loco , vbi occurrerat ei
*Martha. * Iudæi ergo , qui erant cum ea in do-*
31. *mo , & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam*
quia citò ſurrexit , & exiit, ſecuti ſunt eam dicen-
tes : Quia vadit ad monumentum , vt ploret ibi.
32. ** Maria ergo , cùm veniſſet vbi erat Ieſus , vi-*
dens eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei : Domine,
33. *ſi fuiſſes hic , non eſſet mortuus frater meus. * Ieſus*
ergo, vt vidit eam plorantē, & Iudæos qui venerant
cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeip-
34. *ſum. * & dixit : Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Do-*
35. *mine, veni, & vide. * & lacrymatus eſt Ieſus. * Dixe-*
36. *runt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. * Qui-*
37. *dam autem ex ipſis dixerunt : Non poterat hic,*
qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non more-
38. *retur? * Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, ve-*
nit ad monumentum. erat autem ſpelunca : & lapis
39. *ſuperpoſitus erat ei. * Ait Ieſus : Tollite lapidem.*
Dicit ei Martha ſoror eius , qui mortuus fuerat:
*Domine, iam fœtet, quatriduanus eſt enim. * Di-*
40. *cit ei Ieſus: Nonne dixi tibi quoniam ſi credideris,*
*videbis gloriam Dei? * Tulerunt ergo lapidem: Ie-*
41. *ſus autem eleuatis ſurſum oculis, dixit : Pater gra-*
42. *tias ago tibi quoniam audiſti me. * Ego autem*
ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum,
qui circumſtat, dixi : vt credant quia tu me miſiſti.
43. ** Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamauit : Laza-*
44. *re veni foras. * Et ſtatim prodiit qui fuerat mor-*
tuus , ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius
ſudario

*ſudario erat ligata. Dixit eis Ieſus: Soluite eum, &
ſinite abire. * Multi ergo ex Iudæis, qui venerant* 45.
*ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit
Ieſus, crediderunt in eum. * Quidam autem ex* 46.
*ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ
fecit Ieſus. * Collegerunt ergo Pontifices & Phari-* 47.
*ſæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic
homo multa ſigna facit? * Si dimittimus eum ſic,* 48.
*omnes credent in eum: & venient Romani, & tol-
lent noſtrum locum, & gentem. * Vnus autem* 49.
*ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni il-
lius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam, * nec co-* 50.
*gitatis quia expedit vobis vt vnus moriatur ho-
mo pro populo, & non tota gens pereat. * Hoc au-* 51.
*tem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex
anni illius, prophetauit, quòd Ieſus moriturus
erat pro gente, * & non tantùm pro gente, ſed* 52.
*vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in
vnum. * Ab illo ergo die cogitauerunt vt inter-* 53.
*ficerent eum. * Ieſus ergo iam non in palam am-* 54.
*bulabat apud Iudæos, ſed abiit in regionem iuxta
deſertum, in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, &
ibi morabatur cum diſcipulis ſuis. * Proximum* 55.
*autem erat Paſcha Iudæorum: & aſcenderunt multi
Ieroſolymam de regione ante Paſcha, vt ſanctifica-
rent ſe ipſos. * Quærebant ergo Ieſum: & colloque-* 56.
*bantur ad inuicem, in templo ſtantes: Quid putatis,
quia non venit ad diem feſtum? Dederant autem
Pontifices, & Phariſæi mandatum, vt ſi quis cogno-
uerit vbi ſit, indicet, vt apprehendant eum.*

IN CAPVT VNDECIMVM DISPVTATIONES VIGINTI DVÆ.

DVÆ res perquam inſignes à Beato 1.
Ioanne commemorantur in hoc vndecimo capite; priori enim loco enarratur celeberrimum illud miraculum à Domino factum in Lazaro mortuo, & admirabili modo ad vitam reuocato: poſteriori autem loco exponitur impiiſſimum concilium à Phariſæis & Pontificibus collectum aduerſus Dominum, in quo de eo interficiẽdo conſultatum & deliberatum eſt. Factum eſt hoc miraculum reſuſcitationis Lazari propè feſtum Paſchæ, vt in hoc ipſo capite paulò ante finem indicatur: quin etiam nonnulli putant, factum eſſe quindecim diebus ante mortem Domini: in Eccleſia certè recitatur publicè hiſtoria hæc reſuſcitationis Lazari in Quadrageſima, quindecim diebus ante commemorationem & celebrationem paſſionis & mortis Domini. Cùm autem quæ in quatuor proximis ſuperioribus capitibus ſcripta ſunt, ea circa feſtum Encæniorum, & in nono menſe anni Iudaici acciderint, vt ſuprà dictum eſt, hoc autem miraculum reſuſcitationis Lazari factum ſit initio primi menſis Iudaici, in cuius menſis decima quarta & decimaquinta die celebrabatur Paſcha Iudæorum, ex eo apparet, inter ea quæ narrata ſunt in quatuor ſuperioribus capitibus,

& ea quæ narrantur in hoc vndecimo capite, trium circiter menſium interceſſiſſe ſpatium. Quæ autem in iſto trium menſium ſpatio à Domino facta & dicta ſunt, ea Ioannes in ſua hiſtoria Euangelica referre ſuperſedit, quod iam pridem ab aliis Euangeliſtis diligenter ſcripta, & in publicum edita fuiſſent.

2\. Fuit porro miraculum hoc reſuſcitationis Lazari omnium miraculorum Domini longè clariſſimum atque celeberrimum quinque ob cauſas. Primò quidem, ob ipſam Lazari perſonam, fuit enim vir apud Iudæos pernobilis & illuſtris, quem illi magno & honore & amore proſequebantur: Sed, quod multò præſtabilius eſt, fuit à Domino præcipuè & ſingulariter dilectus. Nam & ſorores eius dixerunt Domino: *Ecce quem amas, infirmatur*. & Dominus dixit diſcipulis ſuis: *Lazarus amicus noſter dormit*. Et Iudæi dixerunt de Domino: *Ecce, quomodo amabat eũ*. Et Ioannes ipſe ſcripſit. *Diligebat autem Ieſus Martham & ſororem eius Mariam, & Lazarum*. Deinde, celeberrimum etiam fuit hoc miraculum propter ingentem facti mirabilitatem, etenim maximè mirandum & ſtupendum hominibus fuit, hominem iam quatriduo mortuum, iámque fœtentem, fuiſſe tali modo reuocatum ad vitam. Facit quoque ad celebritatem huius miraculi multitudo & nobilitas Iudæorum, qui eius miraculi ſpectatores & teſtes fuerunt, qui ad conſolandas ſorores Lazari ex vrbe Hieroſolyma venerant Bethaniam, per hos autem tanti miraculi fama longe latéque ſparſa eſt apud Iudæos, & per omnem illam peruagata regionem.

Miraculũ reſuſcitationis Lazari fuiſſe omnium miraculorum Domini celeberrimũ ob quinque cauſas.

3\. Ad hæc, valde miraculum hoc magnificant & ornant complures admodum notabiles & memorabiles eius circumſtantiæ, quas commemorat hoc loco

Sex notabiles circumſtantiæ huius miraculi.

Ioannes;narrat,multa Dominum, ante miraculi effe-ctionem,dixiſſe & feciſſe,conſiderari & obſeruari digniſſima,vt eſt illud : *Infremuit ſpiritu.* & illud:*Turbauit ſeipſum*.& illud:*Lachrymatus eſt*.& illud:*IESVS ergo rurſus fremens in ſemetipſo*.& illa eius precatio ad Patrem,qua eleuatis ſurſum oculis dixit ad Patrem: *Gratias ago tibi quoniam exaudiſti me,ego autem ſciebam quia tu ſemper me audis , ſed propter turbam quæ circumſtat, dixi vt credant quia tu me miſiſti*.Illud deniq; *Voce magna clamauit, Lazare veni foras*.Poſtremò magnam excitat admirationem effectus,ſiue euentus huius miraculi,fuit enim maximè diuerſus , atque ipſa diuerſitate permirus: Multi enim ex Iudæis qui aderant ibi, viſo tanto miraculo ad fidem Chriſti conuerſi ſunt ; ſic enim ſcripſit Ioannes : *Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham, cum vidiſſent quod fecit Ieſus,crediderunt in eum.* Alij contra , maiori aduerſus eum inuidia & odio inflammati ſunt , maioríque ad eum occidendum conatu incubuerunt. Scribit enim Ioannes, Iudæos audita tanti miraculi fama, concilium collegiſſe aduerſus Chriſtum , & in eo concilio Caipham ſummum Iudæorum Pontificem dixiſſe. *Vos neſcitis quidquam , nec cogitatis,quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo,& non tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitauerunt interficere eum.* Ob ſupradictas itaque quinque cauſas miraculum reſuſcitationis Lazari memoratiſſimum & celeberrimum fuit: ideóque hiſtoriam eius tam ſubtiliter, tam diſtinctè, tam expreſſè luculentérque perſcripſit B.Ioannes.

DISPV

DISPVTATIONES DECEM ET SEPTEM DE MARIA MAGDALENA.

Super illis verbis:

Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis. Vers. 2.

4. DILIGENTER hoc loco, accuratéque tractanda eſt nobilis illa, celebriſque apud ſcriptores Eccleſiaſticos, & diu multúmque in vtramque partem agitata quæſtio, An illa mulier peccatrix quæ in conuiuio Simonis lachrymis ſuis rigauit pedes Domini, & capillis capitis ſui terſit eos, vt narrat Lucas; & illa mulier quam idem Lucas proximè ſequenti capite appellat Mariam Magdalenam, & mulier illa quæ ſecundum Matthæum & Marcum Bethaniæ in domo Simonis leproſi vnxit Dominum, ac demum Maria ſoror Lazari & Marthæ, quæ vnxit etiam Dominum, vt refert Ioannes, an hæ, inquam, mulieres in ſupradictis euangelicæ hiſtoriæ locis nominatæ, fuerint quatuor diuerſæ mulieres, an tres, an duæ, an vna tantum diuerſis appellata nominibus, varieque commemorata. Ac primò quidem in vniuerſum quæſtio hæc tractanda eſt, deinde verò diſtinctè, enucleatéque per partes explicanda.

Luc. 7. & 8. *Matth. 26. & Marci 14.* *Ioannis 12.*

* * *

PRIMA DISPVTATIO.

Exponuntur ſententiæ eorum qui putauerunt, ſupradictas mulieres non fuiſſe vnam mulierem diuerſis nominibus appellatam, ſed plures vna mulieres.

QVI cenſuerunt, mulieres in ſupradictis Euangelicæ hiſtoriæ locis commemoratas non fuiſſe vnam mulierem, ſed plures vna, & multi, & cum primis graues fuere Scriptores. Principio, Clemens Romanus in libro quinto Apoſtolicarum conſtitutionum, qui inſcribitur de viduis, in capite ſexto eius libri commemorans viduas quæ, ex Iudæorum conſuetudine, prædicantem Dominum ſequebantur, Mariam Magdalenā facit mulierem diuerſam à Maria ſorore Lazari & Marthæ. Sed enim, huic Operi Clementis, tamquam ab Hæreticis multifariam corrupto, & intermixtis incertę fidei hiſtoriis & ſententiis contaminato derogata fides eſt in ſexta generali Synodo. Atque ob hanc cauſam, & ob alias quoque rationes, pluribus viris doctis auctoritatem eius operis parui pendere nulla fuit religio. Non ſum neſcius, Franciſcum Turrianum, virum noſtræ Societatis, ſanè quàmpium & doctum, copioſis, eruditiſque in illud Clementis Opus editis commentariis, acriter, fortiterque pro defenſione illius operis pugnaſſe: ſed vt res ipſa, euentúſque declarauit, meliori voluntate quàm effectu; paucis enim, quod voluit, perſuaſit. 5.

Clemens Romanus. *Sexta ſynodus.* *Franciſcus Turrianus.*

Origenes in homiliis ſuis ſuper Cantica, quas in Latinū ſermonem conuertit B. Hieronymus, duas facit diuerſas mulieres, eam de qua ſcripſit Lucas cap. 7. & eam 6.

Origenes.

& eam quæ ſecundum Matthæum ca.26. & Marcum cap.14.& Ioannem cap. 12. vnxit Dominum: & illam quidem de qua Lucas agit, mulierem fuiſſe peccatricem; eam verò de qua alij tres Euangeliſtæ ſcripſerunt, honeſtam, & ſanctam fuiſſe mulierem. At idem Origenes in tractatu trigeſimo quinto in Matthæum tres facit diuerſas mulieres quæ vnxerũt Dominum; vnam, de qua Lucas agit cap. 7. alteram, de qua Matthæus cap.26.& Marcus cap.14.tertiam, Mariam ſororem Marthæ, & Lazari, de qua Ioannes c. 11. & 12. Atque hanc Origenis de tribus diuerſis mulieribus quæ vnxerunt Dominum ſententiam maximè approbarunt Theophylactus in caput ſeptimum Lucæ, & Euthymius in caput vigeſimum ſextũ Matthæi; Photius item Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui eiuſdem probatorem ſententiæ laudat Euſebium. Refert præterea Origenes, eo quem proximè dixi loco, non defuiſſe qui putarunt, huiuſmodi mulieres, quatuor diuerſas fuiſſe mulieres; à tribus videlicet proximè memoratis diſtinguentes Mariam Magdalenam, ex qua ſeptem dæmonia eiecit Dominus. *Theophyl.* *Euthym.* *Photius.* *Euſebius.* *Origen.*

7. Chryſoſtomus in homilia octogeſima prima in Matthæum, & in homilia ſexageſima prima in Ioannem huiuſmodi mulieres facit duas tantum diuerſas; vnam quidem, quæ ſecundum Lucam & Matthæum & Marcum vnxit Dominum; alteram verò, Mariam Marthæ ac Lazari ſororem, quæ ipſa etiam Dominum vnxit, vt narrat Ioannes. In hac quoque ſententia fuiſſe Macharium Ægyptium in duodecima homilia earum homiliarum quas ſcripſit, refert Franciſcus Turrianus; nam mihi eas homilias videre adhuc non contigit. Ex iis porro quæ dicta ſunt, *Chryſoſt.* *Machar.* *Ægyptius.* *Franciſcus Turrianus.*

ſatis apparet, Chryſoſtomum diſſentire cum Origene: Origenes enim tres facit diuerſas mulieres quæ vnxerunt Dominum, Chryſoſtomus autem duas tantum. Et Origenes quidem eam mulierem quæ ſecundum Matthæum & Marcum vnxit Dominum, negat fuiſſe peccatricem, ſed honeſtam, & ſanctam fuiſſe mulierem affirmat: contra verò Chryſoſtomus ait, eam ob turpitudinem vitæ infamem fuiſſe mulierem. Sed illud in vtroque authore haudquaquam probabile eſt, quòd vterque mulierem quæ ſecundum Matthæum & Marcum vnxit Dominum, facit diuerſam à Maria ſorore Lazari & Matthæi, quæ Dominum etiam ipſa vnxit: nos enim paulo infra manifeſtis ex ipſa hiſtoria euangelica ductis argumentis oſtendemus, atque conuincemus non modò eandem fuiſſe mulierem, ſed ipſam quoque vnctionem à Matthæo & Marco narratam, & à Ioanne commemoratam prorſus eandem numero fuiſſe vnctionem.

Ambroſius Ambroſius ſuper cap. 24. Lucæ Mariam quæ aliis 8.
mulieribus comitata venit ad ſepulchrum Domini, viſúmque Dominum ſimul cum illis adorauit, vt Matthæus & Marcus referunt, diuerſam facit ab ea Maria quæ ſecundum Ioannem cap. 20. ſola venit ad monumentum, ibique plorans, præſentem ſibi ſecúmque loquentem Dominum primo non agnouit, eiúſque poſt cogniti tactu ab ipſo Domino prohibita eſt. Verùm nos hanc opinionem Ambroſij, vt minimè congruentem cum hiſtoria Euangelica infra refutaturi ſumus. In hoc noſtro ſeculo Iacobus Faber & Iodocus Clithouæus euulgatis ſuper hac quæſt. libris enixè conati ſunt perſuadere tres fuiſſe eiuſmodi mulieres inter ſe diuerſas, ita eas diſtinguentes: Vnam

Iacobus Faber. Iodocus Clithouæus

quidem

quidem faciunt illam mulierem peccatricem de qua ſcripſit Lucas cap. 7. cuius nomen proprium à nullo Euangeliſta indicatum eſt. Alteram faciunt eam quæ proprio nomine appellata eſt Maria Magdalena, ex qua ſeptem Dæmonia fuiſſe à Chriſto eiecta, Lucas cap. 8. & Marcus in capite vltimo prodiderunt. Tertiam demum faciunt eam mulierem, quæ ſecundum Matthæum & Marcum & Ioannem vnxit Dominum: cuius nomen proprium, ab aliis Euangeliſtis tacitum, Ioannes, qui poſt illos ſcripſit Euangelium, indicauit, appellans eam Mariam ſororem Lazari & Marthæ. Sed falſam eſſe hanc opinionem, infra oſtendemus. Atque hi quidem fuere authores qui cenſuerunt, plures vna fuiſſe mulieres quæ vulgo communi nomine Mariæ Magdalenæ appellantur.

SECVNDA DISPVTATIO.

Recenſentur Authores qui putauerunt, vnam tantum fuiſſe mulierem quæ in ſupradictis quatuor Euangelicæ hiſtoriæ locis commemorata eſt; quorum ſententia maximè probatur Authori.

9. EX aduerſo, & plures numero authores, nec inferiores authoritate, firmioribúſque inſtructi rationibus arbitrati ſunt, vnam, eandémque fuiſſe mulierem, quæ in ſupradictis hiſtoriæ Euangelicæ locis commemorata eſt. Sanè, fuiſſe hanc de vnica Magdalena ſententiam in Eccleſia Chriſti antiquiſſimam, ſatis ex eo manifeſtũ fit quod Origenes ſcriptor ipſe antiquiſſimus, eam refert, vt ſuo etiam tempore peruetuſtam. Equidem reor in Eccleſia occidentali ſemper, & apud omnes fermè, hanc viguiſſe ſententiam. Origenes.

Ammon. Euſebius. Ammonius & Euſebius compoſuerunt decem canones Euangelicæ Harmoniæ, per quos ſub variis numerorum notis deſignarunt, quando Euangeliſtæ conſentiant inter ſe vel diſſentiant, aut omnes quatuor Euágeliſtæ, aut aliquot illorum: & Canones quidem Euſebij, Latinos fecit B. Hieronymus. In primo itaque canone qui continet ea, ſuper quibus inter ſe conueniunt omnes quatuor Euangeliſtæ, pro Matthæo ſub numero 276. ponitur vnctio Domini facta Bethaniæ, quæ narratur à Matthæo cap. 26. Pro Marco, ſub numero 158. eadem ſignatur vnctio, ab ipſo narrata Marco cap. 14. Pro Luca, ſub numero 74. notatur vnctio Domini facta à muliere peccatrice, de qua Lucas cap. 7. Denique pro Ioanne, ſub numero 98. ponitur vnctio Domini, quam fecit Maria ſoror Marthæ & Lazari, quam refert Ioannes cap. 12. Si ergo ſecundum Ammonium & Euſebium in ſupradictis vnctionibus cóueniunt inter ſe omnes quatuor Euágeliſtæ, cum ea conuenientia referri non queat vel ad vnitatem numeralem vnctionis, vel ad vnitatem temporis & loci in quo plures illæ vnctiones factæ ſint (ex hiſtoria enim Euangelica manifeſtum fit diuerſas fuiſſe vnctiones, & in diuerſis temporibus atque locis factas) hinc neceſſariò concluditur, iſtam omnium Euangeliſtarum inter ſe conuenientiam ſuper illis vnctionibus, non in alio conſiſtere, quàm in vnitate perſonæ quæ vnxit, quoniam vna & eadem fuit mulier, quæ illas vnctiones Domini diuerſis in temporibus peregit. 10.

B. Auguſt. B. Auguſtinus in libro ſecundo de conſenſu Euangeliſtarum cap. 79. Non ſolùm ita ſentit vt nos ſentimus, ſed etiam argumentatur, ita ſentire omnes oportere. Non me fugit, eundem Auguſtinum in Tracta- 11.

tu

tu quadrageſimo nono in Ioannem dubitanter ea de re locutum eſſe, ſic enim ait, Ecce Maria ſoror Lazari, ſi tamen ſoror Lazari & Marthæ fuit, quæ *Luc. 7.* olim lachrymis lauerat, & capillis ſuis terſerat pedes Domini &c. Sed hoc Auguſtinus non ex ſuo ſenſu dixit, ſed quia ſciebat, ea de re Doctores variè ſenſiſſe & ſcripſiſſe; nec putauit, eius loci eſſe, ſuam aperire ac probare ſententiam. Idem planè ſenſit B. Gregorius, *B.Gregor.* vt videre licet in eius vigeſimaquinta & trigeſima tertia homilia in Euangelia, & in libro ſexto epiſtolarum epiſtola 22. Eadem quoque fuit ſententia *Beda.* Bedæ, Alcuini, Rabani, Alberti, in cap. 7. Lucæ; cum *Alcuinus.* quibus etiam conſentiunt Rupertus, Lyranus & Ca- *Rabanus. Albertus.* ietanus in cap. 11. & 12. Ioannis. *Rupertus.*

12. Quin etiam, Faber ipſe atque Clithoueus faten- *Lyranus.* tur præcipuum huius ſententiæ patronum & defen- *Caietanus. Nicolaus* ſorem fuiſſe Nicolaum Papam huius nominis ſecun- *Papa ſecundus.* dum. Sed quid multa? Eccleſia ipſa Catholica hanc videtur amplexata ſententiam; in hymno quippe qui publicè canitur in primis veſperis Feſti Beatæ Mariæ Magdalenæ, expreſſè ponitur hæc de vnica Magda- *Sancta Eccleſia ſequitur ſententiam de vnica Magdalena.* lena ſententia. Adſcribam hoc loco hymnum ſecundum nouiſſimam Breuiarij correctionem & editionem Romæ factam anno Domini 1602.

Amore currit ſaucia
Pedes beatos vngere,
Lauare fletu, tergere
Comis, & ore lambere.
Adſtare non timet cruci,
Sepulchro inhæret anxia,
Truces nec horret milites: &c.

Pro antiphona verò ad Magnificat ponuntur illa verba ſumpta ex capite ſeptimo Euangelij Lucæ: *In*

diebus illis mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Ieſus accubuit in domo Simonis Leproſi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes Ieſu, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Quòd autem iſtam mulierẽ peccatricem ſentiat Eccleſia fuiſſe Mariam ſororem Lazari, apertè indicat illa oratio qua vtitur in miſſa eius Feſti. *Beatæ Mariæ Magdalenæ, quæſumus Domine, ſuffragiis adiuuemur, cuius precibus exoratus, quatriduanum fratrem Lazarum viuum ab inferis reſuſcitaſti.*

Sed venio ad recentiores, & huius fermè noſtri ſe- 13.
culi ſcriptores. Pro hac ſententia pugnat acriter in ſua

Ioãnes Arboreus. Theoſophia libro XI. cap. 21. Ioannes Arboreus: Natalis quoque Beda eandem ſententiam defendit in libro ſuper hac quæſtione edito, quẽm librum in- *Natalis Beda.* ſcripſit Scholaſticam Declarationem communis ſententiæ, & ritus Eccleſiæ ſuper vnica Magdalena. *Ianſenius.* Eiuſdem fuit probator & adſtipulator ſententiæ Ianſenius ſuper cap. 48. & 55. ſuæ Concordiæ Euangelicæ. Sed ante omnes in iſta ſententia recenſendus eſt *Roffenſis.* Beatus Roffenſis, qui egregiam doctrinæ ac ſanctimoniæ laudem nobiliſſimi gloria martyrij, cumulauit: is tres de vnica Magdalena libros aduerſus Fabrum & Clithouæum doctè copioſéque ſcripſit. Poſſem equidem vno verbo dicere, vſque ab ætate B. Auguſtini ad hodiernam diem, omnes fere qui ſuper huiuſmodi quæſtione diſputarunt, pręter paucos illos ſupra nominatos, in hac ipſa fuiſſe ſententia.

Antiqua traditio. Ad hoc etiam probandum valere non parum de- 14.
beret antiquiſſima traditio certiſſimáque perſuaſio earum gentium apud quas Maria ſoror Lazari & Marthæ & multis annis vixit, & mortua eſt, Maſſilienſes dico, & vulgo appellatos Prouenzales; à qui-

bus eius corpus honorificè ſepultum magna religione colitur, magnáque vicinorum populorum veneratione celebratur. His autē perſuaſiſſimum eſt, Mariam ſororem Lazari & Marthę fuiſſe eam ipſam mulierem peccatricem quæ ſecundum Lucam cap. 7. lachrymis rigauit pedes Domini, & capillis ſuis terſit, & vnxit vnguento; fuiſſe quoque eam mulierem quæ nominatur in Euangelio Maria Magdalena, & de qua ſeptem Dæmonia eiecit Dominus. Atque hoc etiam ipſum demonſtrat ea quæ in ſepulchro Mariæ ſororis Lazari hodiéque cernitur inſcriptio; cuius author fuiſſe dicitur Maximinus, vnus de ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti, qui ex Iudæa ſimul cum Maria & Martha Maſsiliam, ingenti miraculo, delatus eſt. Denique, huius diſputationis clauſula ſit hæc, Hanc de vnica Magdalena ſententiam per omnes Eccleſias, & apud omnes Fideles publicè & in templis prædicari, & in ſcholis doceri.

TERTIA DISPVTATIO.

An Maria ſoror Lazari fuerit illa mulier peccatrix, de qua in capite ſeptimo hiſtoriæ ſuæ Euangelicæ ſcripſit Lucas. Recenſentur & ſoluuntur argumenta eorum qui hoc negant.

15 ETSI in proxima ſuperiori diſputatione, recenſendo authores qui ſenſerunt, vnam & eandem fuiſſe mulierem in ſupradictis Euangelicę hiſtorię locis commemoratam, eam nos quoque ſententiam aliquot rationibus comprobauimus; eandē tamen rem diſtinctius & enucleatius per aliquot alias diſputationes tractare nolumus.

Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius Photius, Euſebius, Macharius Ægyptius, Faber, Clithoueus.

Et primo loco diſputandum eſt, an Maria ſoror Lazari fuerit illa mulier peccatrix de qua ſcripſit Lucas capit. 7. Negant id multi, Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Photius, Euſebius, Macharius Ægyptius, Faber, & Clithouæus. Sed quibus iſti argumentis id probant? Duobus potiſſimum. Alterum eſt huiuſmodi, Maria ſoror Lazari, fœmina fuit genere clara & nobilis, & prædiues, & apud Iudæos perquàm honorata; ad eam namque de obitu fratris Lazari conſolandam, multi ex nobilioribus Hieroſolymitis Bethaniam venerunt, vt refert Ioannes in hoc capite vndecimo. Non eſt autem veriſimile, talem fœminam fuiſſe publicam peccatricem atque meretricem.

Mulieres nobiliſſimæ, ob inſignem impudicitiã infames.

Duæ Iuliæ, filia & neptis Augusti Cæſaris.

Sed hoc leue atque infirmum eſt argumentum. 16.
Non enim inuſitatum nec rarum fuit, mulieres multo etiam nobiliores, & opulentiores quàm Maria erat ſoror Lazari, ob vitæ impuritatem atque turpitudinem fuiſſe famoſas. Legimus enim in Romanis hiſtoriis, duas Iulias, alteram Auguſti Cæſaris filiam; alteram verò eiuſdem neptem, ad omnem libidinum turpitudinem, etiam viliſſimis ſcortis pudendam & proſtroſam eſſe prouolutas. Meſſalinæ quæ coniux fuit Claudij Imperatoris, quàm enormis fuerit impudicitia, dicerem hoc loco, niſi notum id eſſet omnibus Romanarum hiſtoriarum non ignaris; & niſi quæ dici poſſent, ea nec à me homine religioſo ſcribi, nec legi ab vllo pudici caſtique animi digna eſſent. Iam verò, quis explicare verbis ſatis queat, quanta fuerit immanitas libidinis Reginæ Aſſyriorum Semiramidis, cæteroqui ob Imperij vſque ad Indos prolati gloriam, & ob bellicæ fortitudinis & prudentiæ laudem celebratiſſimæ fœminæ? Hæc enim non ſatis virorum

Meſſalina cõiux Claudij Imperatoris.

Semiramis Aſſyriorũ Regina.

rum, quoſcumque adamauerat, voluptatibus ſaturata, etiam in equorum inſanos amores exceſſit. Quamuis ego non conceſſerim, Mariam ſororem Lazari fuiſſe publicam meretricem, quorumlibet hominum expoſitam libidini; ſed putauerim, fuiſſe eam vnius dumtaxat, vel certè pauciſſimorum hominum amoribus irretitam, & muliebres vanitates atque delicias ſtudioſè, curioſéque conſectantem. *Mariã ſororem Lazari non fuiſſe publicam meretricem.*

17. Alterum iſti argumentum ad ſuam probandam ſententiam afferunt huiuſmodi. Si Maria ſoror Lazari fuiſſet illa mulier in ciuitate, publica & famoſa peccatrix, nõ vtique Dominus eam tantopere dilexiſſet, nec tam familiariter & amicè cum ea conuerſatus eſſet. Sed hoc poſterius iſtorum argumentum, etiam infirmius eſt priori. Non enim Maria ſoror Lazari ad tantam beneuolentiam, & familiaritatem, & gratiam Domini venit, niſi poſt inſignem atque perfectam de peccatis ſuis actam pœnitentiam, & niſi poſt impuræ vitæ commutationem in vitam honeſtiſſimam atque ſanctiſſimam, ardentiſſimo virtutum ſtudio & cultu, bonorumque operum effectione confirmatam. Nimirum in hac fœmina completum eſt illud Pauli dictum, *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* & quod Dominus verbis docuerat facto comprobauit in hac muliere, ſe non veniſſe vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam: & quod in regno cælorum meretrices & Publicani præceſſuri erant Iudæos qui ſe iuſtos eſſe putabant, ſuámque iuſtitiam vulgo prædicabant. Iudæi certè, qui Domini facta & dicta quoquomodo calumniari & criminari ſtudebant, hoc de ipſo iactabant in vulgus, eum eſſe amicum Publicanorum, & cum peccatoribus, libenter, familiaritérque verſari. *Ad Rom. 5.* *Luc. 5.* *Matth. 9.*

QVARTA DISPVTATIO.

Exponitur & defenditur argumentum, quo B. Auguſtinus probauit Mariam ſororem Lazari fuiſſe illam mulierem peccatricem, quæ ſecundum Lucam vnxit Dominum.

SED age, diſcuſſis iam aduerſariæ opinionis rationibus, nos validis probemus argumentis, Mariam ſororem Lazari fuiſſe mulierem illam peccatricem de qua ſcripſit Lucas. Ac mihi quidem ſatis firma videtur eſſe argumentatio illa, qua B. Auguſtinus ad id probandum vſus eſt, & quam in capite ſeptuageſimo nono libri ſecundi de conſenſu Euangeliſtarum ſcriptam reliquit, in hanc fermè ſententiam. Ioannes in capite vndecimo narrans Dominum veniſſe Bethaniam ad reſuſcitandum Lazarum, interpoſuit hæc verba. *Erat autem Maria, quæ vnxit, & terſit pedes Domini capillis ſuis.* Quibus verbis apertè indicauit, Mariam vnxiſſe Dominum ante mortem fratris ſui Lazari. Ea porro vnctio non poteſt intelligi fuiſſe ea quam idem Ioannes in proximè ſequenti capite duodecimo enarrauit; ea namque poſt reſurrectionem Lazari facta eſt, vt ex initio capitis duodecimi licet cognoſcere. Nec vnctio Mariæ, quá refert Ioannes cap. XI. fuit ea vnctio quam commemorant Matthæus cap. 26. & Marcus cap. 14. ſiquidem ea quoque facta eſt poſt reſurrectionem Lazari. Relinquitur itaque, vnctionem illam Mariæ commemoratam à Ioanne cap. XI. non fuiſſe aliam, niſi eam ipſam vnctionem qua mulier illa peccatrix, ſecundum Lucam, vnxit Dominum. 18.

Auguſt.

Sed vi

Reſponſum quorundã ad argumẽtum Auguſtini refellitur.

19. Sed videamus,quemadmodum hoc Auguſtini argumentum quidam eludere atque euadere voluerint.Reſpõdet Faber, vnctionem Mariæ relatam à Ioanne cap. XI. eam ipſam fuiſſe quam idem Ioannes in proximè ſequenti cap. 12. enarrauit: eam verò vnctionem commemorari à Ioanne cap. XI. tanquam præteritam, cùm nondum tamen facta eſſet, per figuram videlicet Anticipationis, ſatis frequentem & vſitatam ſcriptoribus ſacris tam veteris quàm noui Teſtamenti,per quam figuram, quæ futura ſunt & poſterius gerenda,prius,quaſi iam præterita & geſta commemorantur. Sed friuolum eſt hoc & futile reſponſum.Nam vt ego non negauerim, alios Euangeliſtas interdum eſſe vſos Anticipatione,ita ſine dubitatione dixerim(quod à viris doctis etiam ante me obſeruatum & proditum eſt) Ioannem in ſcribenda hiſtoria Euangelica diligenter exactéque ſeriem rerum geſtarum & ordinem temporum ſeruaſſe,neque vſum eſſe vnquam Anticipatione, ſed res præteritas, vt præteritas,& futuras vt futuras narraſſe.Accedit ad hoc,quod duabus ex cauſis accidit,vt ſcriptores vtantur Anticipatione: vel cum res poſtea geſta non eſt ab eis in proprio eius rei loco narranda, ideóque oblata occaſione anticipant eius narrationem, ne omnino tacitam eam rem prætereant.Vel vtuntur etiam Anticipatione, cum magna quæpiam opportunitas & commoditas ad id faciendum eos inuitat & quaſi impellit. At horum Ioanni neutrum contingit in cõmemoratione vnctionis Mariæ quam fecit cap. 11. nam vnctionem Mariæ factam poſt reſuſcitationem Lazari ipſe proprio in loco,id eſt cap.12. diſtinctè admodum & copioſè narraturus erat: ſuperuacaneum igitur fuiſſet, mentionem eius vnctionis anticipare

Ioannem in ſua hiſtoria Euangelica exactè ordinem temporum & rerum geſtarum ſeruaſſe.

Duæ cauſæ ob quas ſcriptores vtuntur Anticipatione.

in cap.11. Nec vlla fingi ratio poteſt, quæ mouere potuerit Ioannem vt anteuerteret commemorationem vnctionis, quam ipſe proximè poſt ſubtiliter, enucleatéque enarraturus erat.

Reſponſum Ianſenij confutatur. Minus improbabile videtur Ianſenij reſponſum: 20. is quinquageſimum quintum caput explanans ſuæ concordiæ Euangelicæ arbitratur, vnctionem Mariæ quam refert Ioannes cap. 11. eam ipſam fuiſſe, quam idem narrat cap.12. & narrari ab eo in cap.11. tanquã præteritam, non per figuram Anticipationis, vt dixit Faber, ſed quod reuera iam eſſet præterita; non quidem reſpectu temporis earum rerum quæ commemorantur cap. 11. ſed reſpectu temporis quo Ioannes ſcripſit Euangelium, quod ſcriptum ab eo eſt plurimis annis poſtquam illa vnctio facta eſt, & ideo narratur ab eo tanquam præterita. Confirmat hoc Ianſenius exemplo aliorum Euangeliſtarum qui hoc ipſum etiam fecerunt: Matthæus enim cap.9. & Marcus cap.3. & Lucas cap.6. commemorantes electionem duodecim Apoſtolorum à Chriſto factam, & ſingulorum nomina ponentes, cum nominant Iudam adiungunt hæc verba *qui & tradidit eum.* liquet autem, quo tempore Apoſtoli à Chriſto electi ſunt, eo tempore nondum fuiſſe Chriſtum à Iuda traditum: ſed illi proditionem Iudæ tanquam iam factam narrarunt, reſpicientes videlicet ad tempus quo ipſi ſcripſerunt Euangelium, multis nempe annis poſt Chriſti proditionem à Iuda factam.

At enim, hoc Ianſenij reſponſum minimè firmum 21. eſt. Nam licet alii Euãgeliſtæ fecerint id quod Ianſenius ait, Ioannes tamen qui ſeriem rerum geſtarum, & ordinem temporum quibus geſtæ res ſunt curioſè admodum & religioſè in contexenda hiſtoria Euangelica

gelica cuſtodiuit, neque vſus eſt vnquam Anticipatione, neque reſpexit ad tempus quo ipſe ſcribebat Euangelium, ſed tantum ad tempora quibus geſtæ fuerant res quas narrabat, reſpectum habuit. Quamobrem ſupra c.6. & infra c.12. loquens de Iuda, non dixit illud quod alij Euangeliſtæ dixerũt, *qui & tradidit eum*, ſed dixit, *qui erat traditurus eum:* nimirũ, rem futuram referẽs vt futuram. Similiter ſupra c.7. cõmemorans illam ſententiã Domini: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*; continuò adiecit illud. *Hoc autem dixit de Spiritu quẽ accepturi erant credentes in eum.* Si autem Ioannes reſpexiſſet ad tempus quo ſcribebat Euangelium, ita dixiſſet (Hoc autem dixit de Spiritu quem acceperunt credentes in eum.) Maneat igitur, Ioannem obſeruantiſſimum ordinis temporum in ſcribenda hiſtoria, res præteritas narraſſe vt præteritas, & futuras vt futuras. Sed pro declaratione ac defenſione argumenti quo Auguſtinus probauit Mariam ſororem Lazari fuiſſe mulierem illam peccatricem de qua ſcripſit Lucas, ſatis dictum ſit.

QVINTA DISPVTATIO.

Exponuntur alia duo argumenta quibus confirmatur, Mariam ſororem Lazari fuiſſe mulierem illam peccatricem, & obiectio quædam contra hoc ex verbis B. Hieronymi ducta diluitur.

22. POSSVMVS etiam nos id ipſum confirmare aliis duobus argumentis; quorum alterum ex verbis Ioannis quæ ſunt in hoc cap.

11\. ductum eſt. Ioannes enim vt Mariam ſororem Lazari diſcerneret ab aliis Mariis, quæ etiam ipſe Domino notæ ac familiares erant, poſuit illa verba: *Erat autem Maria quæ vnxit & terſit pedes Domini capillis ſuis.* Quaſi hoc tanquam inſigni & nota diſcernere volens eam ab aliis mulieribus. Si autem aliqua aliarum mulierum vnxiſſet, & capillis ſuis terſiſſet pedes Domini, non bene Ioannes per hoc diſcerniculũ vnctionis Mariam ſororem Lazari notificaſſet. Cum itaque mulier illa peccatrix vnxerit, & terſerit capillis ſuis pedes Domini, hinc manifeſtè concluditur, eam non fuiſſe diuerſam mulierem à Maria ſorore Lazari.

Alterum argumentum ad eiuſdem rei confirmationem valens, robur & vim habet ex verbis Domini quæ ſunt apud Matthæum cap. 26. & Marcum cap. 14. Dominus enim effuſionem vnguenti ſuper caput ſuũ reprehenſam à diſcipulis defendens & laudans, prædixit fore memoriam eius mulieris, ob illud factum, æternam in toto terrarum orbe, vbicumque prædicatum eſſet Euangelium: verba Domini hæc ſunt. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius.* Sed per omnes Chriſti Eccleſias, & à cunctis fidelibus mulier illa quæ vnxit caput Domini celebratur ſub nomine mulieris illius peccatricis & Mariæ ſororis Lazari; vt ſupra oſtenſum eſt ex officio Eccleſiaſtico quod in feſto Mariæ Magdalenæ celebratur in omnibus Eccleſiis: ergo, cum illa Domini prædictio & veriſſima, & iam completa fuerit, neceſſum eſt fateri, Mariam ſororem Lazari non fuiſſe diuerſam ab illa muliere peccatrice. 23.

Obiectio ex verbis B. Hieronym. Sed aduerſariæ opinionis propugnatores nobis opponunt ſententiam B. Hieronymi, qui ſuper cap. 24.

26\. Mat.

26. Matthæi loquens de illa muliere quæ vnguentum effudit ſuper caput Domini, habet hæc verba, Nemo putet, eandem fuiſſe mulierem quæ vnxit caput Domini, & quæ vnxit pedes eius: hæc enim & lacrymis lauit, & crine ſuo terſit pedes Domini, & manifeſtè meretrix appellatur: de hac verò nihil tale ſcriptum eſt. Sic Hieronymus. Si itaque ſecundum Hieronymum mulier quæ vnxit caput Domini diuerſa fuit ab illa muliere peccatrice quæ vnxit pedes eius; cum ſecundum noſtram ſententiam mulier illa quæ vnxit caput Domini non alia fuerit quàm Maria ſoror Lazari, niſi velimus contradicere Hieronymo, fateri debemus Mariam ſororem Lazari ab illa muliere peccatrice fuiſſe diuerſam.

25. Sed hæc obiectio ita dilui poteſt. B. Hieronymus mulierem quæ vnxit caput Domini ait fuiſſe diuerſam ab illa muliere peccatrice non ſecundum perſonam, ſed ſecundum vitæ ſtatum, & animi atque propoſiti diuerſitatem, quod tanta fuerit vitæ illius mulieris mutatio, vt non eadem, ſed alia videretur mulier: ſic enim vulgo dici ſolet de homine qui priorem vitam in aliam diuerſiſſimam atque adeo contrariã cum admiratione omnium commutauit. Iſte homo non eſt idem; Eſt alius vir. Quoniam igitur illa mulier peccatrix flagitioſam priorem vitam ſuam per admirabilem pœnitentiam exuerat & abiecerat, & honeſtiſſimam atque ſanctiſſimam vitam colebat cum Domini caput vnxit, idcirco dixit Hieronymus, non eandem ſed aliam fuiſſe mulierem ab illa peccatrice. Atque hoc non obſcurè ſignificauit Hieronymus eo, quod proximè ſubiecit poſt ſupradicta verba, (*Neque enim*, inquit, *poterat mulier quæ fuerat meretrix ſtatim Domini capite digna fieri.*) Quid ſignificat

Supradicta obiectio diluitur.

illud *ſtatim*: hoc nempe, mulier ex turpi & infami vita veniens, non debuit illico ad Dominici capitis vnctionem admitti: ſed prius more pœnitentium, circa pedes Domini humiliter lacrymabunda doléns que verſari; & poſtea colendis virtutibus, faciendíſque bonis operibus exercitata, ad Dominici capitis vnctionem aſcendere.

Notanda Ambroſij ſententia. Ac ne quis forte ſuſpicetur, hanc Hieronymi verborum interpretationem à nobis eſſe confictam, ſciat lector, eam ex Ambroſij ſumptam eſſe commentariis in Lucam: nam ſuper cap. 7. Lucæ diſputans, vtrum mulier quæ ſecundum Lucam vnxit pedes Domini, & illa quæ ſecundum Matthæum & Marcum vnxit caput eius, diuerſæ fuerint mulieres, an vna & eadem mulier, ita ſcribit. Potuit eſſe diuerſa mulier, ne contraria ſibi Euangeliſtæ dixiſſe videantur. Poteſt etiam quæſtio hæc meriti atque temporis diuerſitate diſſolui, vt mulier adhuc peccatrix, Domini tantum pedes vnxerit: eadémque cum vnxit caput Domini, fuerit perfectior. Nam & ſi perſonam non mutat Eccleſia, animus tamen mutat propoſitum atque profectum. Sic Ambroſius. Sanè, mulierem quæ vnxit pedes Domini, & eam quæ caput eius vnxit, eandem fuiſſe mulierem perſpicuis verbis affirmat Sanctus Hieronymus in procemio commentariorum ſuorum in Oſeam Prophetam. 26.

Hieronym.

* * *

SEXTA

SEXTA DISPVTATIO.

An Maria ſoror Lazari fuerit illa Maria Magdalena, ex qua Chriſtus ſeptem eiecit dæmonia.

27. FABER id negat, & pluribus probare argumentis conatur. Primò, inquit, illa Maria Magdalena exercebat vitam actiuam. Lucas enim cap. 8. commemorans mulieres quæ Dominum in Galilæa degentem ſequebantur, eique ac diſcipulis eius ſubſidia temporalia miniſtrabant, inter eas mulieres nominat Mariam Magdalenam. At verò Maria ſoror Lazari & Marthæ contemplatiuam vitam colebat; cum enim Dominus domum eius intraſſet, ſcribit Lucas cap. 10. Martham fuiſſe ſatagentem atque ſollicitam circa frequens miniſterium domus, Mariam verò contemplationi vacantem ſediſſe iuxta pedes Domini, audiendis eius ſermonibus intentam. Quamobrem prælata eſt ſorori ſuæ Marthæ à Domino, cum dixit: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima; porro vnum eſt neceſſarium, Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* Sed hęc Fabri argumentatio ita refellitur. Maria vtramque vitam coluit, & contemplatiuæ ſtudens, & actiuam interdum exercens. Ipſa enim & pedes & caput Domini vnxit, ipſa quoque aromata comparauit & tulit ad ſepulchrum, vt corpus Domini vngeret. Hæc autem officia ſunt pietatis atque charitatis erga proximum, & ad vitam actiuam pertinent: ergo Maria vtrique vitæ operam dedit, licet maiorem contemplatiuæ: ſicut etiam Dominus vtriuſque vitæ in ſe ipſo clariſſima dedit exempla & documenta.

Opinio Fabri, & eius argumenta.

Solutio primi argumenti Fabri.

Secundum argumentũ Fabri.

Alterum Fabri argumentum, quod ei videtur inſolubile, eſt huiuſmodi: Illa Maria Magdalena, fuit mulier Galilæa; Maria autem ſoror Marthæ, fuit Iudæa, ex caſtello Bethaniæ quod erat in Iudæa, in hoc enim vndecimo capite ſcriptum eſt, Lazarum fuiſſe ex Bethania, caſtello Marthæ & Mariæ: idémque licet cognoſcere ex his quæ ſcribit Lucas cap.10. Quod autem illa Maria Magdalena fuerit Galilæa, Faber probat quadrupliciter. Primò, Lucas c.8. commemorans mulieres quæ Dominum in Galilæa degentem ſequebantur, eique ac diſcipulis eius temporalia ſubſidia miniſtrabant, inter alias mulieres nominat Mariam Magdalenam, erat igitur ipſa mulier Galilæa. Deinde Matthæus cap.27. ita ſcribit: *Erant ibi mulieres multæ quæ ſecutæ fuerant Ieſum à Galilæa, & miniſtrabant ei, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.* Ad hæc Mariam Magdalenam liberauit Dominus à ſeptem dæmonibus, ſed multos à Domino in Galilæa fuiſſe liberatos à dæmonibus ſcribit Lucas cap.6. Matthæus quoque cap.8. narrat Dominum multos Capharnai, vexatos à dæmonibus liberaſſe. *Veſpere,* inquit, *facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eijciebat ſpiritus verbo.* Præterea, illa Maria Magdalena appellata eſt Magdalena à Magdalo caſtello Galilęę, quod erat in Galilæa inter Bethſaidam & mare Tiberiadis: nam ſecundum Brocardum in ſua Deſcriptione Terræ Sanctæ, Magdalũ Galilææ caſtellum, diſtabat à Bethſaida duabus leucis, & conſtructũ erat in littore maris Galilææ. Quin etiam Ioſephus Hebræus in eo libro quem de ſua vita ſcripſit, meminit Magdali tamquam caſtelli Galilææ. Atque hæc quidem Faber. 28.

Magdalũ caſtellum Galilææ.

Brocardus.

Ioſephus.

Solutio argumentationis Fabri.

Sed iſta multiceps Fabri argumentatio, ita diſſoluitur. 29.

tur. Nihil abſurdi eſt putare, Mariam ſororem Marthæ fuiſſe Galilæam, ſimúlque Iudæam, diuerſa tamē ratione: Iudæam quidem, vel ortu, vel habitatione, Galilæam verò, vel quia patrimonium eius erat in Galilæa, vel quia nupſerat viro Galilæo, ideóque diu antea habitauerat in Galilæa. Nonne Dominus noſter vulgo appellatus eſt Nazarenus, & Galilæus? propter educationem videlicet eius in vrbe Nazareth, & propter diutinam eius máſionem, & prædicationem, atque conuerſationem in Galilæa, cum tamen reuera ipſe Iudæus eſſet, & natus in Iudææ vrbe Bethleem. Nec quidquam prohibet credere, Mariam ſororem Lazari, licet ea mulier eſſet Iudęa, liberatam à Domino fuiſſe à Dæmonibus in Galilæa: potuit enim id accidiſſe, vel quia tūc illa habitabat in Galilæa, vel quia conſulta opera, vt liberaretur à Dæmonibus, iuerit tunc in Galilæam ad Dominum: narrat enim Lucas cap. 6. multos à Dæmonibus vexatos, ex vrbe Hieruſalem & ex Iudæa veniſſe in Galilæam ad Dominum, vt ab eo liberarentur.

Maria ſoror Marthæ fueritne mulier Galilæa, an Iudæa.

30. Quid plura? Cum etiam Faber fateatur, Mariam ſororem Lazari fuiſſe cognominatā Magdalenā, nec id cognomentum illa traxerit aliunde quàm à Magdalo caſtello Galilææ; confiteri etiam Faber debet, Mariam ſororem Lazari aliquo modo fuiſſe Galilæam. Nam quod ipſe reſpondet, duplex fuiſſe Magdalum caſtellum; & alterum quidem fuiſſe in Galilæa, à quo illa mulier quam Dominus liberauit à ſeptem dæmonibus denominata eſt Magdalena, alterum verò Magdalum fuiſſe in Iudæa, à quo Maria ſoror Lazari etiam vulgo appellata eſt Magdalena; hoc inquam Fabri reſponſum pro nihilo habendum eſt. Nam nec ipſe probat quod de duplici Magdalo di-

An fuerit duplex Magdalum caſtellum.

cit,& nullus Coſmographorũ in deſcriptione Iudææ, vllum in ea poſuit caſtellum vel oppidum nomine Magdalum,vt non temerè credi poſſit,id à Fabro quo ſuam iuuaret ſententiam,eſſe confictum.

Quomodo Maria ſoror Lazari poſſederit Magdalũ caſtellũ,duplex traditio.

Quamquam de Magdalo caſtello Galilææ, quo- 31.
modo ad poſſeſſionem Mariæ ſororis Lazari pertinuerit, duplex eſt antiqua traditio. Altera eſt, poſt obitum parentum diuiſo patrimonio, Lazaro plurima bona quæ erant Hieroſolymis obtigiſſe, Marthæ caſtellum Bethaniæ obueniſſe, ad Mariam verò poſſeſſionem caſtelli Magdali,quod erat in Galilæa perueniſſe. Altera eſt traditio,Mariam nupſiſſe cuidam pernobili ac prædiuiti viro Galilæo & domino Magdali caſtelli, ideóque illuc eam iuiſſe ſequendo maritum ſuũ,& inibi diu manſiſſe,& marito mortuo dominam eius caſtelli ab eo fuiſſe relictam, & ob eam cauſam vulgo appellatam eſſe Magdalenam.

Quid ſcribat Hieronymus de duplici Magdalena.

B.Hieronymus in epiſtola quam ſcripſit ad Hedi- 32.
biam, in reſponſione ad quartam eius quæſtionem ait, quoſdam ſenſiſſe, duas fuiſſe Magdalenas:vnam, quæ in Matthæo Dominum vidit reſurgentem: alteram verò,quæ in Ioanne Dominum quærebat abſentem,ſed ipſe Hieronymus in eodem loco ſcribit,quatuor in Euangelijs commemorari mulieres nomine Marias: vnam, quæ fuit mater Domini noſtri,alterá, quæ dicta eſt,Maria Cleophe,tertiam, matrem Iacobi & Ioſeph,quartam,Mariam Magdalenam.Ex quo licet intelligere, Mariam ſororem Lazari, ſecundum Hieronymum,non fuiſſe diuerſam à Maria Magdalena,alioquin non quatuor tantum, ſed quinque fuiſſent mulieres nomine Mariæ in Euangelio appellatæ.

Quatuor mulieres in Euangelio nominari Marias.

Ambroſ. B.certè Ambroſius in eo libro quem ſcripſit de Salomone cap. 5. apertis verbis ſcribit eandem fuiſſe mulierem

lierem de qua Dominus ſeptem eiecit dæmonia, & cuius fratrem Lazarum mortuum ad vitam reuocauit.

SEPTIMA DISPVTATIO.

An illa mulier peccatrix fuerit ea ipſa de qua Dominus eiecit ſeptem dæmonia.

33. FABER & Clithouæus diuerſas fuiſſe mulieres probare voluerunt tribus hiſce rationibus. Prima ratio: Lucas cap. 7. loquens de illa muliere peccatrice, proprium eius nomen tacuit: at verò idem cap. 8. de altera muliere loquens expreſſè notificauit eam quatuor modis; & à proprio eius nomine, eam vocans Mariam; & à cognomine, appellans Magdalenam; & ab euentu, ſcribens fuiſſe eam liberatam à ſeptem Dæmonibus, & ab exercitio vitæ narrans, quòd ea Chriſtum in Galilæa degentem ſequebatur, eique ac diſcipulis eius miniſtrabat de ſuis facultatibus. Satis itaque hinc apparet, hanc mulierē fuiſſe diuerſam ab illa peccatrice. Secunda ratio: Mulier de qua Dominus eiecerat ſeptem Dæmones, ſatis familiariter conuerſabatur cum Domino & diſcipulis eius, quippe quæ vt diximus, Chriſtum Galilæam prædicando peragrantem tanquam diſcipula ſequebatur, & temporalis vitæ ſubſidia miniſtrabat ei de ſuis facultatibus: ſed minimè decorum fuiſſet, mulierem ætate iuuenili, & inſigni forma, & quæ publica nuper fuerat meretrix, tam familiariter conuerſari cum Chriſto & cum diſcipulis eius: ergo mulier à dæmonibus liberata non fuit illa mulier peccatrix.

Tres rationes Fabri, quod fuerint diuerſæ mulieres.

34. Tertia ratio: Si eadem fuiſſet mulier, & illa Dæmo-

niaca, & illa peccatrix, quæritur, quando illa fuerit, & à dæmonibus, & à peccatis liberata. Vel enim prius fuerat à dæmonibus liberata, & poſt facta eſt peccatrix;& deinde remiſſa ſunt ei peccata à Domino. Sed nequaquam credibile eſt, quæ diu tyrannicam ſeptem Dæmonum vexationem experta fuerat, auſam eſſe iterum ſe vitiis etiam cum publico dedecorę ac turpitudine, mancipare. Vel prius ei peccata ſunt remiſſa,& poſtea Dæmones eam iuuaſerunt atque poſſederunt: ſed neque hoc eſt veriſimile; cui enim Chriſtus peccata tam liberaliter condonauerat, cuius pœnitentiam tam luculentè laudauerat, & quam in pace dimiſerat, eam poſt miſerrimè factam eſſe ſeptem Dęmonum prædam,reſpuit animus credere. Reliquum igitur eſt vt dicatur, eam mulierem eodem tempore fuiſſe dæmoniacam & peccatricem, & in domo Simonis Phariſæi accepiſſe à Domino remiſſionem peccatorum ſuorum, ſimulque liberationemà Dæmonibus. At hoc eſſe minus quàm ſuperiora credibile, tripliciter iſti argumentantur. Primò, Extra fidem eſt,illam mulierem, ſi erat Dæmoniaca, fuiſſe publicam meretricem atque peccatricem; quis enim hominum cum muliere quæ à ſeptem Dæmonibus vexabatur, auſus eſſet congredi? quin potius aſpectum eius omnes exhorruiſſent,congreſſumque fugiſſent. Deinde quæ mulier illa peccatrix egit erga Chriſtum in domo Simonis,ſatis declarant,eam non fuiſſe Dæmoniacam: Vt enim cognouit quod Ieſus eſſet in domo Simonis, iuit illuc afferens alabaſtrum vnguenti: & ſtans ſecus pedes Domini,lacrymis ſuis lauit eos,& capillis terſit,& vnguẽto vnxit, & exoſculata eſt, ardentiſſimè remiſſionem expetens ſuorum peccatorum. Huiuſmodi autem res

agere,

agere, non eſt eorum qui vexantur à Dæmonibus; quippe qui non ratione nec conſilio ducuntur ad agendum, ſed impetu quodam & furore incitantur, & ſunt aliis horribiles atque terrifici. Ad hæc, ſicut Simon ille Phariſæus dixit de Chriſto: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* ita quoque dixiſſet, (Quia mulier eſt dæmoniaca, & à ſeptem Dæmonibus poſſidetur.) Atque his rationibus probare iſti voluerunt, mulierem illam peccatricem fuiſſe diuerſam ab ea muliere quæ liberata eſt à ſeptem dæmonibus.

OCTAVA DISPVTATIO.

Soluuntur tres ſupradictæ rationes, quibus probari videbatur, mulieres illas fuiſſe inter ſe diuerſas.

35. Sed iſtas rationes non magni negotij fuerit diſſoluere. Ad primam reſponderi dupliciter poteſt. Dici enim poteſt illud quod
ait Beda ſuper cap.8. Lucæ. Hæc, inquit, Maria Mag- *Beda.*
dalena eſt illa mulier peccatrix cuius pœnitentiam in proximo ſuperiori capite Lucas expoſuit: ſed vbi ſcribit de ea quòd ſequebatur Dominum & miniſtrabat ei de ſuis facultatibus, proprio eam nomine manifeſtauit, appellans Mariam Magdalenam; vbi verò eam deſcribit peccatricem atque pœnitentem, modeſtè profectò & reuerenter proprium eius nomen tacet, & generaliter tantum vocat mulierem: ne videlicet tantæ nomen fœminæ quæ per vniuerſas hodie colitur & celebratur Eccleſias, aliqua priſci erroris nota offuſcaret. Sic Beda. Illud prætereà dici poteſt,

Si hæc iſtorum valeret argumentatio, Lucas nomen proprium illius peccatricis tacuit, illius autem mulieris quæ liberata eſt à Dæmonibus proprium nomen expreſſit: ergo fuerunt diuerſæ mulieres; ſi hæc, inquam, valeret argumentatio, ſimiliter argumentari liceret, auriculæ abſciſſionem quæ facta eſt in horto, cum eſt Dominus à Iudæis captus, quam narrant tres alij Euangeliſtæ, fuiſſe diuerſam ab ea abſciſſione auriculæ quam narrat Ioannes, quia illi nec eius qui abſcidit auriculam, nec eius cui abſciſſa eſt, proprium nomen indicarunt, Ioannes verò vtrumque declarauit.

Ad ſecundam rationem hoc ſit reſponſum. Nulla 36.
eſſe potuit cauſa vel occaſio apud homines malè de Chriſti diſcipulis exiſtimandi propter illius mulieris ſequelam & familiaritatem: tum quia notiſſima & ſpectatiſſima erat omnibus eximia Chriſti & diſcipulorum eius honeſtas morum, vitæ integritas, & irreprehenſibilis conuerſatio. Tum quia perinſignis fuerat, vulgóque manifeſta illius mulieris conuerſio ad honeſtiſſimam vitam, & inter conuerſionem eius atque ſequelam Chriſti non paruum temporis ſpatium interceſſerat. Nec verò cogitandum eſt, illam mulierem vnà cum diſcipulis eſſe verſatam, quaſi in eorum fuerit contubernio & conuictu: ſeparatim enim habitabat, & viuebat vnà cum aliis piis mulieribus, quæ etiam ipſę ſequebantur Dominum, & miniſtrabant ei, audiendæ eius doctrinæ, ſpectandiſq; miraculis vacãtes. Illud præterea ſcire cõuenit, vſitatũ fuiſſe apud Iudæos, vt religioſæ mulieres ſequerentur prædicatores & doctores diuinæ legis, eiſq; ſubſidia temporalis vitæ ſuppeditarent. Quin etiam id factũ eſſe in primitiua Eccleſia & apud Apoſtolos, teſtis eſt B. Pau

B. Paulus in nono capite prioris epiſtolæ ad Cor. hæc ſcribens: *Numquid poteſtatem non habemus mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? aut ego ſolus & Barnabas poteſtatem non habemus hoc faciendi?*

Locus primæ ad Cor. 9.

37. Tertia iſtorum ratio reſponſum habeat huiuſmodi. Illa mulier priuſquam venit domum Simonis ad Chriſtum, fuerat ab eo & à peccatis & à dæmonibus liberata. Lucas enim cap. 6. narrat, magnam multitudinem hominum & mulierum ex vrbe Hieruſalem & ex Iudæa veniſſe in Galilæam ad Chriſtum, & omnes qui vexabantur à ſpiritibus immundis, fuiſſe ab eo liberatos. Inter hos, exiſtimare licet fuiſſe Magdalenam, quæ ex caſtello ſuo Bethaniæ venit in Galilæam ad Chriſtum, vt duplex ab eo beneficium, & remiſſionis peccatorum ſuorum, & liberationis à dæmonibus conſequeretur. Eam porro fuiſſe conuerſam antequam veniret domum Simonis ad Chriſtum, veriſimile fit ex tanta eius in domo Simonis profuſione lacrymarum, tantáque animi & corporis humilitate, & tam inſigni pietate ac religione erga Chriſtum: hæc enim indicabant, non eam tunc primùm conuerti, ſed ante fuiſſe conuerſam; ſed tunc egiſſe illa, vt oſtenderet, quanto animi dolore atque odio præterita peccata ſua deteſtaretur, & quanti æſtimaret quod à Chriſto acceperat beneficium remiſſionis peccatorum & liberationis à dæmonibus.

Quando illa mulier fuerit à peccatis & à Dæmonibus liberata.

38. Sed contra hanc ſententiam duo poſſent obiici. Si enim iſta mulier fuiſſet antea & à peccatis & à dęmonibus liberata, cur poſtea iuiſſet ad Chriſtum, & tantam vim lacrymarum profudiſſet; aut quomodo Chriſtus tunc indulſiſſet remiſſionem peccatorum,

Duæ obiectiones.

dicens. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum?* Illud etiam poſſet quiſpiam obiicere, ſi mulier illa priuſquam veniret domum Simonis, fuerat à peccatis liberata, & honeſtam vitam agebat, quomodo Simō ille Phariſæus dixit, fuiſſe eam tunc peccatricem? dixit enim, *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.*

Solutio obiectionum.

39. Ad priorem obiectionem reſpondemus, fuiſſe illam mulierem à peccatis liberatam, antequam venit domum Simonis, ſed poſtea recordatione, ſeriáque conſideratione ante actæ vitæ ſuæ, & tot tantorúmque peccatorum ſuorum, ingenti pudore, & acerbiſſimo animi dolore affectam adiuiſſe ad Chriſtum in domo Simonis manentem; tum vt pro duplici beneficio quod ab eo acceperat liberationis & à peccatis & à Dæmonibus, quantas poſſet maximas ei gratias ageret, & quibuſcumque poſſet grati animi officiis, & humilitatis & pietatis erga ipſum obſequiis aliquam ei gratiam referret: tum vt pleniſſimam ab eo remiſſionem peccatorum ſuorum, quantum ad culpam videlicet & quantum ad pœnam omnem peccatis debitam impetraret, ſimulque ab eo virtutem acciperet omnia impoſterum præcauendi peccata, & bene viuendi vſque ad finem vitæ. Ad poſteriorem obiectionem reſpondendum eſt, liberationem illius mulieris à peccatis, & conuerſionem eius ad honeſtam vitam quia recens erat facta, nondum fuiſſe Simoni notam, & vulgo manifeſtam, & nondum illa dederat clara & perſpecta omnibus pœnitentiæ ſuæ & ſanctæ vitæ quā agere cœperat, indicia: quamobrem vetus de illius infamia opinio manebat in animis hominum, & vulgo habebatur peccatrix.

NONA

NONA DISPVTATIO.

An per ſeptem Dæmones quibus liberata eſt illa mulier, propriè intelligi debeant ſeptem ſpiritus maligni à quibus corporaliter illa mulier vexabatur: an verò per ſeptem dæmones figuratè ſignificata fuerit multitudo ſiue vniuerſitas principalium vitiorum, propter quæ fuerat illa mulier ſpiritualiter in poteſtate & dominio Dæmonum.

40. MVLTI per ſeptem illa Magdalenæ dæmonia putarunt intelligi debere ſeptem vitia principalia, vel magnam quampiam multitudinem ſiue vniuerſitatem vitiorum quæ erant in illa muliere, & propter quæ mulier illa erat ſpiritualiter in poteſtate ac dominatione dæmonum. Non enim inuſitatum eſt in ſacra Scriptura ponere nomen dæmonis pro vitiis & peccatis quorum ille auctor eſt, quaſi nomen cauſæ pro nomine effectus: & ſeptenario numero ſæpè ſignificatur magna quæpiã multitudo: ergo illa mulier habebat ſeptem dæmonia, quoniam habebat plurima & maxima vitia, propter quæ ſpiritualiter poſſidebatur à dæmonibus.
Hoc etiam modo ſeptem illa dæmonia Magdalenæ interpretatus eſt Beatus Gregorius. Neque interpretatio hæc diſplicuiſſe videtur Theophylacto; is enim octauum Lucæ caput explanans, illa ſeptem dæmonia Magdalenæ interpretatur ſeptem ſpiritus ſiue operationes malitiæ diabolicæ, qui ſunt contrarij ſeptem ſpiritibus diuinæ virtutis. ſicut enim

B.Gregor. hom. 25. in Euangelia. *Theophyl.* *Septuplex ſpiritus diaboli contrarius ſeptuplici ſpiritui Dei.*

à Deo eſt ſpiritus timoris Dei,& pietatis, & fortitudinis,& conſilij,& ſapientiæ,& ſcientiæ, atque intellectus: ita ex aduerſo ſuggeritur homini à diabolo ſpiritus contemptus Dei,& impietatis,& fortitudinis, & inſipientiæ,& temeritatis, & hebetudinis intellectus circa ea quorum cognitio & effectio ad ſalutem animæ conducit. Et ſicut Deus ſeptem illis ſpiritibus ornat,regit, & perficit animum hominis; ita ſupradicto ſeptemplici ſpiritu diaboli fœdatur,& corrumpitur, & ad æternam perditionem trahitur homo. Atque hæc quidem eſt de ſeptem illis dæmonibus Magdalenæ iſtorum ſententia.

Probatur illa dæmonia Magdalenæ fuiſſe malignos ſpiritus à quibus corporaliter vexabatur.

Sed ea mihi ſententia haudquaquam probatur; 41.
arbitror enim, ſeptem illa dæmonia Magdalenæ fuiſſe malignos ſpiritus à quibus Magdalena corporaliter vexabatur, id enim ſatis indicat ſacra Scriptura. Lucas enim initio octaui capitis ita ſcribit: *Erant cum Domino duodecim Apoſtoli, & aliquæ mulieres quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis*. & nomina earum mulierum exponens ſubiungit: *Maria quæ vocatur Magdalena, de qua ſeptem Dæmonia eiecit, & Ioanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ mulieres, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. Hinc apparet dæmonia illa Magdalenæ fuiſſe malignos ſpiritus à quibus curata eſt. Deinde, ſi per ſeptem illa dæmonia Magdalenæ non maligni ſpiritus ſed vitia intelligi debent, ergo quotieſcumque dicitur in Euangelio, Chriſtum liberaſſe homines à dæmonibus, intelligi oporteret, homines illos fuiſſe liberatos à vitiis, non autem à malignis ſpiritibus, quod tamen perabſurdum eſt: nulla enim ratio eſt cur dæmonia Magdalenæ interpretari debeamus vitia,& non malignos ſpiritus,& non itidem dæmonia quibus liberati ſunt alij homines interpreta-

ri

ri debeamus vitia,& non malignos ſpiritus. Nec ſanè B. Gregorius ſignificare voluit, Magdalenam non fuiſſe corporaliter vexatam à dæmonibus,ſed ex modo pœnæ illius indicare voluit modum culpæ ipſius, nam quia illa plurimis & maximis vitiis mancipata erat, ideo permiſſa eſt corporali multorum dæmonum vexationi.

Explicatur dictum B. Gregorij.

42. Iuuat referre hoc loco, quod Abbas Serenus apud Caſſianum dixit in ſuæ collationis cap.25.26.27.diſputans ſuper tribus modis quibus homines poſſidetur à dæmonibus,cuius ſumma diſputationis hæc eſt.Quidam homines tantum corporaliter poſſidentur à dæmonibus, quia in corpore ſuo vexantur à dæmone, ſed quia boni & iuſti ſunt, ſecundum mentem & voluntatem obnoxij non ſunt diabolo. Hoc enim genus diabolicæ vexationis permiſſu Dei, nonnunquam etiam iuſtis & ſanctis viris contingit: teſtatur certè Serenus ſe vidiſſe Paulum & Moyſem monachos ſanctiſſimos corporaliter vexatos à Dæmonibus. Beatus quoque Iob peſſimo corporis vlcere, & acerbiſſimis doloribus à Satana percuſſus & vehementer afflictatus eſt.Alij homines & corporaliter & ſpiritualiter poſſidentur à dæmonibus; huius generis fuere complures quos in Euangelio legimus,à ſpiritibus malignis fuiſſe liberatos à Domino. Nonnulli etiam ſunt qui ſpiritualiter tantùm poſſidentur à dæmone:iſti non vexantur corporaliter à dæmone, nec priuantur vſu rationis & ſenſuum, nec ſunt aliis hominibus horrori aut terrori, ſed eorum mens & animus diabolica impletur malitia, eoſque dæmon captiuos tenet, mouens, & regens, & ducens quocumque vult.Atque hic modus diabolicæ poſſeſſionis hominum quantò eſt occultior & inuiſibilior,

Diſputatio Abbatis Sereni ſuper tribus modis quibus homines poſſidentur à dæmonibus.

Paulus & Moyſes monachi ſancti & à dæmonibus vexati.

Iob.2.

Quo Iudas modo fuerit à diabolo poſſeſſus.

tanto eſt exitialior atque incurabilior. Sanè, hoc modo Iudas proditor Chriſti, poſſeſſus à dæmone tenebatur. Nam vt infra cap. 13. ſcribit Ioannes, in nouiſſima Chriſti cœna, poſt buccellam panis à Chriſto acceptam, introiuit in eum Sathanas: & vt ſupra cap. 6. ſcripſit Ioannes, Dominus eum appellauit diabolum, dicens Apoſtolis, *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus eſt? Hoc autem dicebat de Iuda qui erat eum traditurus.*

DECIMA DISPVTATIO.

An Maria ſoror Marthæ, quæ ſecundum Ioannem cap. 12. vnxit pedes Domini, fuerit ea ipſa mulier, quæ ſecundum Matthæum capite 26. & Marcum capite 14. vnxit caput Chriſti.

Origenes. Chryſoſt. Theophyl. Euthym.

ORigenes in tractatu 35. in Matthæum, Chryſoſt. homilia 81. in Matthæum, & 61. in Ioannem, Euthymius & Theophylactus in cap. 43.
7. Lucæ arbitrantur, illas fuiſſe diuerſas vnctiones, in diuerſis temporibus & à diuerſis mulieribus factas. Et diuerſas quidem fuiſſe vnctiones, poteſt his quinque argumentis probari. Primò, illa vnctio ſecundum Ioannem, facta eſt ante ſex dies Paſchæ, vt ipſe ait, hæc autem vnctio ſecundum Matthæum & Marcum facta eſt biduo ante Paſcha, vt ex verbis eorum cognoſci poteſt. Deinde, illa ſecundum Ioannem, facta eſt Bethaniæ in domo Marthæ; Ioannes enim ait ibi recubuiſſe Lazarum in cœna cum Chriſto, & Martham miniſtraſſe, & Mariam familiariter vnxiſſe pedes Domini: vnctio verò ſecundum Matthæum & Marcum, facta eſt in domo Simonis leproſi, vt ipſi ſcribunt. Ad hæc Ioannes proprium nomen mulieris

Quinque argumenta eorum, qui putarunt illas fuiſſe diuerſas vnctiones & à diuerſis mulieribus factas.

quæ vnxit Dominum exponit, fuit enim Maria ſoror Marthæ: quæ autem ſecundum Matthæum & Marcum vnxit Chriſtum, generaliter tantùm appellatur mulier, tacito proprio eius nomine. Præterea mulier illa ſecundum Matthæum & Marcum vnxit caput Domini, non autem pedes eius: at ſecundum Ioannem, Maria vnxit pedes Chriſti, & capillis terſit eos, nō autem vnxit caput Domini. His accedit, quod apud Matthæum & Marcum dicuntur diſcipuli murmuraſſe de effuſione illius vnguenti, apud Ioannem verò ſolus Iudas inducitur murmurans de illa effuſione vnguenti. His itaque argumentis probari videtur illas vnctiones fuiſſe diuerſas, & à diuerſis mulieribus factas.

44. Sed profectò videtur multò probabilior contraria ſententia: nam vnam & vnius mulieris fuiſſe vnctionem quam narrant omnes tres Euangeliſtæ, multa nec obſcura indicia, nec dubia ſunt argumenta. Vtraque enim vnctio dicitur eſſe facta Bethaniæ; & facta inſtante feſto Paſchæ, & inſtante paſſionis & mortis Chriſti tempore. In vtraque item vnctione nominatur idem genus vnguenti, quod dicitur fuiſſe nardi piſtici pretioſi, eodémq; pretio æſtimatur, trecentorum videlicet denariorum. In vtraque item vnctione commemoratur eadem vituperatio & reprehenſio effuſionis illius vnguenti ab aliis facta; eadémque refertur illius defenſio & laudatio quam fecit Chriſtus. Ad hæc, ſi diuerſæ fuiſſent vnctiones, procul dubio ea quam narrat Ioannes, fuiſſet prior, quippe quæ facta dicitur ante ſex dies Paſchæ, ea verò quam narrant Matthæus & Marcus, putatur facta eſſe biduo ante Paſcha. At cum in illa vnctione quam narrat Ioannes, audiſſent diſcipuli effuſionem vnguenti

Quinque argumentis probatur ab Authore vnā & vnius mulieris fuiſſe vnctionē, quæ narratur à tribus Euāgeliſtis.

reprehenſam à Iuda, fuiſſe defenſam & laudatam à Domino; quomodo quatriduo poſt, in vnctione de qua Matthæus & Marcus ſcribunt, auſi eſſent effuſionem vnguenti quam fecerat illa mulier vituperare ac reprehendere? Illud quoque magnam huic ſententiæ fidem facit, quod apud Matthæum & Marcum Chriſtus prædixit, vnctionem illius mulieris in toto mundo celebratum iri, vbicumque prædicatum foret Euangelium: at mulier quæ illam vnctionem fecit, per omnes Chriſti Eccleſias celebratur ſub nomine Mariæ ſororis Marthæ. Quid plura? tanta eſt huius ſententiæ veritatis euidentia, vt etiam ipſe Faber & Clithouæus, poſthabita Origenis, Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymij, ſententia, ingenuè ſint confeſſi, vnam fuiſſe vnctionem & vnius mulieris, quam ſupradicti tres Euangeliſtæ commemorant.

VNDECIMA DISPVTATIO.

Soluuntur ſupradicta quinque argumenta quibus probari videbatur vnctionem Domini narratam à Matthæo & Marco fuiſſe diuerſam ab vnctione quam narrauit Ioannes.

PRIMVM argumentum ductum eſt à diuer- 45.
ſitate temporis; Ioannes enim dixit, vnctionem illam eſſe factam ante ſex dies Paſchæ, Matthæus autem & Marcus biduo ante Paſcha. Faber. Faber ad hoc argumentum reſpondens ait, reuera illam vnctionem eſſe factam biduo ante Paſcha, vt dixerunt Matthæus & Marcus; Ioannem verò eam commemoraſſe in die ſexto ante Paſcha, per figuram videlicet antici

anticipationis, prius narrando quod poſtea factum eſt. Sed hoc Fabri futile reſponſum eſt: Ioannes enim in ſua hiſtoria euangelica non ſolet vti anticipatione, ſed exactè ſeruat ſeriem rerum geſtarum, ordinémque temporum, vt ſupra pluribus verbis oſtenſum eſt. Imo verò Ioannes infra cap. 12. narrans hanc vnctionem, diem eius vnctionis proximè coniungit cum eo die quo Chriſtus vrbem Ieruſalem ingreſſus, fauſtis populi acclamationibus acceptus eſt, qui dies fuit quintus ante Paſcha.

46. Nos igitur dicamus, vnctionem illam Domini reuera ſexto die ante Paſcha eſſe factam, vt dixit Ioannes. Matthæus autem & Marcus nominato biduo ante Paſcha, proximè ſubiungunt narrationem congregationis ſacerdotum & ſeniorum Populi in atrio Caiphæ ad conſultandum de modo capiendi & occidendi Chriſtum: Poſt hanc verò narrationem, exponunt vnctionem Domini, non quaſi tunc factam, ſed vt indicarent, qua occaſione inductus, Iudas iuerit ad principes ſacerdotum ibi congregatos, & promiſerit eis, traditurum ſe in eorum manus Chriſtum. Occaſionem enim Iudæ præbuit vnctio Domini; perdoluit enim periiſſe ſibi pretium trecentorum denariorum illius vnguenti, quo Dominus fuerat vnctus: itaque auaritia excæcatus, magnámque ſperans à Iudæis mercedem, iuit ad Iudæos, eiſque pacta mercede proditionem Chriſti promiſit. Matthæus igitur & Marcus poſt nominatum biduum ante Paſcha, expoſuerunt vnctionem Domini, non quaſi tunc factam; ſed eam quæ quatuor ante diebus facta fuerat, per recapitulationem tunc commemorantes ob eam quam dixi cauſam. Et hoc vel ex modo loquendi ipſorum perſpicere licet. Nominato enim biduo an-

Vera ſolutio primi argumenti.

Digitized by Google

te Paſcha, & narrata cõgregatione Iudæorum aduerſus Chriſtum, ſubiungentes narrationem vnctionis Domini; non dixerunt (Poſt hæc, vel Tunc cum eſſet Ieſus Bethaniæ in domo Simonis leproſi, &c.) ſed ſimpliciter & præciſe dixerunt, *Cum autem eſſet Bethaniæ, &c.* Hoc nimirum loquendi modo ſignificantes, ſe narrare tunc vnctionem Domini non quaſi factam in illo biduo, ſed tum quia in illo ipſo loco Bethaniæ paucis ante diebus acta fuerat; tum quod ex illa vnctione occaſionem ceperat Iudas adeundi ad Principes ſacerdotum in illo biduo congregatos contra Chriſtum, & promittendi eis proditionem ipſius, vt paulò ante diximus.

Solutio ſecũdi argumenti.

Nec obſtat quod Matthæus & Marcus tacuerunt 47. proprium nomen mulieris quæ vnxit Dominum, Ioannes verò expreſſit nomen eius quæ vnxit Dominum dicens, fuiſſe Mariam. Illi enim quia ſciebant mulierem illam tum propter nobilem vnctionem Domini quam fecerat, tum propter prædictionem Chriſti de perpetua eius mulieris memoria in vniuerſo mundo futura, notiſſimam eſſe omnibus fidelibus, non curarunt proprium nomen eius explicare: Ioannes verò qui multo poſt illos ſcripſit Euangeliũ, quod ab illis fuerat tacitum, exponere voluit. Nec ſanè rarum eſt, nomina propria perſonarum, quæ ab vno tacentur Euangeliſta, exponi ab alio.

Solutio tertij argumẽti.

Falſum porro eſt quod ſumitur in tertio argumento, cœnam illam in qua Maria vnxit Dominum, eſſe factam in domo Lazari & Marthæ. Ioannes etenim indefinitè, atque vt ita loquar, imperſonaliter, dixit; *Fecerunt ei cœnam ibi.* ſine cauſa itaque illud *Fecerunt*, referunt iſti ad Lazarum & ſorores eius: eſt enim hic ſenſus, Cum Ieſus eſſet Bethaniæ, facta eſt ei cœna in eo loco. In

In cuius autem domo illa cœna eſſet facta, non curauit Ioannes declarare, quòd eſſet id à Matthæo & Marco ſatis explicatum, à quibus expreſsè dictum eſt factam fuiſſe in domo Simonis leproſi. Sed quomodo (dicet quiſpiam) in aliena domo tam familiariter Martha miniſtrauit, & Maria vnxit Dominum? Fortaſſe inter illum Simonem & Lazarum ac ſorores eius aliqua ſanguinis cognatio & neceſſitudo intercedebat; vel magna erat inter eos amicitia & familiaris cõuerſatio; præſertim verò ſi domus Simonis admodum vicina aut etiam contigua erat domui Lazari & Marthæ. Illud quoque dici poteſt, eo tempore tantam fuiſſe inter veros Chriſti ſectatores rerum omnium communionem, atque familiaritatem, vt quaſi vnius familiæ homines, & tamquam inter ſe fratres eſſent.

48. Iam verò, non eſt inuſitatum in narrandis hiſtoriis euangelicis, vt vnus Euangeliſta hiſtoriæ quam narrat, partem tantùm attingat, alius verò Euangeliſta reſiduum hiſtoriæ ab illo prætermiſſum exponat; ita vt ex vtriuſque narrationibus coniunctis integra totius hiſtoriæ narratio & cognitio habeatur. Matthæus igitur & Marcus vnctionem capitis Domini, ceu præcipuam, narrarunt, vnctionem autem pedum omiſerunt: Ioannes verò qui longè poſt illos ſcripſit Euangelium, vnctionem capitis ab illis expoſitam tacuit, vnctionem autem pedum prætermiſſam ab illis enarrauit. Maria itaque prius vnxit pedes Domini, & poſtea reſiduum vnguenti effudit ſuper caput eius; fracto etiam vaſculo, ſicut narrat Marcus, vt illius vnguenti nihil ſibi reſeruaret. Nec ſanè quemquam mouere debet, quòd Matthæus & Marcus dicant diſcipulos murmuraſſe de effuſione illius vnguenti, Ioan-

Solutio quarti argumenti.

Solutio quinti argumenti.

nes autem ſolum Iudam nominet ea de re murmurãtem: illi enim per ſynecdochen figuram non inuſitatam in Scriptura poſuerunt numerum pluralem pro ſingulari. Vel certè ſi omnes aut plures diſcipuli murmurarunt, Ioannes tamen ſolum Iudam nominare voluit, quòd omnium primus Iudas murmuraſſet, & incitator aliorum fuiſſet ad murmurandum; nec verò erga pauperes affectu, vt ceteri diſcipuli, ſed ſimulata pietate, veróque auaritiæ affectu murmuraſſet.

DVODECIMA DISPVTATIO.

An ex Euangelica hiſtoria paſſionis Domini probari queat, duas fuiſſe Magdalenas.

Fabri argumentatio, quod fuerint duæ Magdalenæ.

DVAS fuiſſe Magdalenas, quarum mentio 49. fit in hiſtoria paſſionis Domini, hunc in modum Faber argumentatur. Ioannes enim Magdalenam facit ſtantem iuxta crucem Domini, ſic enim infra cap. 19. ſcribit. *Stabant iuxta crucem Ieſu Mater eius, & ſoror Matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene.* Matthæus autem cap. 27. & Marcus cap. 15. Magdalenam faciunt procul à cruce ſtantem, & de longinquo aſpicientem quæ circa Chriſtum agebantur; hæc enim ſunt eorum verba: *Erant mulieres multæ à longe aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi Minoris & Ioſeph mater, & Salome.* Si Magdalena, ſecundum Ioannem, tempore paſſionis ſtetit iuxta crucem Domini, ſecundum autem Matthæum & Marcum Magdalena tempore Paſſionis erat procul à cruce & à longe aſpiciens, non potuit autem eadem mulier tempore paſsionis Domini & iuxta cru

ta crucem fuiſſe, & procul à cruce ſtetiſſe: ergo fateri cogimur, inquit Faber, iſtas Magdalenas fuiſſe diuerſas inter ſe mulieres. Hæc Faber.

50. Sed hæc Fabri argumentatio videri fortaſſe potuiſſet difficilis ad refellendum, ſi Faber probaſſet, quod dictum eſt de Magdalena ſtante iuxta crucem, & de Magdalena ſtante procul à cruce, & à longe aſpiciente, id ab eodem Euangeliſta fuiſſe ſcriptum, & in eodem tempore paſſionis Domini eueniſſe: At contra res habet. Solus enim Ioannes dixit de Magdalena ſtante iuxta crucem Domini: Matthæus verò & Marcus de Magdalena procul ſtãte & à longe aſpiciente ſcripſerunt. Vtrumque verò factum eſſe in diuerſo tempore paſſionis Domini, facilè intelliget quicumque ad iſtorum trium Euangeliſtarum narrationem aduertet animum. Ioãnes quippe Magdalenam ſtare facit iuxta crucem Domini, priuſquam Dominus Matrem ſuã ipſi Ioanni commendauit; Magdalena igitur ſtabat iuxta crucem Domini aliquanto tempore ante mortẽ eius. Matthæus autem & Marcus Magdalenam faciũt à longè aſpicientẽ poſtquã Chriſtus iam fuerat mortuus. ſic enim ſcribit Marcus: *Videns Centurio qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait, Verè hic homo filius Dei erat.* Poſt hæc verba ſubdit Marcus. *Erant autem mulieres à longè aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi Minoris & Ioſeph mater, & Salome.* Eadem igitur mulier Magdalena primò ſtetit iuxta crucem quoad Chriſtus vixit, eo autem iam mortuo lõgè à cruce abſceſſit, turbam fortaſſe Iudæorum & militum fugiens, & de longinquo aſpiciebat, quæ circa Chriſtum mortuum agerentur à Iudæis.

Solutio argumentationis Fabri.

51. Eandem porro Mariam Magdalenam in diuerſo tempore paſſionis Domini & iuxta crucem ſtetiſſe, &

longè à cruce fuiſſe, ſatis probabile fit exemplo alterius Mariæ quæ nominatur Maria Cleophe. Hanc enim Ioannes commemorat inter mulieres iuxta crucem Domini ſtãtes, vt ex verbis eius paulo antè commemoratis manifeſtum eſt: Matthæus autem & Marcus inter mulieres à longè aſpicientes recenſent Mariam Iacobi Minoris matrem, vt indicant eorum verba paulo ſupra à nobis relata: ſed hæc Maria Iacobi fuit eadem mulier atque illa Maria Cleophe, vt affirmat B. Hieronymus in eo libro quem ſcripſit aduerſus Heluidium, ergo eadem mulier & iuxta crucem ſtetit, & longè à cruce fuit. Ac ne quis de ſentẽtia Hieronymi ambigat, adſcribam hoc loco eius verba, ſunt autem hæc: Reſtat, vt Maria mater Iacobi Minoris, & ſoror Matris Domini, fuerit vxor Alphei: hanc ipſam verò mulierem Ioãnes Euangeliſta nominat Mariam Cleophe, ſiue ab eius patre, ſiue à Gentilitate familiæ, ſiue alia quacumque de cauſa id ei nomen impoſuit. Hæc Hieronymus. Et ne quis exiſtimaret, propter diuerſitatem nominum diuerſas fuiſſe mulieres, oſtendit B. Hieronymus pluribus exemplis vſitatum eſſe in Scriptura, eandem perſonam in diuerſis locis appellari diuerſis nominibus. In libro enim Exodi ſocer Moyſis primo appellatur Raguel, & idem alio loco appellatur Iethro: in libro Iudicum idem iudex populi & Gedeon, & Ieroboal nominatur: & in libris Regum idem Rex Iuda & Ozias & Azarias appellatur. In hiſtoria quoque Euangelica idem apoſtolus nominatur Thomas & Didymus, & alius & Iudas & Thaddæus nominatur, alius item vocatur & Matthæus & Leui.

Secundum Hieronymũ Maria Iacobi & Maria Cleophe fuit eadẽ mulier.

Mos diuinæ Scripturæ diuerſis nominibus appellandi eandem perſonã in diuerſis locis.

Exod. 2. & 18. *& alibi.*
Iudic. 6. & 7.
4. *Reg.* 15. *& alibi.*
Ioann. 11. & 20.
Matth. 10.
Marc. 3. *& alibi.*
Matth. 9.
Luca 6.

DECI

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

An ex Euangelica hiſtoria reſurrectionis Domini probari poßit, Magdalenas de quibus in ea hiſtoria agunt Euangeliſtæ, fuiſſe duas, & diuerſas inter ſe mulieres.

Exponitur Fabri ſententia id aientis, duplicique argumento confirmantis.

52. ARbitratur Faber Magdalenas quæ in Euãgelicã hiſtoria reſurrectionis Domini commemorantur, fuiſſe duas & diuerſas inter ſe mulieres: quarum altera ſecundum Matthæum cap. 28. & Marcum 16. & Lucam 24. ſimul cum alijs mulieribus iuit ad ſepulchrum, & vna cum illis Dominum vidit & adorauit: altera verò, ſecundum Ioannem cap. 20. ſola iuit ad ſepulchrum, & ibi plorans vidit quidem Dominum, ſed cum tangere prohibita eſt. Et illam quidem de qua tres Euangeliſtæ locuti ſunt, Faber putat fuiſſe Mariam Magdalenam ſororem Lazari & Marthæ: hãc verò de qua ſolus Ioannes ſcripſit, illam fuiſſe Mariam Magdalenam, de qua ſeptem dæmonia eiecta fuerant à Domino, & cui ante alios omnes Dominum poſt reſurrectionem ſuam apparuiſſe teſtatur Marcus cap. 16.

Fabri ſentẽtia, quod fuerint duæ Magdalenæ.

53. Hanc ſuam Faber ſententiam duobus probare voluit argumentis, quorum primum, nititur authoritate B. Ambroſij. Ambroſius etenim apertis verbis affirmat, duas fuiſſe Magdalenas. ſic enim ſcribit ſuper vigeſimum quartum caput Lucæ: Scit Maria Magdalena ſecundum Matthæum, neſcit Maria Magdalena ſecundum Ioannem; nec potuit eadem mulier ſci-

Primũ argumentum Fabri ex Ambroſij authoritate ductum.

re antea & poſtea neſcire. Ergo ſi plures Mariæ, plures etiam fortaſſe Magdalenæ, cum illud perſonæ nomẽ ſit, hoc locorum. Denique iſtas Magdalenas diuerſas mulieres fuiſſe cognoſce: illa ſecundum Matthæum, cum ad ſepulchrum iuit, Angelum videre meruit; hæc ſecundum Ioannem, cum primò iuit ad ſepulchrum, neminem vidit. Illa Diſcipulis Dominum reſurrexiſſe nuntiauit; hæc raptum fuiſſe eius corpus illis ſignificauit. Illa gaudet, hæc plorat. Illi iam in gloria ſua Chriſtus occurrit; hæc adhuc mortuum ipſum quærit. Illa Dominum vidit, & agnouit; hæc non potuit agnoſcere, cum eum videret. Illa pedes Domini tenere permittitur, hæc Dominum tangere prohibetur. Hactenus verba ſunt Ambroſij. Cum igitur de illis Magdalenis, inquit Faber, tam diuerſa & diſcrepantia narrent Euangeliſtæ, ne vlla ſit in eorum narrationibus diſſonantia vel etiam repugnantia (ſicut impiè Chriſtianis obiiciebant Imperator Iulianus apoſtata & Porphyrius philoſophus) neceſſe eſt dicere, illas Magdalenas fuiſſe diuerſas inter ſe mulieres, & ideo diuerſis verè poſſe diuerſa & diſcrepantia, citra vllam repugnantiam, conuenire.

Secundum Fabri argumentum. Alterum Fabri argumentum eſt huiuſmodi. Marcus Matthæũ ſecutus, de Maria Magdalena ſcribens dixit, eã ſimul cũ aliis mulieribus iuiſſe ad ſepulchrũ, & inueniſſe lapidẽ monumẽti, de quo erant ſollicitæ, reuolutum, & intrãtes locũ, vidiſſe Angelũ, & audiſſe ab eo Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, & iuſsas eſse id nunciare diſcipulis, & inde præ timore aufugiſſe. Poſtquã itaque Marcus hæc ſcripſerat de iſta Magdalena, narrat deinde quemadmodũ manè in prima Sabbati reſurgẽs à mortuis Dominus primò apparuerit Mariæ Magdalenæ. Ac ne quis putaret, hanc eſſe illam Mag- 54.

gdalenam de qua paulo ante dixerat, quo hanc diſcerneret ab illa, continuò adiecit illud, *De qua eiecerat ſeptem dæmonia.* Hoc ſcilicet modo vtramque diſtinguens Magdalenam. Nulla enim ratio erat cur Marcus adderet illa verba, & ſic notificaret hanc Magdalenam, niſi vt eam oſtenderet diuerſam eſſe ab altera Magdalena, cuius ipſe proximè ante mentionem fecerat. Ex hiſtoria igitur Euangelica reſurrectionis Domini ſatis apparet, duas fuiſſe Magdalenas. Et hæc quidem ſunt Fabri argumenta.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

Soluuntur ſupradicta Fabri argumenta.

55. PRIMVM Fabri argumentum hoc modo ſoluitur. Maria Magdalena ardentiſſimo Magiſtri & domini ſui Chriſti deſiderio æſtuans, ſæpius ad ſepulchrum iuit, & rediuit, vt aliquid certi de Domino ſuo cognoſceret. Et primo quidem ſummo mane vna cum aliis mulieribus iuit ad ſepulchrum portans aromata ad vngendum corpus Domini, vt narrant omnes quatuor Euangeliſtæ, Matthæus 28. Marcus 16. Lucas 24. Ioannes 20. Et cum illæ mulieres admodum ſollicitæ eſſent de lapide qui erat ſuper oſtio monumenti, quòd eſſet valde magnus, inuenerunt eum lapidem reuolutum & remotum à monumento. Intrantes itaque locum in quo erat ſepulchrum, Domini quidem corpus non inuenerunt, ſed viderunt Angelum qui dixit eis Dominum reſurrexiſſe à mortuis, & iuſſit eas id renunciare Diſcipulis. Illæ tum viſione Angeli territæ, tum ingenti triſtitia & mœrore affectæ, inde aufugerunt, con- *Solutio primi argumenti Fabri.*

tendentes id quamprimùm nuntiare diſcipulis, præſertim autem Petro & Ioanni. Hos autem ad ſepulchrum currentes Maria Magdalena & aliæ mulieres ſubſecutæ ſunt, ſperantes eorum diligentia & induſtria ſe aliquid certius de Domino cognituras. Sed illis non inuenientibus in ſepulchro corpus Domini, ideóque reuertentibus aliæ quidem mulieres poſt illos diſceſſerunt; ſola verò Magdalena remanſit, & perſtitit prope ſepulchrum plorans. Quoniam igitur illa cæteris ardentius amauit, & conſtantius perſeuerauit, propterea omnium prima Dominum videre meruit. Eum tamen primò non agnouit, ſed hortulanum eſſe putauit, mox tamen proprio nomine ab eo appellata, cognouit & adorauit, ſed eum ipſo prohibente Domino, tangere non potuit.

Et hæc fuit prima Domini à mortuis reſurgẽtis apparitio facta Mariæ Magdalenæ, vt à Marco cap. 16. & à Ioanne cap. 20. ſcriptum eſt. Hac porro viſione Domini maiorem in modum recreata Magdalena, gaudens & alacris properauit, quod ſibi contigerat referre, lætiſſimum videlicet nuntium afferens aliis: ceteráſque mulieres quæ paulò ante abierant, & præ triſtitia & mœrore lento, tardóque gradu ingrediebantur, conſequuta eſt. His autem cum illa narraret quomodo vidiſſet Dominum, Chriſtus omnibus illis ſimul mulieribus in via apparuit, & ſe ab illis adorari, ſuóſque pedes teneri permiſit. Et hæc fuit ſecunda viſio Domini reſurgentis facta mulieribus, quas duas viſiones mulieres illæ factas ſibi eſſe nuntiarunt Diſcipulis. Ex hac itaque noſtra narratione ſatis apparet non eſſe abſurdum neque incredibile, vt obiiciebat Faber, eandem mulierem Magdalenam aliquando ploraſſe, & aliquando gauiſam eſſe: aliquando non agnouiſſe 56.

agnouiſſe Dominum, & aliquando cognouiſſe: aliquando ſolam vidiſſe Dominum, & aliquando vidiſſe cum in comitatu aliarum mulierum: aliquando non potuiſſe Dominum tangere, & aliquando pedes eius tenuiſſe.

57. Et ne cuius fortè animum ſubeat ſuſpicari, hæc à nobis arbitratu noſtro, eſſe conficta, approbatorem eorum quæ diximus proferemus B. Hieronymum. Cúmque Faber oppoſuerit nobis authoritatem S. Ambroſij, qui videtur eius ſententiæ ſuffragari; nos viciſſim ei opponemus non minorem B. Hieronymi authoritatem apertis verbis ſententiam noſtram cōprobantis. In Epiſtola quam Hieronymus ſcripſit ad Hedibiam, reſpondens quartæ eius quæſtioni, ad hanc ſentētiam ſcribit: Sin autem obiicitur, quomodo eadem Magdalena & Chriſtum reſurgentem viderit, & ea tamen flere ad ſepulchrum eius referatur: reſpondendum eſt, Magdalenam memorem beneficiorum quæ à Domino acceperat, frequenter ad Domini ſepulchrum iuiſſe, nunc quidem ſolam, nūc verò cum aliis mulieribus: & nunc fleuiſſe quem non inuenerat, nūc autem adoraſſe quem quæſierat. Scio, quoſdam putaſſe duas fuiſſe Magdalenas, alióſque aliter hunc nodum ſoluere conatos: nobis autem ſimplex videtur & aperta reſponſio, ſanctas illas fœminas Domini abſentiam non ferentes per totam illam noctem non ſemel aut bis, ſed crebro ad ſepulchrum eius veniſſe. Præſertim verò tum & factus terræmotus, & ſaxa diſrupta, & ſol obſcuratus, & natura turbata, &, quod his maius eſt, deſiderium Saluatoris ſomnum ruperit fœminarum. Hæc S. Hieronymus.

Notabilis Hieronymi ſententia de vna Magdalena.

Matth. 27.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Ponuntur & diluuntur duæ obiectiones, & ſoluitur ſecundum Fabri argumentum.

Solutio primæ obiectionis ſecundùm Hieronymum.

PRIMA obiectio eſt hæc, Quomodo, ſi vna 58.
tantum fuit Magdalena, ea & Dominum
tangere prohibita eſt, & eius tamen pedes
tangere ac tenere permiſſa eſt? Ad hoc ita reſpondet
Hieronymus in centeſima quadrageſima octaua epi-
ſtola quam ſcripſit ad Marcellam, Magdalenam, pri-
mò quidem quia imperfecta fide, parua reuerentia,
& humano quodam affectu tangere Dominum vo-
luit, idcirco fuiſſe à Domino prohibitam. Poſt autem
fidelior, & reuerentior, & ſpiritualior facta, pedes Do-
mini tangere ac tenere permiſſa eſt.

Solutio ſecundæ obiectionis.

Illud præterea obiici poſſet, quomodo potuit eſſe 59.
eadem Magdalena de qua Matthæus 28. & Marcus
16. locuti ſunt, & de qua Ioannes agit cap. 20. cum illi
ſcribant Magdalenam ſimul cum aliis mulieribus
iuiſſe ad ſepulchrum, hic autem Magdalenam indu-
cat ſolam euntem ad ſepulchrum? Ad hoc ita reſpon-
dendum eſt: non raro in Euangelica hiſtoria narratur
aliquid ab vno factu, quod etiam ab aliis factum eſt;
aut contra narratur aliquid tàquam à multis factum,
quod ab vno tamē factū eſt. exempli gratia, Lucas 24.
ſolum Petrum inducit euntem ad ſepulchrū; ex narra-
tione tamen Ioānis quæ eſt c. 20. manifeſtum eſt, non
ſolū Petrū, ſed cum eo ſimul Ioannem iuiſſe ad ſepul-
chrum. Alij Euangeliſtæ pluraliter dicunt, latrones
qui vna cum Chriſto fuerant crucifixi blaſphemaſſe
ipſum

Matth. 27. Marc. 15.

ipſum;at Lucas apertè ſcribit, vnum quidem eorum malè de Chriſto locutum eſſe, alterum verò optimè *Luca 23.*
de Chriſto ſenſiſſe & locutum eſſe, & reprehendiſſe eum qui malè fuerat locutus. Quin etiam tres Euangeliſtæ loquētes de iſtis mulieribus euntibus ad ſepulchrum, variè de numero earum ſcripſerunt, Matthæus enim 28. duas tantùm numerat mulieres, Marcus 16. tres recenſet, Ioannes 20. vnam dumtaxat commemorat Magdalenam. Hanc verò præcipuè voluit commemorare duas ob cauſas; tum quod eius, præter cæteras mulieres, inſignis & memorabilis fuiſſet amor, diligentia, ſollicitudo & perſeuerantia quærendi Chriſtum: tum verò quia quemadmodum huic mulieri ſoli reſurgens à mortuis Chriſtus apparuiſſet, quod ab aliis omiſſum fuerat Euangeliſtis, ſubtiliter ipſe vellet enarrare.

60. Secundum porrò Fabri argumentum hoc modo ſoluitur. Etſi Marcus in ſcribenda hiſtoria Euangelica vſque adeo ſecutus eſt Matthæum, vt quaſi abbreuiator Euangelij eius fuiſſe dicatur, nonnulla tamen à Matthæo omiſſa, quæ viſa ipſi ſunt memoratu digna, hiſtoriæ ſuæ adiecit. Cum igitur loquens de Magdalena & aliis mulieribus, ſecutus Matthæum, feciſſet eas ſpectatrices crucis Domini, & obſeruatrices ſepulchri eius, & viſitatrices eiuſdem ſepulchri; voluit duo addere de Magdalena, quæ Matthæus tacuerat, & digniſſima erant commemoratione. Et alterum quidem erat, quòd Dominus ex ea ſeptem Dæmonia eieciſſet; alterum verò, quòd reſurgens à mortuis Dominus ante alios omnes ei apparuiſſet. Hæc itaque duo Marcus in ſua hiſtoria dilucidè breuitérque cōprehendens ſcripſit illa verba: *Surgens mane Ieſus in prima Sabbati, apparuit primò Magdalenæ, de qua eiecerat* *Solutio ſecū di argumēti Fabri.*

ſeptem Dæmonia. Hæc de Magdalena dixit Marcus, non vt eam diſcerneret ab altera Magdalena de qua fuerat ante locutus, ſicut putauit Faber; ſed vt duas illas res perinſignes, & à Matthæo prætermiſſas exponeret, eiectionem dico ſeptem Dæmonum ex illa, & primam reſurgentis Chriſti à mortuis apparitionem ei factam.

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

Pluribus argumentis probatur vnicam fuiſſe Magdalenam de qua egerunt quatuor Euangeliſtæ ſcribentes hiſtoriam reſurrectionis Domini.

CONFVTATA ſententia ſolutiſque argumentis eorum qui ex hiſtoria Euangelica reſurrectionis Domini probare voluerũt, plures vna fuiſſe Magdalenas; reſtat, vt nos ex eadem hiſtoria reſurrectionis Domini demonſtremus, vnã numero, eandémque mulierem fuiſſe Magdalenam, & quæ ſecũdum Matthæum 28. & Marcũ 16. ſimul cum alijs mulieribus iuit ad ſepulchrum Domini; & eam cui ante alios omnes, ſecundum Marcum 16. Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam apparuit; & eam quæ ſecundum Ioannem 20. ſine comitatu aliarum mulierum manens apud ſepulchrum Domini, & plorans ſola vidit Dominum. Sed ante alia illud hoc loco ſciendum eſt, putaſſe Fabrum, illam Magdalenam quæ cum alijs mulieribus iuit ad ſepulchrum, fuiſſe ſororem Lazari & Marthæ: illam verò quæ ſecundum Marcum 16. prima omnium audit reſurgentem Dominum, & quæ ſecundum Ioannem 20. ſola manens 61.

nens & plorans apud ſepulchrum vidit Chriſtum, diuerſam ab illa fuiſſe mulierem; hanc enim fuiſſe Galilæã, & eam de qua ſepte dæmonia Chriſtus eiecerat.

62. Ex hoc itaque quod Faber concedit, nos argumentabimur non duas, ſed vnam tantum fuiſſe Magdalenam. Principio Magdalena quæ cum aliis mulieribus viſit ſepulchrum, fuit ſoror Marthæ, hoc enim etiam Faber concedit, vt diximus: Sed hæc ipſa fuit illa Galilæa; id enim ſatis indicant tres Euangeliſtæ Matthæus 12. Marcus 16. Lucas 74. hi enim cõmemorantes iſtas mulieres, & inter eas Magdalenam dicunt, eas ſequutas fuiſſe Chriſtum dum in Galilæa verſaretur, eique miniſtraſſe de ſuis facultatibus, & cum ex Galilæa rediret in Iudæam eum quoque comitatas fuiſſe. Ex quo apparet, illas mulieres, & inter illas Magdalenam, fuiſſe Galilæas. *Primũ argumentum quod vnica tãtum fuerit Magdalena.*

63. Deinde, qui contextum hiſtoriæ quam de iſtis mulieribus ſcribunt Matthæus 27. & 28. & Marcus 15. & 16. attento animo conſiderauerit, planè comperiet, ab vtroque Euangeliſta eaſdem iſtas mulieres induci primò quidem à longè ſpectatrices crucis Domini, deinde obſeruatrices ſepulchri eius, tum, viſitatatrices eiuſdem ſepulchri. Sed Magdalena à longè aſpiciens crucem, ſecundum Fabrum, fuit illa Galilæa; Magdalena autem ſimul cum aliis mulieribus viſitans ſepulchrum, ſecundum eundem Fabrum, fuit ſoror Marthæ: Ergo Magdalena ſoror Marthæ, & Magdalena Galilæa, fuit eadem mulier. *Secundum argumentũ*

64. Ad hæc Magdalena cum alijs mulieribus viſitans ſepulchrum, fuit ſoror Marthæ, vt cõcedit Faber, ſed hanc ipſam fuiſſe illam Galilæam de qua eiecta ſunt ſeptem dæmonia, ex eo licet exiſtimare, quòd Lucas, cap. 24. Magdalenæ ſimul cum alijs mulieribus eunti- *Tertiũ argumẽtum.*

bus ad ſepulchrum, ſociam & comitem facit mulierem quamdam nomine Ioannam: ſed hæc ipſa fuit Galilæa, & ſocia Mariæ Magdalenæ Galilææ quæ à ſeptem Dæmonibus liberata eſt, vt narrat Lucas cap. 8. Hinc igitur coniecturam minimè dubiam facere licet, Magdalenam cum alijs mulieribus euntem ad ſepulchrum, quæ fuit ſoror Marthæ, fuiſſe illam ipſam Magdalenam Galilæam à ſeptem liberatam dæmonibus. Adiice quod Lucas eodem prorſus modo, & ſine vlla diuerſitatis alicuius ſignificatione, appellat & illam Galilæam, olim dæmoniacam cap. 8. & hanc cum aliis mulieribus euntem ad ſepulchrũ cap. 24. vtrobique enim ſimpliciter ac præciſè, ac ſine vlla diſtinctione appellat Mariam Magdalenam: fuit igitur & hæc & illa, eadem mulier; nam ſi fuiſſent diuerſæ mulieres, Lucas vtique aliquam ipſius diuerſitatis ſignificationem dediſſet.

Quartũ argumentum. Præterea, Magdalena, ſecundum Ioannem, viſens 65. ſepulchrum, fuit illa Galilæa, & olim dæmoniaca, vt Faber putat: ſed hæc ipſa fuit illa Magdalena cum aliis mulieribus viſitans ſepulchrum, ſecundum alios tres Euangeliſtas, quam Faber concedit fuiſſe ſororem Marthæ: ergo Magdalena ſoror Marthæ, & Magdalena Galilæa fuit eadem mulier. Quod autem Magdalena, ſecundum Ioannem, inuiſens ſepulchrũ, fuerit illa ipſa Magdalena quæ ſecundum alios tres Euangeliſtas, vna cum aliis mulieribus iuit ad ſepulchrum, ex eo patet, quod & illius & huius itionem ad ſepulchrum, eandem fuiſſe conuincitur, quòd quæ de vtraq. itione narrant Euangeliſtæ, mirificè omnia congruant inter ſe. Et primò quidem, tẽpus vtriuſq. itionis idem fuiſſe cognoſcitur. Magdalena enim cũ aliis mulieribus viſitans ſepulchrum iuiſſe ad ſepulchrum

Digitized by Google

chrum dicitur ſecundum Marcū, valde mane, ſecundū autē Lucam, valde diluculo, ſiue profundo diluculo: Magdalena verò de qua Ioannes agit, dicitur ab eo iuiſſe ad ſepulchrū mane cùm adhuc tenebræ eſſent: manifeſtum porro eſt, iſtiuſmodi verbis idem tempus itionis ad ſepulchrum, fuiſſe à tribus Euangeliſtis ſignificatum. Deinde vtraque Magdalena dicitur reperiſſe lapidem reuolutum ab oſtio monumenti: vtraque dicitur præ timore aufugiens à monumento cucurriſſe ad diſcipulos, & nuntiaſſe illis. Denique, Magdalena de qua Ioannes agit reuertens à monumento dixit Petro, & Ioanni: *Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum.* Illud *Neſcimus*, cùm ſit pluraliter dictum, indicat Magdalenam non iuiſſe ſolitariam ad ſepulchrum, ſed aliis mulieribus comitatam. Patet igitur ex ſupradictis, Magdalenam quæ ſecundum Ioannem, viſit ſepulchrum, & Magdalenam quæ ſecundum alios tres Euangeliſtas vnà cum aliis mulieribus iuit ad ſepulchrum, eandem fuiſſe mulierem.

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Probatur quinque rationibus, Magdalenam quæ ſecundum Ioannem plorabat ad ſepulchrum Domini, & quæ ſecundum Fabrum fuit illa Galilæa & olim dæmoniaca, fuiſſe Mariam ſororem Marthæ.

66. FABER putat Magdalenam quæ ſecundum Ioannem cap. 20. ſola manebat ad ſepulchrū, & plorabat, fuiſſe illam Galilæam quæ à ſeptem dæmonibus liberata fuerat; ſed illa mulier plo-

rans ad ſepulchrum fuit Maria ſoror Marthæ; ergo hæc,& illa Galilæa fuit vna & eadem mulier. Quod autem illa mulier plorans ad ſepulchrum,fuerit Maria ſoror Marthæ, quinque rationibus oſtendemus.

Prima ratio. Primò,mulier illa plorãs ad ſepulchrum,cognoſcitur ardentiſſimè Chriſtum dilexiſſe, imò amore eius quodammodo ebriam fuiſſe,id enim indicat tantum eius ſtudium & cura viſendi ſepulchrum,tanta ſollicitudo frequenter euntis illuc, atque redeuntis,tanta profuſio lachrymarum,propterea quòd Domini corpus non inueniſſet, tanta perſeuerantia manendi ad ſepulchrum, tam conſtans & intrepidum animi propoſitum quoquo modo quærendi Dominum: hæc enim manifeſta ſunt ſigna & argumenta flagrantiſſimi amoris eius erga Chriſtum. Sed non legimus in hiſtoria Euangelica, Magdalenam illam Galilæam & à Dæmonibus liberatam, ſub iſto nomine, & ſub iſta ratione qua fuit liberata à Dæmonibus tam ardenter dilexiſſe Dominum: legimus autem hoc de Magdalena ſorore Marthæ; id enim tradunt omnes, & ipſe concedit Faber, & manifeſtum fit ex his quæ de Maria ſorore Marthæ ſcripſerunt Lucas cap.10. & Ioannes cap.11. & 12. & 19. Si igitur mulier illa plorans ad ſepulchrum,quam Faber dixit fuiſſe Galilæam & olim dæmoniacam, fuit Maria ſoror Marthæ, euidenter concluditur, hanc non fuiſſe diuerſam mulierem ab illa.

Secũda ratio. Deinde, id ipſum probatur hac minimè vana & 67.
futili coniectura. Nullam in Euangelica hiſtoria legimus mulierem proprio nomine fuiſſe appellatam à Chriſto præter Martham & ſororem eius Mariam, quas propriis ipſarum nominibus appellatas eſſe à Chriſto, legimus apud Lucam cap.10. Has enim duas ſorores

Digitized by Google

ſorores præcipuè diligebat Chriſtus, apud has frequẽter hoſpitabatur, cum his maiorem quàm cum aliis familiaritatem habebat. Cum igitur mulierem illam plorantem ad ſepulchrum proprio nomine appellauerit dicens ei, *Maria*, & illa eo ipſo cognouerit eum eſſe Ieſum, quòd eſſet ab eo proprio nomine ſuo appellata; hinc perſpicuè intelligitur, mulierem illam plorantem ad ſepulchrum non aliam fuiſſe quàm Mariam ſororem Marthæ.

68. Confirmatur hæc ipſa ratio aliis duabus coniecturis. Nam illa mulier, vbi audiuit ſe proprio nomine ſuo appellari, & ex eo cognoſcens Ieſum, continuò reſpondit, *Rabboni*, id eſt, Magiſter; hoc autem nomine iſtæ duæ ſorores appellare conſueuerant Ieſum: & de Martha quidem patet ex illis verbis eius quæ in hoc capite vndecimo refert Ioannes, *Abijt Martha, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens, Magiſter adeſt, & vocat te.* Similiter iſtæ ſorores Chriſtum appellare ſimpliciter ſolebant Dominum, vt apud Lucam cap. 10. Martha dixit Chriſto, *Domine, non eſt tibi curæ quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* Et apud Ioannem in hoc vndecimo capite eadem dixit Chriſto. *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non eſſet mortuus.* Eiſdémque verbis paulo poſt vſa eſt ſoror eius Maria, dicens Chriſto, *Domine ſi fuiſſes hic non eſſet mortuus frater meus.* Hanc porro appellationem Domini de Chriſto ter vſurpauit Magdalena quæ plorauit ad ſepulchrum. Primò enim dixit Petro, *Tulerunt Dominum de monumento.* Deinde dixit Angelis, *Tulerunt Dominum meum.* Tum dixit Diſcipulis: *Vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* Hinc itaque ſatis apparet, Magdalenam quæ plorauit ad ſepulchrum, fuiſſe Mariam Lazari & Marthæ ſororem. *Tertia ratio.*

Quarta ratio. Valet etiam illud ad firmandam hanc ſententiam 69
Mos B. Ioãnis diligenter diſtinguendi perſonas de quibus agit. noſtram, quòd B. Ioannes in ſua hiſtoria Euangelica
ſolet perſonas de quibus agit, diligenter diſcernere
ac diſtinguere: præſertim autem ſi eſſent aliæ eiuſdem
nominis & appellationis, addens nomini proprio vel
aliud nomẽ vel cognomẽ, vel aliud quidpiã quo perſona
de qua loquitur, facilè internoſci poſſet ab aliis.
Hanc ob cauſam vocat Simonẽ Petrum, & de Thoma
Ioan. 6. & 13. loquẽs addit illud, *Qui dicitur Didymus.* & de Nathana-
Ioann. 21. ele, *Qui erat à Cana Galilææ.* Et de Iuda Iſcariote, *Qui erat*
Ioann. 12. *eum traditurus.* appellat Ioſephum ab Arimathia, & lo-
quens de Nicodemo, addit illud: *Qui venerat ad Ie-*
Ioann. 19. *ſum primum.* Cúmque plures eſſent mulieres quæ no-
minabantur Mariæ, eas Ioannes diſtinguens, aliam
nominat Matrem Ieſu, aliam ſororem Matris Ieſu,
Ioan. 19. Mariam Cleophe, aliam Mariam Magdalene. Cùm
Ioann. 19. igitur Ioannes in cap. 19. dicat Mariam Magdalene
ſtetiſſe iuxta crucem Ieſu, & idem paulo poſt cap. 20.
ſcribat Mariam Magdalene manſiſſe apud ſepulchrũ,
& ploraſſe, hanc nulla re ab illa diſtinguens, ſed eo-
dem nomine & cognomine appellans, nullámque
dás diuerſitatis & diſtinctionis earum ſignificationẽ,
proculdubio ſignificare voluit, & hanc & illam Ma-
gdalenam fuiſſe vnam & eandem mulierem: alioqui
alterutri appoſuiſſet aliquid ex quo diuerſitas earum
& diſtinctio enoteſceret. Sed Magdalena ſtans iuxta
crucem Ieſu, erat ſoror Marthæ, etiam Fabro conce-
dente, ergo etiam Magdalena plorans ad ſepulchrũ,
quam Faber ait fuiſſe illam Galilæam & olim dæmo-
niacam, fuit ſoror Marthæ.

Quinta ratio. His denique accedit, quòd ſi quis conſideret con- 70.
textum hiſtoriæ reſurrectionis Domini, quam ſcri-
pſit Ioannes cap. 20. planè comperiet, Magdalenam
de qua

de qua ibi Ioannes agit, primam omnium vidiſſe reſurgentem Dominum: ſed Marcus cap. 16. ſcribit Dominum poſt ſuam reſurrectionem primò apparuiſſe Magdalenæ de qua ſeptem dæmonia eiecerat; ergo Magdalena de qua Ioannes agit, & quam nos oſtendimus fuiſſe ſororem Marthæ, fuit illa eadem Magdalena quæ à ſeptem dæmonibus liberata fuerat. SED nos tandem imponamus finem huic controuerſiæ de Magdalena, an fuerit vna tantùm mulier, an plures vna, in cuius controuerſiæ tractatu, explicatúque decem & ſeptem diſputationes conſumpſimus; & ingrediamur ad explicandam hiſtoriam Lazari mortui & à Chriſto reſuſcitati.

DECIMAOCTAVA DISPVTATIO.
Super illis verbis:

Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui cum ea venerant, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum. VERS. 33.

71. QVID eſt infremere? eſt animo & corpore valde commoueri, in modum ſcilicet minaciter iraſcentis alicui atque indignantis. Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius putant Chriſtum ex aſpectu ſororum Lazari & Iudæorum plorantium, humano quodam affectu doloris & commiſerationis immodicè fuiſſe affectum atque turbatum. Quapropter aduerſus eum affectum, cōpeſcendo videlicet eum atque reprimendo Chriſtum infremuiſſe: nam illud *Spiritu*, Chryſoſtomus & Euthymius interpretantur aduerſus ſpiritum, id eſt affectum illum humanum: Theophylactus tamen il-

Sententia Chryſoſtomi Theophylacti & Euthymij minimè probabilis.

lud *Spiritu* interpretatur (per ſpiritum) in hunc ſenſum Chriſtus ſpiritu ſuo, (ſiue per ſpiritum ſuum infremuit contra illum affectum.

Refellitur ſupradicta ſententia.

Sed hæc interpretatio nec bene congruit cum cõtextu verborum ſcripturæ huius loci, & perſpicuè falſam & abſurdam continet ſententiam. Nam illud *Infremuit,* non ſignificare affectum aliquem in Chriſto præter eius voluntatem excitatum, ſed potius voluntatis eius imperio ab ipſo in ſe ipſo commotum patet ex eo quod proximè ſubditur: *Et turbauit ſe ipſum.* ſicut enim illud *Turbauit ſe ipſum* denotat, ipſum Chriſtum fuiſſe authorem illius turbationis ſuæ: ita quoque illud *Infremuit* ſignificat, Chriſtum in ſe ipſo effeciſſe illum fremitum, effeciſſe, inquam, & quando voluit, & vbi voluit, & quãtum voluit. Deinde, ſi fuiſſet in Chriſto affectus humanus inordinatus, & præter rationem & voluntatem eius excitatus, ſequeretur ex eo, Chriſtum non fuiſſe liberum à peccatis venialibus, quæ per huiuſmodi affectuum inordinatas motiones accidunt homini, quod ſentire de Chriſto, nefas & impium eſt. 72.

Tripartita conſideratio paſſionũ quæ ſunt in homine.

Ceterùm, obſeruanda hoc loco eſt lectori de paſſionibus ſiue affectibus humanis tripartita Theologorum ſententia. In ſtatu innocentiæ paſſiones nec præueniſſent iudicium rationis & voluntatis imperium, neque vlla hominem affeciſſent moleſtia. In ſtatu naturæ humanæ per peccatum corruptæ paſſiones & contra rationis iudicium & voluntatem excitantur, & multiplici hominem afficiunt moleſtia. Medius paſſionum modus fuit in Chriſto, is enim ex ſtatu innocentiæ illud habuit, quòd in eo paſſiones non præueniebant rationem nec voluntatem, imò earum & excitatio, & intentio ſiue remiſſio, & duratio 73.

Digitized by Google

tio à Chriſti voluntate pendebat. Ex ſtatu autem hominis per peccatum corrupti, quod in paſſionibus eſt malum culpæ, ſcilicet contra rationem excitari, & inclinare ad malum, omnino reſpuit: quod autem eſt malum, pœnæ moleſtias dico & acerbitates quas afferunt homini paſſiones, non reſpuit, ſed ſubire voluit tum vt ſe verum hominem eſſe demonſtraret, per omnia ſcilicet, vt in epiſtola ad Hebræos *Ad Heb. 2.*
dixit Paulus, ſimilis nobis factus, abſque peccato: tum etiam vt oſtenderet, eiuſmodi paſſiones, ſi quis eas rite moderetur ac regat, nec à bono & ſapienti viro eſſe alienas, neque in homine Chriſtiano eſſe damnãdas.

74. Chriſtus igitur ex conſideratione mortis Lazari, & ſororum eius atque Iudæorum ob eam mortem plorantium, infremuit aduerſus peccatum, & aduerſus Diabolum. nam & per peccatum, mors intrauit in mundum, & in omnes homines pertranſiit, vt ſcripſit Paulus ad Romanos; & ſicut in libro Sapientiæ ſcri- *Ad Rom. 5.*
ptum eſt, *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* *Sapient. 1.*
Videtur autem Chriſtus eo fremitu minatus fuiſſe morti illud, quod de ea vaticinatus fuerat Oſeas. *Ero* *Oſeæ 13.*
mors tua mors. Et quemadmodum Dauid accedens ad pugnandum cum Gigãte Goliath, quodammodo infremuit aduerſus eum cùm ei dixit illa verba: *Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum: & dabit te Dominus in manu mea, & auferam caput tuum, &c.* Ita quoque Chriſtus *1. Reg. 17.*
infremuit aduerſus Diabolum, cum quo paulo poſt in cruce pro ſalute humani generis pugnaturus erat, ipſúmque debellaturus, & vt ipſe dixit, principem Mundi eiecturus foras. Ad hanc cum Diabolo pu- *Ioann. 12.*
gnam videtur Dauid in ſpiritu hortatus eum fuiſſe in Pſalmo 44. qui eſt de Meſſia illis verbis. *Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſſime.*

R

Digitized by Google

DECIMANONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 35.

Et lachrymatus eſt Ieſus.

Chriſtum numquam riſiſſe, ſed ter fleuiſſe. *Luc.19.*

NVSQVAM legimus Chriſtum riſiſſe; legi- 75.
mus autem in Scriptura, eũ ter fleuiſſe. Nam
& fleuit ſuper ciuitatem Hieruſalem, eo quod
non cognouerat tempus viſitationis ſuæ; & in hoc lo-
co Ioannes ſcripſit, Ieſum, cum reſuſcitaturus eſſet La-
zarum, fuiſſe lachrymatum; & de alijs Chriſti lachry-
mis extat illud Pauli teſtimonium in capite quinto
epiſtolæ ad Hebræos: *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſup-
plicationesq́; ad eum qui poſſit illum ſaluum facere à morte,
cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus eſt pro
ſua reuerentia.* Nec ſolùm non legimus Chriſtum riſiſ-
ſe, ſed etiam legimus, ridentes fuiſſe ab eo grauiſſimis
illis verbis reprehenſos, *Væ vobis qui ridetis, quoniam
flebitis.* Contra verò laudatos fuiſſe ab eo lugentes, cum
dixit: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Salomon
quoque in libro Eccleſiaſtæ dixit: *Cor ſapientum, vbi
triſtitia eſt,* & illud; *Riſum reputaui errorem, & gaudio di-
xi, quid fruſtra deciperis?* Non quòd riſus per ſe malus ſit,
vel gaudium, ſed cum aliud ſit tempus ridendi, & aliud
lugendi, tempus præſentis vitæ conuenientius eſſe lu-
ctui quàm riſui verè Salomon iudicauit.

Matth.5. *Cap.7.* *Cap.2. eiuſdem libri.*

Quinque genera lachrymarũ laudata in ſacris litteris. *ad Rom.12.*

Sunt porro quinque genera lachrymarum quæ 76.
laudantur in ſacra Scriptura. Sunt enim lachrymæ
compaſſionis, quæ oriuntur ex charitate proximi, ad
quas pertinet illud Pauli hortamentum. *Gaudete cum
gaudentibus, flete cum flentibus.* Huius etiam generis fue-
runt illæ Chriſti lachrymæ, quibus fleuit ſuper ciui-
tatem

Digitized by Google

tatem Hieruſalem. Sunt lachrymæ compunctionis, *Lucæ 19.*
quas exprimit dolor & pœnitentia admiſſorum ſcelerum; tales nempe fuerunt illę Dauidis lachrymæ. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Et de Petro ſcripſit Lucas. *Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat, quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis: Et egreſſus foras, fleuit amarè.* *Pſalm. 6.* *Luca 22.*
Sunt lachrymæ deuotionis, ex deſiderio patriæ cæleſtis & conſpectus Dei ortæ, quales fuerunt in viris perfectis qui verè vſurpabant illud Dauidis. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi, vbi eſt Deus tuus?* Sunt lachrymæ profluentes ex ardentiſſimo amore ac deſiderio alicuius; tales fuere lachrymæ Magdalenæ, quæ ardens deſiderio inueniendi corpus Domini, cum non inueniſſet in ſepulchro, ſtabat foris plorans, vt ſcribit Ioannes cap. 20. Denique, ſunt lachrymæ manantes ex ingenti aliquo & inſperato gaudio, ſicut legimus in libro Geneſis, Iacob, cum ingreſſus Ægyptum vidiſſet Filium ſuum Ioſeph, quem prius putauerat fuiſſe à beſtijs deuoratum, inter eius amplexus eſſe lachrymatum. Lachrymæ autem Chriſti quas fudit reſuſcitaturus Lazarum, fluxerunt ex commiſeratione ſororum Lazari plorantium, & propter peccatum primorum Parentum, ob quod mors omne genus hominum peruaſerat. *Pſalm. 41.* *Geneſ. 46.*

***

VIGESIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Ver. 50. *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.*

An licitum ſit hominem occidere pro conſeruatione boni publici.

QVo planius intelligatur iſtius ſentẽtiæ quam 77.
dixit ille Pontifex Caiphas, vel veritas vel falſitas, ſcire conuenit, quemlibet hominem dupliciter cõſiderari poſſe, vel per ſe ſimpliciter vt homo eſt, vel vt eſt pars humanæ ſocietatis atque cõmunitatis, & tanquam membrum vnius corporis ciuilis. Priori modo conſideratus homo non poteſt licitè occidi ab alio vllo homine, quia omnium hominum, ea ratione vt homines ſunt ſicut eadem eſt natura, ita eadem eſt conditio, vt non habeat vnus in alium poteſtatem & ius atque imperium. Poſteriori autem modo conſideratus homo rurſus dupliciter ſpectari poteſt, vel vt eſt malus & iniquus, vel vt eſt bonus & innocens. Malus homo & ciuis improbus licitè occiditur, quia factis, verbis, conſiliis, vitæ ac morum exẽplis noxius eſt communitati, vel eoipſo nocens, quòd leges violat quibus pax, & tranquillitas, & bonum publicum continetur atque conſeruatur. Quemadmodum naturale membrum humani corporis, ſi noceat cætero corpori, aut nociturum ſit, vtiliter vel igne vel ferro aufertur. Non tamen ciuis malus à quolibet, nec priuata cuiuſquam authoritate occidi poteſt licitè, ſed publica tantùm authoritate ac poteſtate

eorum

Digitized by Google

eorum,qui reipublicæ præſides ſunt & adminiſtri iuſtitiæ.

78. Ciuem autem bonum & iuſtum atque innocentem occidere,vel tradere aliis ad occidendum, nullo modo licet, etiamſi per mortem eius maximum aliquod bonum ciuitati euenturum ſperaretur. Mors enim innocentis maius eſt malum, quàm vt per ſe vllo alio bono rite compenſari queat:præſertim cum ciuis bonus vita,moribus,conſiliis, ſermonibus, maximè verò legum obſeruantia multum profit Reipublicæ,cuius præcipua pars ſunt viri boni. Si quod autem bonum conſequitur mortem innocentis, id per accidens eſt, nec ratio eius haberi debet ſecundum illam Pauli ſententiam. *Non ſunt facienda mala vt veniant bona.* Ad Rom. 3.

79. Si ciuitas itaque Chriſtianorum aliqua vel à Turcis vel ab Hæreticis arctiſſimè obſeſſa maximo in diſcrimine verſaretur, & eſſet in ea vir aliquis iuſtus & innocens qui ab hoſtibus peteretur ad necem:promiſſa cæteris omnibus incolumitate ac libertate:non liceret ciuitati, etiam pro conſeruanda totius ciuitatis ſalute ac libertate,tradere virum illum hoſtibus ad necem.Licitè tamen poſſet eum cogere ad actum aliquem cum quo certiſſimum mortis periculum indubiè coniunctum eſſet, vt ad defenſionem mœnium vel portæ ciuitatis,quo ſcilicet magna vis hoſtium eſſet irruptura.Sed hoc,non eſſet occidere illum,aut per ſe tradere eum ad necem, ſed honeſtum ei actum iniungere, defenſionem dico ciuitatis & boni publici, qui eſt actus fortitudinis: ad virtutem enim fortitudinis ſpectat quantauis pericula, etiam præſentem mortem adire, ſi recta id ratio ſuadeat, & depoſcat bonum commune.

Digitized by Google

Obiectio & eius ſolutio. At enim, illud nobis hoc loco poſſet objici, ciuis &c. bonus & iuſtus, eſt pars & membrum ciuitatis, ſed licet mihi quodlibet membrum corporis mei tradere abſcindendum ei, qui, niſi hoc faciam, mortem mihi minatur: ergo ſimiliter ciuitas licitè poteſt tradendo ad necem ciue iuſto & innocente, publicum exitium redimere. Reſpondeo, diuerſam eſſe rationem naturalis membri quod eſt in corpore noſtro, & ciuis boni qui dicitur membrum ciuitatis. Nam membrum naturale corporis humani non habet proprium eſſe ſubſiſtens per ſe, & diſtinctum ab eſſe quod habet in corpore prout eſt membrum eius, & idcirco per ſe non eſt capax gratiæ aut iniuriæ, neque honoris aut ignominiæ. Ciuis aūtē bonus & iuſtus præter id quod eſt membrum ciuitatis, habet proprium eſſe ſubſiſtēs per ſe ea ratione vt homo eſt, idque haberet, tametſi nulla in mundo eſſet ciuitas aut communitas hominum: in hominem autem ita vt diximus conſideratum ciuitas nullum habet ius neque imperium, & ſic poteſt ei facere iniuriam, quam profectò facit ei maximam, tradendo ad necem hoſtibus eum qui iuſtus & innocens eſt, Siquis præterea eo nos vrgeat argumento, *Altera obiectio, & eius ſolutio.* Poteſt ciuis bonus & innocens objicere ſe ipſum morti pro conſeruatione ciuitatis & boni publici: ergo ob eandem cauſam poteſt eum ciuitas tradere neci. Reſpondebo, diſparem eſſe rationem. Nam ciuis bonus eo ipſo quod homo eſt, & ad colendas & exercendas virtutes natus; ſecundum legem, naturalem & diuinam, habet in ſe poteſtatem offerendi ſe ipſum morti pro bono communi, & in eo præſtantiſſimum actum exercet duarum clariſſimarum virtutum, charitatis & fortitudinis. Ciuitas verò non habet ius neque poteſtatem occidendi ciuem ſuum niſi

Digitized by Google

niſi ex iuſtitia, ſi malus ſit & noxius ciuitati, vt ſupra docuimus; hæc autem ratio iuſtitiæ minimè quadrat, nec poteſt licitè adhiberi ad necem ciuis iuſti & innocentis.

81. Caiphas itaque dicens illud, *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat*, impiæ atque crudeli ſententiæ ſuæ de necando Chriſto, obtendere voluit neceſſitatem boni publici, quaſi gens Iudæorum, niſi Ieſu interfecto, ſalua eſſe non poſſet. Sed quia paulo ſupra concluſum à nobis eſt, non licere, etiam pro conſeruatione communis boni, occidere virum innocentem, exiſtimandum eſt, Caipham vel contraria fuiſſe in ſententia, erroréque opinionis putaſſe, id licere: vel poſuiſſe tanquam manifeſtum & certum ijs apud quos dicebat (Erant autem Pontifices & Phariſæi) Ieſum virum eſſe malum & exitioſum Reipublicæ Iudæorum; ideóque quamprimùm è medio tolli oportere. Iſti enim varias aduerſus Ieſum calumnias & crimina iactabant in vulgus: & accuſantes eum coram Pilato dixerunt;

Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem, ſe Chriſtum regem eſſe. Lucæ 23.

* * *

Digitized by Google

VIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 51. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet pontifex anni illius, prophetauit.*

An illa verba Caiphæ fuerint ab ipſo tantum, an tantum à Spiritu ſancto, an ab vtroque.

TRIA his verbis ſignificat B. Ioannes: quorum primum eſt, Caipham illa verba dixiſſe non à ſe ipſo, ſed à Spiritu ſancto: alterum eſt, Caipham dicendo illa verba, prophetaſſe: tertium eſt, propterea eum prophetaſſe, quia erat pontifex anni illius. Tria hæc, quia expoſitionem requirunt, explicatius tractanda à nobis ſunt. Quantum ad primum, ſciat Lector, illa verba & fuiſſe Caiphæ, & non fuiſſe; & partim ex proprio eius ſenſu eſſe prolata, partim ex inſtinctu Spiritus ſancti profecta. Illa verba fuere Caiphæ tripliciter: primò, quia ille animo ſuo ea verba concepit & formauit, ſuóque ore & lingua pronunciauit. Deinde, quia ad ea verba dicenda, propria inuidia & odio Ieſu adductus eſt. Ad hæc, quia proferendo ea verba, intendit perſuadere, necem Ieſu tanquam hominis ſeditioſi & exitioſi, ſalutarem fore genti Iudæorum. 82.

Verba illa tribus modis fuiſſe Caiphæ.

Tripliciter etiam illa verba fuere à Spiritu ſancto. 83. Primò, quia Spiritus ſanctus ea verba interius ſuggeſſit menti Caiphæ, mouítque voluntatem eius ad ea pronuntianda, rexítque linguam, vt ita pronuntiaret ea verba, nullo vel addito vel detracto verbo. Deinde, potuiſſet

Illa verba fuiſſe à Spiritu ſancto tripliciter.

Digitized by Google

potuiſſet Caiphas illam ſuam de occidendo Ieſu ſententiam aliis verbis enuntiare, talibus videlicet quæ ad bonum ſenſum, & ad myſterium diuinum ſignificandum accommodari non poſſent. In eo igitur cernitur admirabile conſilium, & prouidentia Spiritus ſancti; quòd fecerit, Caipham talibus verbis dicere impiam ſententiam, ſuámque nihilominus tamen veriſſimam ſententiam, quam intendebat Spiritus ſanctus, redderent. Ad hæc, illa ſententia Caiphæ prout vera erat, non à Caipha, ſed à Spiritu ſancto erat: provt autem erat falſa, erat à Caipha. Duplicem enim illa ſententia reddebat ſenſum: alter ſenſus erat hic, Mortem Ieſu neceſſariam eſſe, ne gens Iudæorum periret in æternum, per mortem enim Ieſu & Iudæos, & omnes homines liberatum iri ab æterna morte, & immortalem atque beatam vitam conſequuturos: Hic ſeſus & verus erat, & à Spiritu ſancto intentus. Alter ſenſus erat hic; Vitam Ieſu exitioſam eſſe genti Iudæorũ, ob idque mortẽ eius tuendæ incolumitati ac ſaluti Iudæorũ eſſe neceſſariã: Hic ſenſus & falſus & impius erat, ſed ab ipſo Caipha intẽtus.

84. Sed quæritur, cum illa Caiphæ ſententia duos vt diximus, ſenſus habuerit, alterum à Caipha, & alterum à Spiritu ſancto intentum; quæritur inquam vter iſtorum ſenſuum fuerit litteralis. Reſpondeo, vtrumque ſenſum ſuo modo fuiſſe litteralem: tum quia verba ipſa ſecundum propriam eorum ſignificationem ſumpta æquè reddunt vtrumque ſenſum; tum quia ambo iſti ſenſus per ſe primò fuere intenti ab authoribus eorum; verus enim ſenſus per ſe primò intentus eſt à Spiritu ſancto; ſimiliter etiam falſus ſenſus, per ſe primò intentus fuit à Caipha. Negari tamẽ nõ poteſt maximè principalẽ & literalẽ fuiſſe illum ſenſum qui

An illa ſententia Caipha habuerit duos ſenſus litterales.

fuit à Spiritu ſancto intentus, is enim mouit Caipham ad eâ verba ſic animo concipienda & formanda, & ſic lingua & ore pronuncianda, vt redderent eum ſenſum quem ipſe Spiritus ſanctus intendebat. Adiice, quod ſenſus à Caipha intentus erat falſus, humana autem oratio & verba per ſe ordinantur ad enunciandam veritatem.

VIGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

An Caiphas dicens illam ſententiam de neceſſitate mortis Ieſu, verè prophetauerit, & an ideo prophetauerit, quia erat Pontifex anni illius.

SECVNDO loco declarandum eſt, an Cai- 85.
phas dicens illam ſententiam, verè prophetauerit, & in eo fuerit verè propheta. Verbum prophetandi, ſecundum propriam & peruulgatam eius ſignificationem, ſignificat res futuras humana ratione nequaquã cognoſcibiles, per Dei reuelationem præuidere ac prædicere. Quoniam igitur Caiphas ſuis illis verbis ſignificauit diuinum myſterium tunc mortalibus occultum, ſed paulo poſt implendum & manifeſtandum mundo, neceſſitatem dico mortis Ieſu ad Iudæorum atque omnium hominum genus ſeruandum ab æterna morte, idcirco B. Ioãnes dixit Caiphã prophetaſſe. Sed non prophetauit (loquar more ſcholaſtico) ſimpliciter, ſed ſecundũ quid; nec formaliter, ſed materialiter, hoc autem eſt, illum dixiſſe quidem propheticã ſententiam, ſed non ſpiritu prophetico, quia non intellexit myſterium quod eius verbis ſignificabatur. B. autem Auguſtinus

Caipham, propriè loquendo non prophetaſſe, nec fuiſſe prophetam.

Digitized by Google

guſtinus in libro 12. de Geneſi ad litteram cap. 9. & S. Gregorius libro 11. Moralium cap. 12. affirmant, vt quis verè prophetet, & ſit verè propheta, non ſatis eſſe, ſi propheticas viſiones viderit, aut propheticas ſententias dixerit; ſed opus eſſe, vt eas viſiones, & ſententias propheticas intelligat. nam vt ſcriptum reliquit Daniel cap. 10. *Intelligentia opus eſt in viſione.* Hanc ob cauſam neque rex Pharao, neque rex Nabuchodonoſor, qui propheticas viſiones ſine earum intellectu habuerunt, fuerunt prophetæ; ſed potius prophetæ fuerunt Ioſeph & Daniel, quibus illarum viſionum intelligentia & interpretatio diuinitus conceſſa eſt. *Auguſt.* *Gregor.* *Gen. 41.* *Dan. 2.*

86. Reſtat quòd ſupra tertio loco propoſitum eſt, quomodo intelligendum ſit quòd B. Ioannes dixit, Caipham prophetaſſe quia erat pontifex anni illius. Noluit ſanè Ioānes iſtis verbis ſignificare, propriam cauſam & rationem cur Caiphas prophetaſſet, fuiſſe quod eo anno gereret ſummum Pontificatum. Ex eo namque efficeretur, omnes qui ante Caipham fuerant ſummi pontifices, fuiſſe prophetas; & cum dignitate pontificia donum prophetiæ indiuidua fuiſſe ſocietate coniunctum. Hoc autem tantum abeſt à vero, vt vix vllum illorum pontificum legamus in ſacris litteris fuiſſe prophetam. Vera itaque illorum verborum Ioannis ſententia, hæc eſt: Voluiſſe Deum, ſententiam illam propheticam de neceſſitate mortis Christi ad æternam ſalutem hominum proferri per os ſummi pontificis potiuſquàm aliorum, vt id honoris indulgeret dignitati pontificiæ, quæ etiam tunc ſtabat, & vigebat coram Deo; non enim ea, niſi poſt mortem Chriſti, antiquata eſt. Vel certè B. Ioannes voluit iſtis verbis oſtendere, quàm eſſet ille Caiphas animo & mente cæcus; cum enim ſummus eſſet pontifex, ob

ídque ſagaciſſimus & perſpicaciſſimus eſſe deberet ad indaganda & cognoſcenda rerum diuinarum myſteria, ipſe tamen non intelligeret, ne ea quidem quæ loquebatur myſteria.

Quomodo dicatur Caiphas fuiſſe pōtifex anni illius cū pontificatus duraret vſque ad mortem pontificis.

Herodes.

Ioſephus.

Sed quomodo B. Ioannes dixit Caipham fuiſſe 87.
pontificem anni illius, quaſi pontificatus Iudaicus eſſet annuus tantùm? nonne pontificatus ille perpetuus erat vſque ad mortem pontificis? Erat ſanè ſecundum legem Moyſi, ſed Herodes, qui primus alienigenarum Iudaicum regnum obtinuit, animo Gentilis magis quàm Iudæus, contempta lege, ſummum pontificatum & annuum fecerat, & venalem, vt ſcribit Ioſephus in libris Antiquitatum Iudaicarum. Caiphas itaque ſummum pontificatum emerat in eum annum, quo anno dicta & acta ſunt quæ narrat hoc loco B. Ioannes. Quid ergo mirum, ſi pontifex ſimoniacus, tam ſceleſtus & impius atque crudelis fuerit necis Domini Ieſu procurator & author?

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT DVODECIMVM EVANGELII IOANNIS.

IESVS ergo ante ſex dies Paſchæ 1.
venit Bethaniam, vbi Lazarus
fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ie-
ſus. * Fecerunt autem ei cœnam 2.
ibi: & Martha miniſtrabat, La-
zarus vero vnus erat ex diſcumbentibus cum eo.
* Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſti- 3.
ci, pretioſi, & vnxit pedes Ieſu, & exterſit pedes
eius capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore vn-
guenti. * Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius, Iudas 4.
Iſcariotes, qui erat eum traditurus: * Quare hoc 5.
vnguentum non veniit trecentis denariis, & datum
eſt egenis? * Dixit autem hoc, non quia de egenis 6.
pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos ha-
bens, ea, quæ mittebantur, portabat. * Dixit ergo 7.
Ieſus: Sinite illam vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet il-
lud. * Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum: me 8.
autem non ſemper habetis. * Cognouit ergo turba 9.
multa ex Iudæis quia illic eſt: & venerunt, non pro-

pter Ieſum tantùm,ſed vt Lazarum videret,quem
10. *ſuſcitauit à mortuis. * Cogitauerunt autem princi-*
pes ſacerdotum vt & Lazarum interficerent:
11. ** Quia multi propter illum abibant ex Iudæis, &*
12. *credebant in Ieſum. * In craſtinum autem turba*
multa, quæ venerat ad diem feſtum, cum audiſſent
13. *quia venit Ieſus Ieroſolymam: * acceperunt ramos*
palmarum,& proceſſerunt obuiam ei,& clamabant:
Hoſanna,benedictus, qui venit in nomine Domini,
14. *Rex Iſrael. * Et inuenit Ieſus aſellum,& ſedit ſu-*
15. *per eum, ſicut ſcriptum eſt: * Noli timere filia Sion:*
16. *ecce rex tuus venit ſedens ſuper pullum aſinæ. * Hæc*
non cognouerunt diſcipuli eius primùm: ſed quando
glorificatus eſt Ieſus, tunc recordati ſunt quia hæc
17. *erant ſcripta de eo: & hæc fecerunt ei. * Teſtimo-*
nium ergo perhibebat turba,quæ erat cum eo quando
Lazarum vocauit de monumento,& ſuſcitauit eum
18. *à mortuis. * Propterea & obuiam venit ei turba:*
19. *quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum. * Phariſæi*
ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis quia nihil pro-
20. *ficimus? ecce mundus totus poſt eum abiit. * Erant*
autem quidam Gentiles ex his, qui aſcenderant vt
*adorarent in die feſto. * Hi ergo acceſſerunt ad Phi-*
21. *lippũ,qui erat à Betſaida Galilææ,& rogabant eum,*
22. *dicentes: Domine,volumus Ieſum videre. * Venit*
Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rurſum, &
23. *Philippus dixerunt Ieſu. * Ieſus autem reſpondit*
eis,dicens:Venit hora,vt clarificetur filius hominis.
24. ** Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti*

cadens

Digitized by Google

cadens in terram, mortuum fuerit; * Ipſum ſolum 25.
manet. ſi autem mortuum fuerit, multum fru-
ctum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam:
& qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam
æternam cuſtodit eam. * Si quis mihi miniſtrat, me 26.
ſequatur: & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.
Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater
meus. * Nunc anima mea turbata eſt. Et quid 27.
dicam? Pater, ſaluifica me ex hac hora. Sed propterea
veni in horã hanc. * Pater, clarifica nomen tuum. 28.
Venit ergo vox de cælo: Et clarificaui, & iterum cla-
rificabo. * Turba ergo, quæ ſtabat, & audierat, di- 29.
cebat tonitruum eſſe factum. Alij dicebant: Angelus
ei locutus eſt. * Reſpondit Ieſus, & dixit: Non pro- 30.
pter me hæc vox venit, ſed propter vos. * Nunc iu- 31.
dicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eiicie-
tur foras. * Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia 32.
traham ad me ipſum. * (Hoc autem dicebat, ſigni- 33.
ficans qua morte eſſet moriturus.) * Reſpondit ei 34.
turba: Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet
in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Fi-
lium hominis? Quis eſt iſte Filius hominis? * Di- 35.
xit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum, lumen in vobis eſt.
Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ
comprehendãt: & qui ambulat in tenebris, neſcit quò
vadat. * Dum lucem habetis, credite in lucem, vt 36.
filij lucis ſitis. Hæc locutus eſt Ieſus: & abiit, & abſcon-
dit ſe ab eis. * Cùm autem tanta ſigna feciſſet co- 37.
ram eis, non credebant in eum: * Vt ſermo Iſaiæ 38.

prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis cre-
didit auditui noſtro? & brachium Domini cui reue-
39. latum eſt, * Propterea non poterant credere, quia
40. iterum dixit Iſaias: * Excæcauit oculos eorum, &
indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non in-
41. telligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. * Hæc
dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, & locutus
42. eſt de eo. * Verumtamen & ex principibus multi
crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confi-
43. tebantur, vt è ſynagoga non eiicerentur. * dilexerunt
enim gloriã hominum magis, quàm gloriã Dei. * Ieſu
44. autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, nõ credit
45. in me, ſed in eum, qui miſit me. * Et qui videt me,
46. videt eum, qui miſit me. * Ego lux in mundũ veni: vt
47. omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. * Et
ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit: ego
non iudico eum. non enim veni vt iudicem mundum,
48. ſed vt saluificem mundum. * Qui ſpernit me, &
non accipit verba mea: habet qui iudicet eum: ſermo,
quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.
49. * Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit
me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam,
50. & quid loquar. * Et ſcio quia mandatum eius vi-
ta æterna eſt. Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi
Pater, ſic loquor.

IN

IN CAPVT DVODECIMVM DISPVTATIONES TRES.

TRIA *narrantur à B. Ioanne in hoc duodecimo capite: Primò, deſcribitur vnctio Chriſti facta à Magdalena in conuiuio, cui intererat Lazarus nuper à Chriſto ex mortuis excitatus ad vitam. Deinde, commemoratur ille Chriſti celeberrimus in vrbem Hieroſolymitanam ingreſſus magna pōpa, feſtiſque Iudæorum acclamationibus & gratulationibus. In finem, exponit Ioannes ſermonem quem Chriſtus, ex occaſione quorundam Gentilium qui videre ipſum cupiebant, habuit de maxima ſuæ mortis vtilitate; vſus ad hoc declarandum breui illa parabola.* Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit &c.

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Dixit vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes qui erat eum traditurus, Quare hoc vnguentum non venit trecentis denariis, & datum eſt egenis? VERS. 5.

Demonſtratur, vnctionem illam Chriſti fuiſſe actum & opus vſquequaque decens & laudabile.

1\. DEBEBAT in primis hoc loco tractari quæſtio illa, An vnctio Chriſti quæ narratur initio huius capitis, diuerſa fuerit ab vnctione

Chriſti quam expoſuerunt Matthæus cap. 26. & Marcus cap. 14. an fuerit, inquam, diuerſa tam diuerſitate perſonæ vngentis, quàm diuerſitate temporis quo facta eſt vnctio, & loci in quo eſt facta. Sed hanc nos quæſtionem conſulto hic prætermiſimus, quod ea ſatis diligenter & copioſè tractata ſit à nobis in diſputationibus quas ſuper caput vndecimum fecimus de vnica Magdalena, in quarum decima & vndecima diſputatione ex profeſſo tractatur hæc quæſtio. Nunc itaque explicanda eſt hæc quæſtio, An illa vnctio Chriſti fuerit aliquo modo indecens, vt non ſine cauſa Iudas aduerſus eam murmuraſſe videatur. Videri enim poſſet primo aſpectu nimis prodiga, & ad luxum magis quàm ad obſequium & officium humanitatis & deuotionis pertinens. Videtur etiam fuiſſe indecens Chriſto, quippe qui tam doctrina, quàm vita ſua omnem luxum, omnéſque diuitias ſemper auerſatus eſt.

Illam vnctionẽ Chriſti fuiſſe omni ex parte non ſolum inculpabilem, ſed etiã laudabilẽ.

Sed reſpondendum eſt, illam vnctionem Chriſti, 2. fuiſſe actum ſiue opus, tam reſpectu Magdalenæ, quàm reſpectu Chriſti, decentiſſimum & laudabiliſſimum. Fuit reſpectu Magdalenæ illa vnctio actus triplici nomine valdè honeſtus & laudabilis: Primò, quia fuit actus laudatæ apud Iudæos humanitatis. Deinde, fuit actus gratitudinis animi erga maximum eius benefactorem. Tum, fuit actus religionis ſiue deuotionis erga eum, quem Magdalena ſummè colebat & venerabatur. Fuit itaque actus humanitatis, quoniam moris erat olim apud Iudæos, vt conuiuas triplici humanitatis officio honorarent ſimul atque recrearent & oblectarent: primò quidem, lauando pedes eorum, deinde, pretioſis vnguentis eos perfundendo: tum, oſculo dato ſuam erga illos beneuolentiam

Digitized by Google

tiamdeclarando. Quæ tria humanitatis officia licet cognoſcere ex illis verbis quæ Dominus dixit Simoni de muliere peccatrice, & refert Lucas cap. 7. *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti, hæc autem ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Hæc autem humanitatis officia tanto fieri ſolebant maiori ſtudio & magnificentia, quanto conuiua erat vel carior amoris & amicitiæ gratia, vel virtute ac dignitate clarior. Cùm igitur Magdalena Chriſtum haberet ſibi cariſſimum, eúmque tanquam maximum Prophetam coleret ac veneraretur: voluit ad eum vngẽdum adhibere quampretioſiſſimum & delicatiſſimum inuenire potuit vnguentum. *Locus Lucæ cap. 7.*

3. Ad hoc etiam impulit Magdalenam gratitudinis animi debitum & vinculum, quo ſentiebat ſe duplici nomine eſſe Chriſto obligatiſſimam; tum quod ab eo veniam ſceleribus ſuis tanta facilitate, & amoris erga ſe ſignificatione impetrauerat; tum quod fratrem ſuum Lazarum iam quatriduo mortuum, per eum receperat viuum. Quæ duo beneficia tanti eſſe momenti putabat, vt ea nullis obſequiis, nulliſque officiis rependi & compenſari poſſe exiſtimaret. Ad id quoque adduxit eam ſingularis & eximia quædam eius religio & deuotio erga Ieſum; credebat enim ipſum eſſe verum Dei filium, verúmque Meſſiam: quamobrem nullum ei putauit exhiberi poſſe tantum obſequium, tantúmque officium, quod non eius merito ac dignitate multò eſſet inferius.

4. Iam verò reſpectu Chriſti illam vnctionẽ fuiſſe perquam laudabilem, planè intelligetur, exploratis,

Cur Dominus vngi voluerit à Magdalena. perſpectiſque cauſis, ob quas Dominus tunc vngi voluit. Non enim vngi voluit voluptatis aut deliciarum cauſa, à quibus per omnem vitam abhorruit: ſed vngi ſe à Magdalena paſſus eſt, vt pernoteſceret omnibus illius mulieris erga ſe ardor charitatis & deuotionis. Quapropter de ea muliere dixit ipſe id quod refert Matthæus cap. 26. *Vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit, in memoriam eius.* Voluit etiam Chriſtus vngi à Magdalena propter myſterium quod ſub ea vnctione tunc latebat, & paulò pòſt manifeſtatum eſt. Sciebat enim Dominus fore, vt poſt mortem eius Magdalena vehementer cuperet corpus eius mortuum & ſepultum vngere, ſed hoc ei conceſſum non iri, tum propter celeritatẽ ſepulturæ quæ ob inſtantem diem feſtum Sabbati accelerata eſt; tum propter celeritatem reſurrectionis eius ex mortuis. Voluit itaque Dominus vt vnctionem quam ſibi mortuo tentatura erat facere Magdalena, nec tamen factura erat, eam, quaſi præueniens, ſibi tunc viuo faceret. Et hoc ſignificare voluit Dominus illis verbis, quæ refert Marcus cap. 14. *Præuenit (hæc) vngere corpus meum in ſepulturam.* Quaſi diceret, Quia poſtea corpus meum mortuum & ſepultum vngere non poterit, ideo nunc præuenit vngere ipſum viuum. Non quòd Magdalena eo animo id ageret, quippe quæ neſcia eius myſterij tunc erat; ſed quoniam reuera ſic euenit, & ſic euenturum fuiſſe Dominus nouerat. Simile itaque hoc eſt, vt ſi dixiſſet Dominus, Valeat hæc vnctio pro ea vnctione, quam iſta mulier mihi mortuo cupiet facere, nec tamen facere poterit.

SECVN

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. *Vers. 6.*

Cur Dominus curam pecuniæ commiſerit Iudæ homini auaro & furaci.

5. HÆc verba ſcripſit de Iuda B. Ioannes; ſuper quibus verbis quæri poſſet, Cùm Dominus ſciret Iudam auaritiæ morbo laborare, & furem eſſe, cur ei conſeruandæ ac diſpenſandæ pecuniæ, quæ in vſum eius & diſcipulorum ipſius à piis hominibus deferebatur, curam iniunxerit; vnde ſcilicet ille occaſionem furandi accepturus erat. Huius rei tres licet cauſas & rationes minimè improbabiles afferre. Prima ratio, quam tradit hoc loco Chryſoſtomus, huiuſmodi eſt: Erat Iudas inflammato auaritiæ ſtudio cuiuſlibet lucri auidiſſimus; ne itaque ob auaritiam grauiora animo conciperet & patraret ſcelera, permiſit Dominus, vt furandis pecuniolis auaritiam ſuam aliquatenus exſaturans, à maioribus ſe maleficiis abſtineret. Secunda ratio: Permiſit Dominus Iudæ homini auaro & furaci conſeruationē & diſpenſationem pecuniæ, vt oſtenderet, quàm ipſe parui pēderet, & pro nihilo duceret pecunias. Tertia ratio: In illo Collegio Apoſtolorum erat Iudas omnium minimus & imperfectiſſimus; cæteris itaque Apoſtolis ſpiritualia tractantibus, Iudæ adminiſtratio temporaliū tradita eſt. Simile huius eſt quod ſcribit Paulus in ſexto capite prioris epiſtolæ ad Corinthios; Sæ-

Tres rationes ob quas Iudæ pecuniæ adminiſtratio demādata eſt. Chryſoſtomus.

Locus primæ ad Corinth. 6.

cularia, inquit, iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.

Illud etiam hoc loco nonnullam habet quæſtionem; ſi Iudas nomine Collegij Apoſtolici ſeruabat & adminiſtrabat pecunias, ergo Apoſtoli pecunias habebant: cur igitur Dominus mittens Apoſtolos ad prædicandum, ſecum ferre pecunias prohibuit? Sed longè diuerſa ratio eſt vnius vel duorum hominum, atque alicuius multitudinis ſiue collegij hominum: pauci enim faciliùs & inopiam tolerare ac ſuperare, & ſufficientes victui Eleemoſynas inuenire poſſunt: & vnus vel duo proprias habentes & conſeruantes pecunias, magis affectui auaritiæ obnoxij ſunt. Vniuerſa verò aliqua multitudo totúmque collegium aliquod hominum difficiliùs, & conueniens hoſpitium, & ſufficientes victui Eleemoſynas reperire poteſt. Et pecunia non priuatim ab vno vel duobus, ſed in commune poſſeſſa, nec pro cuiuſque libidine, ſed arbitrio ſuperiorum, prout opus eſt, in vſum cuiuſque diſpenſata, ab affectu & vitio auaritiæ immunis eſt. 6.

Si Collegiū Apoſtolorū habebat pecunias, cur Apoſtoli miſſi ad prædicandum pecunias habere prohibiti fuerint. Marci 6.

Illud verò præceptum Domini de non habenda pecunia datum Apoſtolis, non fuit perpetuum, & in omne deinceps tempus valiturum; ſed ad illud tantummodo tempus pertinuit, quo Apoſtoli per varia loca diſperſi, Euangelium prædicaturi erant. Tunc autem pecunias habere eos noluit, tres ob cauſas: Primò, vt virtutem paupertatis, quam ſæpius ipſe commendauerat, meliùs exercerent. Deinde, vt vim diuinæ prouidentiæ quæ neceſſariis in rebus non deeſt ſeruis Dei, manifeſtè ac notabiliter in ſe ipſis experirentur. Tum, vt vacui ab omni ſtudio & cura rerum terrenarum, acriùs & intentiùs toto pectore ad Euangelij prædicationem incumberent. 7.

Tres cauſæ ob quas Christus Apoſtolos ad prædicandū à ſe miſſos pecunias habere noluit.

TERTIA

Digitized by Google

TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Vers. 24.

PROXIME ante hæc verba Dominus dixerat, *Venit hora vt clarificetur Filius hominis*, ſignificans his verbis maximam gloriam, quam ipſe conſecuturus erat tam per ſuam ex mortuis glorioſam reſurrectionem & aſcenſionem in cælum, quàm per manifeſtationem ſui nominis quod per diſcipulos ſuos in vniuerſo mundo prædicandum & clarificandum erat. His autem verbis. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit &c.* Dominus ſignificauit, qua via ipſe ad tantam gloriam tendere ac peruenire deberet, per ſuam videlicet paſſionem & mortem. Etenim ſine morte ſua nullum fructum incarnationis ſuæ, nullum prædicationis, nullum miraculorum quæ fecerat, nullum ſuæ cum hominibus conuerſationis, nullum denique omnium dictorum & factorum ſuorum futurum fuiſſe demonſtrat. Ad hoc autem declarandum pulcherrimam adhibet ſimilitudinem grani frumenti: cuius ſimilitudinis & parabolæ ſingula verba obſeruate, curioſeque penſitanda & explicanda ſunt.

Niſi granum frumenti.

8. COmparat ſe Dominus grano frumenti quod ſeminatur in terra; cuius comparationis in eo *Cur Christus ſe comparetur grano frumenti.*

 vis eſt,

vis eſt, quod granum eſt paruum mole, & in ſpeciem vile & aſpernabile, & occultatur in terra, & ſæpe à prætereuntibus conculcatur. Sed ipſum virtute atque efficacia magnum quid eſt atque pretioſum: ſiquidem ex eo, quicquid poſtea pulchri & commodi eſt in frumento, totum prouenit. Conſimili ratione Chriſtus ſecundum faciem, externámque conuerſationem obſcurus, & humilis atque contemptus habebatur: ex ipſo tamen extitit omnis pulchritudo Eccleſiæ, omniáque bona, & decora, ornamentáque Electorum. Nimirum, hoc differt inter granum atque paleam, quòd granum eſt quid paruum & ſecundum externam ſpeciem vile ac deſpicabile; palea verò eſt grandior & ſpecioſior. Sed re vera granum eſt quid ſolidum & frugiferum, cibúmque optimum præbens homini: palea verò eſt inanis & ſterilis, cibúsque iumentorum, & eſca ignis. Simili quodam diſcrimine doctrina Chriſti differt à mundana & humana doctrina; illa enim grano, hæc autem paleæ ſimilis eſt.

Doctrinam Chriſti grano frumenti, doctrinã verò mundanam paleæ eſſe ſimilem.

Cur dictum ſit ſingulariter granum & non pluraliter grana.

Sed cur numero ſingulari dictum eſt granum, & 9.
non pluraliter grana? Duas ſcilicet ob cauſas. Primò quidem vt ſic inſinuaretur incomparabilis vnius grani qui Chriſtus eſt, fœcunditas; fuit enim hoc vnum granum vſque adeo fœcundum, vt omnia impleuerit horrea Eccleſiæ tam militantis quàm triumphantis. Pro magno narratur in libro Geneſis capit. 26. Iſaac, eius quod ſeminauerat fructum cepiſſe centeſimum, id autem eſt maximum qui ſperari ſoleat: Nam euangelica illa parabola de ſeminante, dicens, ſemen in terram iactum aliud tuliſſe fructum trigeſimum, & aliud ſexageſimum, & aliud centeſimum, ſatis indicauit, fructum centeſimum

Matth. 13.

mum, ſatis indicauit, fructum centeſimum eſſe maximum, qui ex eo quod ſeminatur, colligi ſoleat. At verò diuinum hoc vnum granum, qui eſt Chriſtus, non centeſimum vel milleſimum fructum tantùm tulit, ſed inæſtimabilem & immenſam vim fructus per ſuam paſſionem & mortem mundo attulit.

10. Altera cauſa cur ſingulariter dictum ſit granum, hæc eſt: In vniuerſo hominum genere vnum dumtaxat inuentum eſt granum, quod ferre poſſet fructum redemptionis humani generis. Cætera enim omnia grana peccatis erant corroſa, putrefacta, & planè corrupta: ſolum hoc vnum granum integrum & mundum & fructiferum, & ſine omni vitio inuentum eſt. Nam de aliis omnibus dixit Paulus: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* De ſe autem veriſſimè Dominus Iudæis dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nam qui venerat tanquam agnus Dei tollere peccata mundi, eum ab omni peccato liberum & purum eſſe oportebat.

ad Rom. 3. *Ioann. 8.* *Ioann. 1.*

Frumenti.

Cur Chriſtus comparauerit ſe cum grano frumenti potius quàm cum aliis granis, exponuntur tres cauſæ.

11. COmparatus eſt Chriſtus cum grano frumẽti potius quàm cum aliis granis, tres ob cauſas. Prima cauſa eſt hæc. Frumentum eſt cibus generalis, cunctíſque hominibus conueniens, eſt cibus omnibus ſalubris & iucundus, & alendo homini per ſe ſufficiens. Alij cibi quibuſdam placent, aliis diſplicent:

aliis proſunt, aliis nocent: aliis ſunt oblectamento & voluptati, & alijs ſunt faſtidio. Hanc fortaſſe ob cauſam ſolet diuina Scriptura nomine panis ſignificare omnem cibum quo veſcuntur homines, ſicut Patriarcha Iacob dixit: *Si Deus dederit mihi panem ad veſcendum.* & Daniel quoque dixit: *Panem deſiderabilem non comedi.* Panem dixit deſiderabilem, ſecundum interpretationem Theodoreti, quia panis eſt cunctis expetibilis, & ſalubris, nec difficulter parabilis. Quamquam ſecundum phraſim hebraicam panis deſiderabilis vocatur panis exquiſitus, pretioſus, delicatus.

Geneſis 28. *Dan. 10.*

Triplex genus panis.

Secunda cauſa. Frumentum eſt quaſi genus quod- 12.
dam continens tres has velut ſpecies, hordeum, triticum, ſiliginem, ex his triplex fit panis genus, diſparis tamē bonitatis. ex hordeo enim bonus, ex tritico melior, optimus ex ſiligine; panem enim ſiligineum Plinius quodam loco delicias panis appellauit. Ad hunc etiam modum Chriſtus panis eſt Electis, ſed non omnibus pari ratione. Nonnullis enim eſt tanquam panis hordeaceus, vt pœnitētibus; aliis eſt panis triticeus, vt proficientibus magis in dies in via Domini: quibuſdam eſt panis ſiligineus, vt viris in ſtudio & cultu atque exercitatione virtutum perfecti. Tertia cauſa. Panis frumentaceus, vt præſtet homini vſum propter quem fit, & hominem nutrire queat, multa eum & variis modis, vt ita dicam, pati neceſſe eſt. Primò, in terram iacitur, terraque obruitur & quaſi ſepelitur. Secundò perductum vſque ad ſpicas, falce demetitur. Tertiò, in area diſcutitur ac teritur. Quartò molitur in piſtrino. Quintò, in maſſa ſubiicitur atque contunditur. Sextò, coquitur in furno. Septimò, factus iam panis eſui idoneus, vel cultro ſcinditur, vel manibus

Plin. lib. 18. c. 8.

Frumētum decem modis patitur, vt euadat in bonū hominis nutrimentum.

Digitized by Google

bus frangitur. Octauò, ore ac dentibus comminuitur. Nonò in ſtomacho concoquitur atque conficitur. Decimò, denique corruptum ſecundum ſuam ſubſtantiam, in alienam ſubſtantiam conuertitur. Conſimili quadam ratione Chriſtum plurima & acerbiſſima pati oportuit, vt panis fieret alens hominem ad vitam æternam.

Cadens in terram mortuum fuerit.

13. ERat quidem Chriſtus in cælo panis diuinus, angelicos ſpiritus paſcens & recreans: ſed ſi in cœlo & in illa ſua maieſtate tantùm permanſiſſet, nec ſe ad terras declinaſſet, nō vtique, vt opus erat, panis fuiſſet paſcens & viuificans hominem. Quid ergo? Factus eſt quaſi granum in terrā cadēs. *Verbum enim abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram.* Tunc Deus Pater granū hoc iecit in terram, cùm miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere. Deſcenſus enim Chriſti è cælo, rite nominatur caſus grani in terram. Filius enim Dei deſcendens de cęlo ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Neque aliud eſt in myſterio, granum cecidiſſe in terram, quàm verbum Dei humiliatum eſſe vſque ad aſſumptionem humanæ naturæ, cui dictum eſt à Deo. *Terra es, & in terram reuerteris.* Super illo autem *mortuum fuerit*, paulo infra diſputaturi ſumus.

Granum cadere in terra quid myſtice ſignificet in Domino.

Ad Gal. 4.

Ad Philippenſes 2.

Geneſis 3.

Ipſum ſolum manet.

14. SI Chriſtus non fuiſſet mortuus, ipſe quidem in ſe fuiſſet beatus, ſed ſolus tamen hominum beatus

fuiſſet, nec ipſe homo hominem aliquem in illa ſua beatitudine ſocium habuiſſet. Non habuiſſet ex hominibus membra, quorum ipſe homo caput eſſet: non habuiſſet ciues, quorum ipſe princeps eſſet: non milites, quorum ipſe dux & imperator eſſet: non fratres, quorum ipſe primogenitus eſſet. Sed nobis fortaſſe quiſpiam illud obiiciet, Chriſtus erat homo Deus, ob idque omnis eius actio erat infinitæ virtutis & meriti: ergo per quamlibet actionem ſuam mereri potuit idem quod meruit per paſſionem & mortem: non igitur mors eius redemptioni generis humani neceſſaria fuit. Reſpondeo, mortem Chriſti, ſimpliciter & abſolutè loquendo neceſſariam redemptioni hominis non fuiſſe. Deus enim infinitam ſapientiam & potentiam habens poterat alia ratione, aliiſque modis hominem redimere. Dicitur tamen fuiſſe neceſſaria mors Chriſti ex ſuppoſitione, id autem eſt poſito decreto Dei, qui ab æterno conſtituit non aliter hominem redimere quàm per paſſionem & mortem Filij ſui. Illud porro hic aduertendum eſt, ſi Chriſtus aliter quàm per mortem ſuam redemiſſet hominem, vno tantùm modo redemiſſet ipſum, per infinitam ſcilicet virtutem & meritum ſuum: at redimẽs eum per mortem ſuam, & merito ſuo redemit, & exemplo paſſionis & mortis ſuæ ſuprà quàm æſtimari queat, profuit homini. Exemplum enim paſſionis & mortis Chriſti, potentiſſimum fuit ad trahendos homines ad Deum: maximum item fuit incitamentum, vt pro Dei honore & magna facere & pati vellent. Efficaciſſimum quoque fuit remedium ad omnes morbos humani animi ſanandos. Illud itaque quod de ſua morte Dominus dixit, *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum:* Non ſolùm ad virtutem meriti paſſionis eius

An mors Chriſti neceſſaria fuerit redemptioni generis humani.

Modus redemptionis hominũ per mortẽ Chriſti quanto fuerit vtilior omni alio modo.

Ioann. 12.

eius,ſed etiam ad vim & efficaciam exempli eiuſdem paſſionis & mortis referri debet.

Si autem mortuum fuerit.

15. MIrum dictu videri cuipiam poſſet,ſed veriſſimũ tamen eſt, neque ad opulentiam niſi per paupertatem, neque ad ſublimitatem niſi per humilitatem, neque ad gloriam niſi per ignominiam, neque ad generationem niſi per corruptionem, neque ad vitam niſi per mortem perueniri. Patet hoc, ſi quis omnia rerum & naturalium,& humanarum, & ſpiritualium, atque diuinarum genera animo & cogitatione perluſtret.Principio;vt à rebus inanimatis incipiã,non generatur vnum aliquod elementũ, niſi alio elemento corrupto;ex aere generatur ignis,ſed corrupto aere,aer gignitur ex igne,ſed extincto igne.Quãobrem illa celebris eſt apud philoſophos ſententia, *Generatio vnius eſt corruptio alterius*.Idẽ manifeſtũ eſt in plantis, quæ generari nõ poſſunt,niſi prius earũ ſeminibus in plantis, quæ generari non poſſunt,niſi prius earũ ſeminibus in terrã iactis,& in terra quaſi ſepultis atque corruptis, vt in hac parabola grani frumenti docet nos Dominus. Neque hoc in animalibus non etiam perſpicuum eſt, quorum quæ perfectiora ſunt aliorum animalium interitu paſcuntur, vitámque conſeruant. Sed clariſſimè hoc perſpicitur in medicina, quæ nonniſi per moleſtas, & odioſas curationes propulſare morbos & ſanitatem reſtituere poteſt, Triplex enim medicinæ pars eſt,vna dicitur Chirurgica, quæ vſtionibus & ſectionibus humani corporis vtitur: altera vocatur Diætica, quæ cibi & potus detractione medetur morbis:tertia nominatur Pharma-

In omni genere rerum nonniſi per quandam velut corruptionem & deiectionẽ ad generationem magni alicuius boni perueniri.

Triplex medicinæ pars.

tica,cuius curandi ratio in amaris potionibus & medicamentis poſita eſt.

Iam verò in rebus humanis & politicis nonne hoc 16.
ipſum liquidò cernitur? Vnius rei caſu ac deiectione exoritur alia res,& extollitur:& vnius debilitatione ac diminutione, ſæpe aliud magis roborari, & amplificari ſolet. Excidium Monarchiæ Aſſyriorum fundauit Medorum Monarchiam. Monarchiæ Medorum euerſione Imperium Perſarum excitatum & magnificatum eſt. Debellatis, profligatiſque Perſis Græci longè latéque dominati ſunt. Attritis viribus, depreſſáque potentia Græcorum Romani ampliſſimum terra maríque imperium obtinuerunt.

Quatuor mundi Monarchiarũ viciſſitudo.

Sed quid ego ad hoc demonſtrandum vel natura- 17.
lia vel humana conſector exempla? Chriſtus ipſe, cui naturalis erat vniuerſalis & in cælo & in terra imperij hæreditas, non niſi per paſſionem & mortem ad gloriã regni ſui venire voluit. Eccleſia quoque ipſius nónne perſecutionibus creuit,& cædibus Martyrum, tanquam ſeminibus in terram iactis, per omnem terrarum orbem multiplicata eſt? Dicam breuiter, Electorum, qui ſunt Chriſti membra, vt quiſque fuit virtutum præſtantia & rerum geſtarum gloria clariſſimus, Deóque chariſſimus; ita maximis fuit laboribus, & periculis, & calamitatibus, maliſque conflictatus.

Quomodo in Chriſto & in Eccleſia & in omnibus Electis non niſi per humiliationẽ ventum ſit ad exaltationem & gloriam. Luc.24.

Multum fructum affert.

SI loquamur de ſemine vel grano frumenti, non 18.
omne, nec in omni terra æqualem fructum producit,ſed vt in alia quadam parabola dixit Dominus, aliud fert trigeſimum fructum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum. Fructus autem paſſionis & mortis

Matth.13.

Chri

Digitized by Google

Chriſti non ſolùm multus fuit,ſed ampliſſimus & maximus quinque modis fuit,Antiquitate,Diuturnitate, Dignitate, Generalitate, & Varietate. Fuit maximus antiquitate,quoniã virtus mortis Chriſti ab ipſo vſq; mundi exordio fructificare cœpit,nam & ipſe primus homo Adam; & omnes qui deinceps in veteri Teſtamento fuerunt iuſti,non aliter quàm per virtutem & meritum mortis Chriſti, & peccatis liberati æternámque ſalutem conſecuti ſunt.Quam ob rem multi putant Chriſtum in Apocalypſi dictũ eſſe à B. Ioanne Agnũ occiſum ab origine mũdi, quòd meritũ mortis eius vſque ab origine mundi viguerit ad ſaluandos homines. Mors itaque Chriſti & vt futura, & vt præſens,& vt præterita ſalutem hominum fructificauit.

Quinque modis maximũ fuiſſe mortis Chriſti fructum.

Apoc. 13.

19. Deinde, fuit maximus fructus diuturnitate; non enim temporarius fuit, neque ad præſentis vitæ tantùm mala vel bona pertinens, ſed fuit æternus, hominis videlicet liberatio ab æterna morte, & perductio eius ad vitam & felicitatem æternam. Ad hæc, dignitate, cùm enim inimici eſſemus Dei, per Chriſti mortem facti ſumus & amici & filij & hæredes Dei. Præterea generalitate,fructus enim mortis Chriſti non ad paucos homines vel ad vnam aliquam gentem,ſed ad omnes gẽtes, omnéque genus hominum pertinuit: nec ſolùm ad homines,ſed etiam ad Angelos,quorum ruinæ reparatæ ſunt per electos homines, qui merito paſſionis Chriſti ad cæleſtes & beatas Angelorum ſedes aſſumpti ſunt.

Ad Romanos 5.

Ad Rom. 8. & ad Gal. 4.

Pſal. 109.

20. Poſtremò, fructus mortis Chriſti maximus fuit varietate;non enim vnius modi fuit,ſed varius admodum & multiplex: Nos curſim hoc loco nouem fructus mortis Chriſti percenſebimus.Primus fructus, pacificatio & reconciliatio Dei cum hominibus, quibus

Nouem fructus mortis Chriſti.

ob peccatum iratus & infenſus erat. Secundus, patefactio ianuæ cœli, quæ propter peccatum cunctis mortalibus clauſa erat. Tertius, ſpoliatio inferni, eductis inde iuſtis viris qui detinebantur in limbo. Quartus, Illuminatio & ſanctificatio mundi, qui maximis in errorum tenebris & vitiorum ſordibus iacebat. Quintus, victoria Diaboli, de quo ipſe Dominus dixerat, *Princeps huius mundi eijcietur foras.* Et in quadam parabola de eodem dixit, *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet: ſi autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, &c.* Sextus, deſtructio mortis, quæ vſque ab Adam in omnes homines habebat imperium. merito .n. Chriſti reſurgent ſancti ad corporalem vitam prorſus immortalem. Septimus, deletio peccati, cui homines à ventre matris, & ex ipſo conceptu ſuo erant obnoxij, ſicut Dauid dixit: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Octauus, exuberantia ſcientiæ rerum & moralium, & ſpiritualium, & cæleſtium atque diuinarum; per Chriſtum enim repleta eſt terra ſcientia Dei. Nonus, gratiæ Dei in homines abundantia, cuius gratiæ affluentia æſtimari poteſt ex ſeptemplici fonte gratiæ aperto & omnibus expoſito in Eccleſia Chriſti, quæ ſunt ſeptem Sacramenta.

Ioann. 12. *Luc. 11.* *Rom. 5.* *Sap. 2.* *Pſalm. 50.* *Eſaiæ 11.*

* * *

CAPVT

CAPVT DECIMVM TERTIVM EVANGELII IOANNIS.

ANTE diem feſtum Paſchæ, 1.
ſciens Ieſus quia venit hora
eius, vt tranſeat ex hoc mundo
ad Patrem, cùm dilexiſſet
ſuos, qui erant in mundo, in fi-
*nem dilexit eos. * Et cœna fa-* 2.
cta, cùm diabolus iam miſiſſet in cor vt traderet eum
*Iudas Simonis Iſcariotæ: * Sciens quia omnia de-* 3.
dit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad
*Deum vadit: * Surgit à cœna, & ponit veſtimen-* 4.
ta ſua: & cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe.
** Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare* 5.
pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præ-
*cinctus. * Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit* 6.
*ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? * Reſpon-* 7.
dit Ieſus, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis mo-
*dò, ſcies autem poſtea. * Dicit ei Petrus: non la-* 8.
uabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Ieſus: Si

9. *non lauero te, non habebis partem mecum.* * *Dicit*
ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos,
10. *ſed & manus, & caput.* * *Dicit ei Ieſus: Qui*
lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt
mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes.
11. * *Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum:*
12. *propterea dixit: Non eſtis mundi omnes.* * *Poſt-*
quàm ergo lauit pedes eorum, & accepit veſti-
menta ſua: cùm recubuiſſet iterum, dixit eis: Sci-
13. *tis quid fecerim vobis?* * *Vos vocatis me Ma-*
giſter, & Domine: & bene dicitis: ſum etenim.
14. * *Si ergo ego laui pedes veſtros, Dominus, &*
Magiſter: & vos debetis alter alterius lauare
15. *pedes.* * *Exemplum enim dedi vobis, vt quem-*
admodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.
16. * *Amen, amen dico vobis: Non eſt ſeruus maior*
Domino ſuo: neque apoſtolus maior eſt eo, qui
17. *miſit illum.* * *Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis*
18. *ea.* * *Non de omnibus vobis dico: ego ſcio quos*
elegerim: ſed vt adimpleatur Scriptura: Qui man-
ducat mecum panem, leuabit contra me calca-
19. *neum ſuum.* * *Amodo dico vobis, priuſquàm*
fiat: vt cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum.
20. * *Amen, amen dico vobis: Qui accipit ſi quem*
miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit
21. *eum qui me miſit.* * *Cùm hæc dixiſſet Ieſus, tur-*
batus eſt ſpiritu: & proteſtatus eſt, & dixit: Amen,
amen dico vobis: Quia vnus ex vobis tradet me.
22. * *Aſpiciebant ergo ad inuicem diſcipuli, hæſitan-*
tes

tes de quo diceret. * *Erat ergo recumbens vnus* 23.
ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu*, quem diligebat*
Ieſus. * *Innuit ergo huic Simon Petrus*: & *di-* 24.
xit ei: Quis eſt, de quo dicit? * *Itaque cùm re-* 25.
cubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei: Domi-
ne quis eſt? * *Reſpondit Ieſus: Ille eſt, cui ego* 26.
intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet
panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ. * *Et poſt* 27.
buccellam, introiuit in eum ſatanas. Et dixit
ei Ieſus: Quod facis, fac citius. * *Hoc autem* 28.
nemo ſciuit diſcumbentium ad quid dixerit ei.
* *Quidam enim putabant, quia loculos habe-* 29.
bat Iudas*, quòd dixiſſet ei Ieſus: Eme ea,*
quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut ege-
nis, vt aliquid daret. * *Cùm ergo accepiſſet il-* 30.
le buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox:
Cùm ergo exiſſet, dixit Ieſus: * *Nunc clari-* 31.
ficatus eſt filius hominis: & *Deus clarificatus eſt in*
eo. * *Si Deus clarificatus eſt in eo,* & *Deus clari-* 32.
ficabit eum in ſemetipſo: & *continuò clarificabit*
eum. * *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum.* 33.
* *Quæretis me*: & *ſicut dixi Iudæis: Quò ego* 34.
vado, vos non poteſtis venire. & *vobis dico mo-*
dò: * *Mandatum nouum do vobis: Vt diliga-* 35.
tis inuicem, ſicut dilexi vos, vt & *vos dili-*
gatis inuicem. * *In hoc cognoſcent omnes quia* 36.
diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad
inuicem. * *Dicit ei Simon Petrus*: *Domi-* 37.
ne, quò vadis? Reſpondit Ieſus, Quò ego va-

do, non potes me modò ſequi : ſequêris autem
38. *poſtea. * Dicit ei Petrus, quare non poſſum te*
39. *ſequi modò? animam meam pro te ponam. * Re-*
ſpondit ei Ieſus, Animam tuam pro me po-
nes? Amen, amen dico tibi, Non
cantabit gallus, donec
ter me neges.

IN

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM DISPVTATIONES QVINQVAGINTAOCTO.

NArrat B. *Ioannes in hoc decimotertio capite, Chriſtum in vltima cœna paſchali quam cum Diſcipulis ſuis egit, lauiſſe eorum pedes, eóſque ad ſimilia humanitatis & humilitatis officia inuicem præſtanda fuiſſe cohortatum. Prædocet autem nos in exordio capitis tempus quo id factum eſt, ſcribens.* Ante diem feſtum Paſchæ: *ſimúlque ſignificat rationem, quæ mouit Chriſtum ad id agendum, cùm ait:* Cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Solus Euangeliſtarum Ioannes hanc hiſtoriam lotionis pedum litteris prodidit, vt vel hoc nomine magnas Deo gratias agere debeamus, quòd per Ioannem tam inſigne ac memorabile Chriſti humilitatis exemplum atque documentum Eccleſiæ ſuæ voluerit pernoteſcere.*

PRIMA DISPVTATIO.

De loco in quo Chriſtus vltimam cœnam paſchalem egit, & lauit pedes diſcipulorum ſuorum.

1. QVis fuerit locus ille in quo Chriſtus nouiſſimam paſchalem cœnam egit, & lauit pedes diſcipulorum, Ioannes non expoſuit,

quoniam antea Lucas eum locum expreſsè declarauerat in vigeſimo ſecundo capite Euangelij ſui, hunc in modum de eo ſcribens: *Miſit Petrum & Ioannem dicens, Euntes parate nobis Paſcha vt manducemus. At illi dixerunt, Vbi vis paremus? Et dixit ad eos, Ecce, introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, ſequimini illum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus, dicit tibi Magiſter, vbi eſt diuerſorium vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? & ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate.* Lucas domum illam appellauit diuerſorium, quòd ad eam diuertere ſolerent aduenæ & peregrini conuenientes Hieruſalem ad celebrandum Paſcha, & in ea domo Pater ille familias præbebat eis quæ ad eſum agni paſchalis neceſſaria erant. Chriſtus itaque cùm propter paupertatem, propriam domum non haberet, communem domum & diuerſorium petiit. Ille porro Paterfamilias vel diuina reuelatione, vel Chriſti præmonitione doctus ſciuit, ipſum vnà cũ diſcipulis domi ſuæ acturum Paſcha: quin etiam fuiſſe eum de diſcipulis & ſectatoribus Chriſti, coniicere licet ex illis verbis quæ dixerunt ei Petrus & Ioannes: *Dicit tibi Magiſter.*

Traditio antiqua ſecundum Nicephorũ ſed minimè probabilis.

Nicephorus lib.1.cap.28.& li.2.c.3. antiquam refert 2.
quandam traditionem, quòd illa domus vbi Chriſtus lauit pedes Diſcipulorum, fuerit propria domus Ioannis Euangeliſtæ, quam is comparauit ſibi vendito Caiphæ pontifici paterno ſuo patrimonio quod habebat in Galilæa: & quòd in ea domo Beata Maria poſt aſcenſionem Domini in cœlum habitauerit, atque ibi mortem obierit. Sed hæc traditio minimè cógruit cum hiſtoria Euangelica: Lucas enim ſcribit, cuius verba paulò antè retulimus, Petrum & Ioannem miſſos

miſſos eſſe à Chriſto ad domum cuiuſdam Patrisfamilias, quæ erat diuerſorium, vt ibi præpararent Paſcha. Erat igitur domus, illius Patrisfamilias, non autem Ioannis. Illud verius dictū & memoratu dignum eſt, eum locum quondam fuiſſe apud Chriſtianos valde religioſum & celebrem, ſex ob cauſas. Primò, Chriſtus eo in loco admirabili humilitatis exemplo lauit pedes diſcipulorum ſuorum: deinde, ibidem inſtituit ſacramentum Euchariſtiæ. Tum, poſt reſurrectionem ſuam eam domum ianuis clauſis ingreſſus manifeſtauit ſe diſcipulis ſuis. Ad hæc, eodem in loco ſacramentum pœnitentiæ condidit, cùm dixit diſcipulis: *Accipite Spiritū ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* His accedit, quòd locus ille, vt narrat Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi 16. fuit ab Apoſtolis conſecratus in Eccleſiam, quæ fuit prima Chriſtianorum Eccleſia.

Locus in quo Chriſtus lauit pedes diſcipulorū ſex ob cauſas fuit admodum celebris.

Ioann. 20.

Cyrillus.

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Ante diem feſtum Paſchæ. Vers. 1.

Quid verè ac propriè ſignificet vocabulum paſchæ

3. GRÆCE non eſt illud *diem*, ſed præciſè legitur *Ante feſtum Paſchæ.* nomine autem feſti ſignificari videtur tota illa feſtiuitas paſchalis quæ per ſeptem dies agebatur. Niſi fortè etiam in lectione Græca ſubaudiri debeat vox diei, quam expreſſit Latinus interpres. Iſte autem dies feſtus Paſchæ erat primus dies feſtiuitatis paſchalis; eius namque

feſtiuitatis primus & vltimus dies erant feſti, alij verò quinque intermedij, minimè. Sed quid verè ſignificet vocabulum hoc Paſcha paulo enucleatiùs declarandum eſt. Quidam putarunt, & inter hos Lactantius Firmianus, Paſcha eſſe Græcum nomen ductum à verbo Paſchein, quod ſignificat pati, quaſi eo vocabulo, tot antè ſeculis, præſignificata fuerit ſalutaris mundo Chriſti Domini paſſio. Sed iſtam opinionem refellunt Nazianzenus in Oratione de ſancto Paſcha-te, & Hieronymus in Matthæum cap. 26. & Auguſtinus in Pſalmū 68. Reuera enim Paſcha non eſt Græcum nomen, ſed Hebraicum: dicitur autem hebraicè Peſſach, quam vocem Latini & Græci transformarunt in vocem Paſcha vel Phaſe. Vox autem Peſſach ſignificat tranſitum, quare etiam vox Paſcha & Phaſe tranſitum ſignificat: Qualis verò tranſitus iſta voce ſignificetur, in proxima ſequenti diſputatione diſquiretur. Latina tranſlatio in nouo teſtamento ſemper habet nomen Paſcha; in veteri autem teſtamento vſurpat nomē Phaſe, ad imitationem videlicet Græcæ vocis Phaſech; qua voce vſus eſt Theodotio Græcus interpres ſacræ Scripturæ: Apud Eſdram tamen cap. 6. & apud Ezechielem cap. 45. legitur nomen Paſcha.

Lactantius

Nazianz. Hieronym. Auguſt.

4 Sciendum porro eſt, nomen Paſchain Scriptura noui Teſtamenti triplici ſignificatione vſurpatum reperiri. Ponitur enim nonnumquam pro Agno Paſchali: ſecūdum quam ſignificationem legimus apud Marcum cap. 14. & Lucam cap. 22. immolari, occidi & manducari Paſcha: & Paulus in priori Epiſtola ad Corinthios cap. 5. *Paſcha noſtrum, inquit, immolatus eſt Chriſtus.* Sumitur etiam interdum nomen Paſcha pro ſeptiduana illa feſtiuitate ac ſolemnitate Paſchali; ſecundum

Triplex ſignificatio nominis Paſcha.

cundum hanc ſignificationem vſus eſt eo nomine Ioannes infra cap.18.ſcribens fuiſſe apud Iudæos conſuetudinem vt in Paſcha vnus ex vinctis dimitteretur Iudæis:Et Act.cap.12.dicitur Herodes in diebus Azymorum incluſiſſe Petrum in carcerem, volens poſt Paſcha producere eum populo. Sumitur quoque nomen Paſcha pro ſacrificijs paſchalibus quæ per ſingulos illos ſeptem dies feſtiuitatis paſchalis fiebant in templo, & quorundam pars aliqua pertinebat ad eſum offerentium: ſecundum hanc ſignificationem intelligendum eſt id quod Ioannes dixit infra cap.18. Iudæos eo die quo Chriſtus paſſus eſt,noluiſſe intrare Prætorium Pilati, ne contaminarentur, vt poſſent manducare Paſcha; qui tamen iam pridie Agnum Paſchalem comederant: Sed hunc locum Ioannis in alia diſputatione quam infra tractaturi ſumus, excutiemus.

TERTIA DISPVTATIO.

Quem tranſitum ſignificet vox Paſcha: & ſuper illis verbis Ioannis quæ proxime ſequuntur.

Sciens Ieſus quia venit hora eius vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.

5. PAVLO ſuprà dictum eſt, vocem Paſcha,vel potius Peſſach,ſignificare tranſitum: legitur autem in Scriptura triplex tranſitus ad Hebræos pertinens; declarandum hoc loco eſt, quem tranſitum iſta vox Paſchæ ſignificet. Vnus tranſitus Hebræorum fuit, cùm ex Ægypto tranſierunt in terram promiſſionis; & hunc tranſitum vocabulo Paſ-

Nazianz. *Auguſt.* *Hieron.*

chæ ſignificari putauit Nazianzenus in oratione de ſancto Paſchate. Alter tranſitus fuit Hebræorum per mare rubrum, quem tranſitum deſignari nomine Paſchæ ſcripſit Auguſtinus in Tractatu 55. in Ioannem, & in enarratione pſalmi 68. Fuit etiam tranſitus Angeli percutientis primogenita Ægyptiorum; qui domos Hebræorum quas cernebat tinctas ſanguine agni immolati, tranſibat innoxiè nihil eas lædens, domos verò Ægyptiorum percutiebat, occidens primogenita quæ in eis erant; & hunc tranſitum Angeli vocabulo Paſchæ denotari ſcriptum reliquit Hieronymus in ſuis commentarijs in Matthæum cap. 26. Et hæc Hieronymi ſententia procul dubio vera eſt; hæc enim ipſa eſt ſacræ Scripturę ſẽtẽtia in libro Exod. c. 12. vbi Moyſes cùm eſſet locutus ad populum de cęremonijs Agni Paſchalis immolatione atque eſu obſeruandis hæc ſubdit verba: *Cùm introieritis in terram quam Dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis cæremonias iſtas. Et cùm dixerint vobis filij veſtri, Quæ eſt iſta religio? Dicetis eis, Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos noſtras liberans.*

Mortem Domini appellatam eſſe varijs nominibus aſſumptionem, exceſſum, ſolutionem, exaltationẽ, & tranſitum. Cur mors Chriſti dicitur tranſitus.

Sequuntur proximè apud Ioannem illa verba: 6.
Sciens Ieſus quia venit hora eius vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Illud *vt tranſeat ex hoc mundo*, denotat mortem Chriſti, quæ ſicut à Luca cap. 9. dicta eſt Aſſumptio & Exceſſus; & à Ioanne cap. 2. dicta eſt ſolutio; & ab eodem in cap. 3. & 12. appellata eſt Exaltatio: ita hoc loco nominata eſt à Ioanne Tranſitus. Sanè, mors Chriſti rectè appellatur tranſitus, quoniam moriens non eſt à morte detentus, ſed tranſiuit eam, ſtatim reſurgens ad vitam immortalem. Et ipſe hoc ſuo mortis tranſitu animauit Sanctos, præſertim verò Martyres

res ad tranſeundam alacriter mortem, qui verè poterant illud Dauidis canere: *Tranſiuimus per ignẽ & aquã, & eduxiſti nos in refrigeriũ.* Huius tranſitus Chriſti quo animauit Sanctos ad tranſeundam mortem, perilluſtrem figuram habet Scriptura veteris Teſtamenti in Simone Machabæo qui fuit Dux & Princeps, ſimúlque ſummus Pontifex Iudæorum. Is enim cùm exercitum duceret aduerſus hoſtes Iudæorum, & inter caſtra eius & hoſtium caſtra medius eſſet fluuius torrés, ſic enim vocat eum Scriptura, voluit cum exercitu tranſire torrentem. Sed cùm populus trepidaret, nec auderet tranſire torrentem, quòd trans eum copioſus admodum & prævalidus eſſet hoſtium exercitus, Simon primus omnium tranſiuit torrentem; eiúſque animati exemplo milites, poſt eum intrepidè torrentem etiam ipſi tranſierunt. Verba Scripturæ in decimo ſexto capite prioris libri Machabæorum hæc ſunt: *Erat fluuius torrens inter medium eorum: & vidit* (Simon) *populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & primus transfretauit: & viderunt eum viri, & tranſierunt poſt eum.* Putat Auguſtinus, cùm Ioannes dixit de Chriſto, *vt tranſeat ex hoc mundo,* ſignificans mortem eius, alluſiſſe eum ad nomen Paſchæ, quod ſignificat tranſitum: Chriſtus enim ex hoc mundo tranſiuit ſiue mortuus eſt in ipſo feſto Paſchæ, cuius vocabulo tranſitus denotatur. Et verò, triplex ille tranſitus ad Hebræos pertinens, de quo ſuprà diximus, præfigurauit hunc tranſitum Chriſti, vel id potiùs quod ex eo tranſitu generi humano accidit.

Pſal. 65.

Illuſtris figura tranſitus Chriſti in Simone Machabæo.

Auguſt.

***

QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Ver. 1. *Cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Cur Apoſtoli ſimpliciter dicantur eſſe Chriſti potius quàm alij ſancti.

BEATVS Ioannes ſcribens de Chriſto, *Cum* 7.
dilexiſſet ſuos, per illud *ſuos*, ſine dubio ſignificare voluit Apoſtolos: quæritur itaque cur Apoſtoli ſimpliciter & præciſè dicantur eſſe ſui, id eſt Chriſti, cùm id communiter de omnibus ſanctis dici queat; ſicut enim Chriſtus eſt caput omnium electorum, ita & ipſi ſunt membra Chriſti. Quò planiùs explicetur hæc quæſtio, ſciendum eſt: ratione creationis & gubernationis atque conſeruationis, omnes creaturas eſſe Chriſti, quia ipſe eſt verbum Dei per quod facta ſunt omnia. Ratione ſimilitudinis & imaginis diuinæ naturæ, Chriſti præcipuè ſunt creaturæ intellectuales, vt Angeli & homines. Ratione præſentis gratiæ & iuſtitiæ, Chriſti ſũt omnes boni & iuſti, etiã ſi poſtea reprobandi & damnandi ſint. Ratione autẽ æternæ electionis ad gloriam cæleſtem, præcipuè Chriſti ſunt electi & prædeſtinati ad vitam æternam. Ratione participationis diuinæ felicitatis, quæ eſt clara viſio Dei eſſentiæ, ſpeciali quodam modo Chriſti ſunt beati qui vident Deum. Ratione naturæ humanæ quã Chriſtus aſſumpſit in vnitatẽ diuinæ perſonæ ſuę, præcipuè Chriſti ſunt homines, & ideo ipſe eos appellat pueros ſuos, & fratres ſuos. Paulus enim ſcribẽs ad Hebr. de Chriſto interpretatur illud quod eſt in

Septuplex ratio ob quã aliqui dicũtur eſſe Chriſti.

Ioann. 1.

eſt in Pſalm. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*: & illud quod eſt apud Iſaiam c. 8. *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus*, & ſubdit Paulus: *Quoniam igitur pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.* *ad Hebr. c. 2.*

8. Ceterùm Apoſtoli præcipua & ſingulari quadam ratione dicuntur fuiſſe Chriſti quatuor ob cauſas. Primò quia Deus Pater Apoſtolos dederat Chriſto cuſtodiendos & erudiendos & ſanctificandos ab ipſo: hoc enim Chriſtus ipſe teſtatus eſt in ea oratione quam habuit ad Patrem, & ſcripta eſt à Ioanne infra cap. 17. in qua ſæpius affirmat, illos fuiſſe ſibi datos à Patre: *Manifeſtaui*, inquit, *nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo quia tui ſunt: tui erant & mihi eos dediſti. Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi. Cùm eſſem cum eis, ſeruabam eos in nomine tuo: Quos dediſti mihi cuſtodiui. Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.* Deinde quia Chriſtus illos cùm eſſent homines infimæ ſortis & conditionis, de mundo elegit, & ad ſuum diſcipulatum aſciuit, & ex multis diſcipulis ſuis ſelectos fecit Apoſtolos: eóſque præ cæteris habuit ſocios & familiares & intimos, & vt ipſe dixit, amicos, quibus myſteria regni Dei, cæteris abſcondita, non modò publicè ſed etiam priuatim notificabat. Ad hæc, Chriſtus eos deſignauit & deſtinauit legatos ſuos ad omnes gentes, vt eis nomine ſuo prædicarent regnum Dei, & certam atque vnicam viam euadendi mortē æternam, & perueniendi ad æternam vitam & felicitatem, demonſtrarent. Fuiſſe autē Apoſtolos Chriſti legatos affirmat Paulus in poſteriori epiſtola ad Corinthios c. 5. illis verbis: *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* His accedit, quod Apoſtoli Chriſto coniunctiores & propinquiores fue-

Quatuor cauſæ ob quas Apoſtoli dicuntur præcipue fuiſſe Chriſti.

Ioann. 15.

Octo res ſecundum quas Apoſtoli præ ceteris ſanctis fuere Chriſto propinqui & ſimiles.

runt quàm alij ſancti, ſecundum octo res: ſecundum abundantiam multiformis gratiæ: ſecundum præſtantiam ſapientiæ & cognitionis myſteriorum fidei & regni Dei: ſecundum imitationem vitæ Chriſti: ſecundum prædicationem doctrinæ: ſecundum excellentiam poteſtatis: ſecundum ſublimitatem dignitatis: ſecundum admirabilem virtutem faciendi miracula: denique, ſecundum præcipuam quandam participationē authoritatis iudiciariæ quæ principaliter eſt in Chriſto; veniens enim Chriſtus in fine ſæculi ad iudicandum omnes, ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ, ſimúlque Apoſtoli ſedebunt ſuper ſedes duodecim tanquam primarij aſſeſſores principalis iudicis. Ob has itaque cauſas meritò Apoſtoli dicuntur ſimpliciter & præciſè fuiſſe Chriſti. Ioannes autem ſcribens: *Cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo*, illud, *qui erant in mundo*, addidit, quò Apoſtolos qui tunc viuebant in terris ſecerneret tum à ſanctis iam mortuis qui erant in limbo, tum à beatis Angelis qui erant in cælo; nam & ipſi ſunt Chriſti, cuius confitentur atque profitentur ſe ſeruos eſſe. Audiat Lector quid vnus quidam ex beatis Angelis dixerit Ioanni, vt ipſemet refert in Apocalypſi cap. 19. cum enim Ioannes cecidiſſet ante pedes Angeli vt adoraret eum, vehementer prohibuit Angelus dicens ei: *Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu.*

Angeli ſunt conſerui hominum qui colūt Chriſtum.

QVINTA

QVINTA DISPVTATIO.

Quid ſignificet illud in finem dilexit eos; *ponuntur quinque interpretationes.*

9. QVID ſit (in finem diligere) variè ab explanatoribus huius Euangelij declaratur. Ego quinque reperio eius locutionis interpretationes, quarum duas primas tradit B. Auguſtinus. Prima interpretatio *in finem dilexit eos*, ideſt propter vltimum finem qui eſt vita & felicitas æterna: vt ſit hîc ſenſus, in tantum dilexit eos, vt eis dare voluerit maximum & ſummum bonum quod dari poteſt homini, id autem eſt æterna vita & felicitas. Secunda interpretatio *in finem dilexit*, id eſt, vſque ad perpeſſionem mortis pro ſalute eorum: eſt enim mors finis vitæ, & vt Philoſophus dixit, eſt omnium terribilium maximè terribilis; quamobrem oppetere mortem pro aliquo eſt clariſſimum ſignum, certiſſimúmque argumentum amoris erga illum, ſicut etiam Dominus ipſe dixit: *Maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt ponat quis animam ſuam pro amicis ſuis.* Tertia interpretatio eſt Cyrilli: *in finem dilexit*, ideſt, perfectè dilexit, finis enim perfectiò eſt rei, quæ non antè habet vltimam perfectionem ſuam, quàm perueniat ad vltimum finem ſuum. Chriſtus autem perfectè dilexit Apoſtolos, quia in eorum dilectione omnes amoris numeros expleuit. Nam & prior ipſe dilexit eos; & immerentes atque indignos amore ipſius dilexit, & cōſtanter atque perſeueranter vſque ad finem vitæ ſuæ dilexit, & non tantùm lingua & verbis dilexit, ſed opere & veritate, & diligendo eos non pauca nec vulgaria, ſed pluri-

Auguſtin.

Ariſtoteles 3. Ethic.

Ioann. 15

Cyrill. Alexand.

1. Ioann. 4.

Quinque proprietates perfecti amoris erga aliquem. Ibid. 3. cap.

ma & eximia & ſingularia bona eis tribuit. Hæc autem quæ diximus, ſunt quinque proprietates perfecti amoris. Quarta interpretatio eſt Chryſoſtomi, Euthymij, & Theophylacti: *in finem dilexit*: id eſt, perpetuò, ſine vlla ceſſatione, & ſine vlla diminutione amoris. Satis eſt probabilis hæc interpretatio, quoniã in Scriptura, præſertim verò in Pſalmis, ſecundum iſtam ſignificationem, vſurpari ſolet illud *in finem*; dicitur enim in finem iraſci, & in finem obliuiſci, pro eo quod eſt ſemper iraſci, & ſemper obliuiſci: contra verò dicitur Deus non in finem iraſci, neque in finem obliuiſci, pro eo quod eſt non perpetuò iraſci, nec perpetuò obliuiſci.

Chryſoſt. Euthym. Theophyl.

Reſtat quinta interpretatio, quæ non diſplicet mihi, ſecundum quam illa verba *in finem dilexit eos*, hanc reddunt ſententiam, licet antea Chriſtus multum dilexerat Apoſtolos, multáque ſui erga illos amoris ſigna dederat; in fine tamen vitæ ſuæ maiora & illuſtriora huius amoris dedit ſigna. Et amoris quidem quo Chriſtus antea dilexerat Apoſtolos, illa fuere ſigna. Habuerat enim illos præ cæteris omnibus ſocios, familiares, intimos, & amicos ſuos. Fecerat eos Apoſtolos ſuos: Primarios ad omnes gentes deſignauerat legatos ſuos: Deſtinauerat eos in conſummatione ſeculi iudices hominum, vt ſecum etiam ipſi iudicarent omnes. Dederat eis virtutem faciendi miracula: Promiſerat admirandam illam poteſtatem animas hominum ligandi atque ſoluendi, & claues regni cœlorum, vt cœlum hominibus aperire & claudere poſſent. Sed enim, in extremo vitæ illuſtriora fuere amoris ſigna: Tunc enim admirando humilitatis & charitatis exemplo lauit pedes eorum. Tunc cœnans cum illis inſtituit Sacramentum 10.

Quæ ſigna Chriſtus & in vita ſua & in morte dederit amoris, quo diligebat Apoſtolos.

Matth. 16.

tum

tum Euchariſtiæ, in eo dans eis corpus & ſanguinem ſuum, primóſque fecit noui Teſtamenti Sacerdotes, dans eis poteſtatem conficiendi hoc Sacramentum,& Fidelibus diſpenſandi. Tunc in horto cùm à Iudæis caperetur,maiorem viſus eſt habere curam eorum quàm ſui,dixit enim Iudæis, *Si me quæritis,ſinite hos abire.* Ioann. 18. Quaſi diceret, Permitto vobis vt in me faciatis quod vultis; hos tamen à vobis lædi nolo.Tunc blandiſſimis & amantiſſimis verbis longum cum illis ſermonẽ habuit, eos appellans filiolos ſuos & amicos ſuos: & in oratione quam tunc habuit ad Deum Patrem ſuum, ſæpius eos, tamquã ſibi cariſſimos grauiſſimis verbis Deo Patri ſuo commendauit. Sed abſoluta explanatione primæ ſentẽtiæ huius capitis,quæ continetur illis verbis, *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Ieſus,quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Redeundum nobis eſt ad examinanda prima illa verba. *Ante diem feſtum Paſchæ*; ea namque verba grauem admodum & arduam ſecum complicatam habent quæſtionem.

SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Ante diem feſtum Paſchæ.

Quoniam hæc verba magnam habent difficultatem, quomodo ea ſint intelligenda, variæ referuntur atque refelluntur ſententiæ. In hac autem diſputatione diſcutitur ſententia eorum qui dixerunt, Chriſtum illam ſuam vltimam cœnam egiſſe decima tertia die primi menſis, vno videlicet die priuſquam Iudæi celebrarent Paſcha.

Digitized by Google

QVOD ait hoc loco B. Ioannes vltimam illam Chriſti cœnam actam eſſe ante diem feſtum Paſchæ, pugnare videtur cum eo quod alij tres Euangeliſtæ de illa cœna ſcripſerunt, Matthæus cap. 26. Marcus 14. Lucas 22. Aiunt enim illam cœnam eſſe actam in primo die Azymorum, qui erat primus dies feſtiuitatis Paſchalis; hæc enim agebatur per ſeptem dies qui alio nomine appellabantur dies Azymorum. Si ergo ſecundum iſtos tres Euangeliſtas illa Chriſti cœna fuit acta in primo die Azymorum, ſiue in primo die feſto Paſchæ; Ioannes illam cœnam actam eſſe ſcribens ante primum diem feſtum Paſchæ, contradicere videtur aliis Euangeliſtis. Deinde, hoc Ioannis dictum aduerſari videtur legi quam de tempore celebrandi Paſcha Deus Iudæis dedit: iubebat enim lex celebrari Paſcha ad Veſperam decimæ quartæ diei primi menſis, id autem eſt, initio decimi quinti diei: nam ſecundum legem in celebratione feſtorum dies computabatur à veſpera vnius diei vſque ad veſperam alterius proximè ſequentis diei, vt ſcriptum eſt in Leuitico cap. 23. Si autem Chriſtus egit illam cœnam ante diem feſtum Paſchæ, qui erat decimus quintus dies primi menſis; non igitur illam cœnam egit eo tempore quo lex iubebat. 11.

Tanta huius dicti Ioannis eſſe difficultas quibuſ- 12.
dam viſa eſt, vt eam putauerint non aliter extricari poſſe quàm dicendo, Chriſtum egiſſe illam vltimam cœnam vno die priùs quàm Iudæi celebrarent Paſcha, id autem eſt, decimo tertio die primi menſis, Iudæis decima quarta die ad Veſperam Paſcha celebrantibus. Sed quorum ita fuit ſententia? Sanè, Chryſoſtomus ſibi eam non diſplicuiſſe ſignificat in homilia

Chryſoſt.

milia 82. in Ioannem; Euthymius in cap. 26. Matthæi & Theophylactus in cap. 18. Ioannis ſententiam hanc approbarunt, nec ea non placuit Cyrillo in libro 12. commentariorum in Ioannem cap. 2. eamdémque magna tradit aſſeueratione Author quæſtionum Veteris & Noui Teſtamenti, (qui falsò nomen fert Auguſtini) in quæſtione 94. Græci quoque libenter eam ſententiam amplexati ſunt, quòd ex ea ſequebatur, Chriſtum in illa vltima cœna confeciſſe Sacramentum Euchariſtiæ non in Azymo, ſed in fermentato; ſiquidem eſus Azymorum incipiebat à Veſpera decimæ quartæ diei primi menſis: Græci autem & putant ita Chriſtum confeciſſe Sacramentum, ipſique hoc modo conficiunt, & conficiendum eſſe arbitrantur.

Euthymius. Theophylactus. Cyrillus Alexand. Author Quæſt. Vete. & Noui Teſtam.

13. Sed falſam eſſe hanc ſententiam, & diuinæ Scripturæ contrariam, quinque rationibus oſtendemus. Prima ratio: Alij tres Euangeliſtæ, vt paulò ſuprà diximus, aiunt, vltimam illam Chriſti cœnam eſſe actam in primo die Azymorum, qui erat decimus quintus dies primi menſis, incipiens à veſpera decimi quarti diei. Eſt igitur falſum & hiſtoriæ Euangelicæ contrarium quod iſti dicunt, cœnam illam eſſe actam in decimo tertio die menſis. Confirmatur etiam hoc, quia Marcus cap. 14. ſcribit illam cœnam eſſe actam quando Iudæi immolabant Paſcha; & Lucas ait, tunc eſſe actam illam cœnam, quando neceſſarium erat (ſecundum legem videlicet) occidi Paſcha. Sed omnes Iudæi & in omni tempore celebrarunt Paſcha ad veſperam decimæ quartæ diei, eóque ipſo tempore celebrari Paſcha lex iubebat; ergo Chriſtus quoque celebrauit eo tempore & non in decima tertia die.

Quinque rationibus refellitur ſupradicta ſententia.

14. Secunda ratio: Ex hoc ipſo loco Ioannis liquet, illam cœnam vltimam Chriſti eſſe actam non in deci-

ma tertia die, ſed in decima quarta. Chriſtus enim, ſecundum Ioannem illam cœnam egit ante diem feſtum Paſchæ; ſed primus dies feſtus Paſchæ erat decimus quintus dies primi menſis; tunc enim incipiebat feſtiuitas & ſolemnitas Paſchalis, ſicut ſcriptum eſt in libro Numerorum capit. 28. illis verbis: *Primo menſe, decima quarta die menſis Paſcha Domini erit; decima vero quinta die ſolemnitas*: Si Chriſtus igitur illam cœnam egit proxime ante diem feſtum Paſchæ, neceſſe eſt illam cœnam eſſe actam in decima quarta die, non autem in decima tertia.

Tertia ratio: Chriſtus fuit obſeruantiſſimus legis: 15.
Matthei 5. nimirum ipſe dixit: *Non veni ſoluere legem, ſed adimple-*
Ad Galatas 4. *re.* Et Paulus de eo ſcripſit ad Galatas. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Imò verò cùm Chriſtus circumcidi voluit, eo ipſo fecit ſe debitorem vniuerſæ legis ſer-
Ad Galatas 5. uandæ, vt intelligere licet ex illis verbis Pauli: *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.* Videat lector quæ ſuper hoc ſcripſit
B.Thomas. B.Thomas in 3. Parte, quæſtione 40. art. 4. Sed lex iubebat celebrari Paſcha ad veſperam decimæ quartæ diei primi menſis; ergo Chriſtus in hoc, ſicut in aliis omnibus ſeruans legem, eo tempore ſuam illam cœnam Paſchalem egit. Permittebat quidem lex celebrationem Paſchæ differri in aliud tempus, in duobus videlicet caſibus qui exponuntur in libro Numerorum cap. 9. & in libro ſecundo Paralip. cap. 30. numquam tamen permiſit, vllo in caſu, vel vllam ob cauſam anticipari tempus celebrationis Paſchæ.

Quarta ratio: Si Chriſtus cœnam illam Paſchalem 16.
egiſſet decima tertia die primi meſis, cùm id eſſet cōtra legis præceptum, & cōtra generalem conſuetudinem

nem Iudæorum, magnum profectò inde ſcandalum exiſtere potuiſſet; & Iudæi habere viſi fuiſſent ſatis probabilem rationem, iuſtámque cauſam accuſandi Chriſtum,tamquam violatorem legis. Nec Pater ille familias,apud quem Chriſtus cœna illam egit, paſſus eſſet domi ſuæ celebrari Paſcha decimo tertio die menſis,contra legis Dei præceptum, & inuiolabilem conſuetudinem Iudæorum. Quinta ratio:ſi Chriſtus cœnam illam paſchalē egiſſet decimo tertio die primi menſis,cū poſtridie eius diei mortuus fuerit, conſequens eſſet,ipſum fuiſſe mortuum in decima quarta die menſis: at Chriſtum eſſe mortuum in decimo quinto die menſis & in ipſo plenilunio, omnium conceſſu indubitatum eſt.Et hoc certum fit authoritate B. Dionyſij Areopagitæ; qui,tanquam oculatus *Dion. Areop.* teſtis, in epiſtola quam ſcripſit ad Polycarpum, & in alia epiſtola quam miſit ad Apollophanem affirmat, Eclypſim,quæ contigit in tempore Paſſionis Chriſti, & quam ipſe, cùm eſſet in Ægypto, magna cum admiratione ſpectauit, factam eſſe in ipſo plenilunio; id autem eſt in decimo quinto die menſis.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Exponitur & confutatur alia ſententia eorum qui dixerunt, Iudæos illo anno quo Chriſtus paſſus eſt, celebraſſe Paſcha ad veſperam decimæ quintæ diei primi menſis;ideóque Chriſtum celebrando Paſcha ſecundum legem in decima quarta die ad veſperam, celebraſſe ipſum vno die ante Iudæos.

ALII, quibus non placebat ſupradicta ſen- 17.
tentia, cùm etiam ipſi putarent, Chriſtum illam ſuam vltimam cœnam egiſſe vno die priùs quàm Iudæi celebrarunt Paſcha, dixerunt, Chriſtum quidem illam ſuam cœnam Paſchalem egiſſe ad veſperam decimæ quartæ diei, vt lex iubebat; Iudæos tamen immolaſſe Agnum Paſchalem vno die poſt, ad veſperam ſcilicet decimi quinti diei, in hoc antiquam obſeruantes Conſtitutionem Synagogæ factam poſt reuerſionem Iudæorum à captiuitate Babylonica. Ea verò conſtitutione ſancitum & decretum fuerat, vt quo anno primus dies feſtus Paſchalis incideret in feriam ſextam quæ proximè antecedit Sabbathum, eo anno feſtiuitas Paſchalis non in eo die, ſed in ſequenti die Sabbathi celebraretur: & immolatio quidem Agni Paſchalis fieret ad veſperam decimi quinti diei primi menſis: feſtiuitas autem celebraretur in decimo ſexto die. Idémque ſeruari debere conſtitutum eſt in feſto Expiationis quod celebrabatur in decimo die ſeptimi menſis. Quoniam igitur eo anno quo Chriſtus mortuus eſt, decimus quintus dies primi menſis qui eſſe debebat primus dies feſtiuitatis Paſchalis, fuit dies Veneris, ſiue feria ſexta, idcirco Iudæi, feſtiuitatē Paſchalem celebrarunt in die Sabbathi, qui fuit decimus ſextus dies menſis, Agnum verò Paſchalem immolarunt ad veſperam decimi quinti diei, antiquam illam, vt diximus, ſeruando Synagogæ conſtitutionem. Chriſtus autem ſeruando legem, cœnam illam ſuam paſchalem egit ad veſperam decimæ quartæ diei, & vno die ante Iudæos, & ante diem feſtum Paſchæ ſecundum obſeruationem Iudæorum in eo anno. Et hinc, ſecundum iſtos, liquidò intelligitur, cur

Ioannes dixerit, illam Chriſti cœnam eſſe actam ante diem feſtum Paſchæ. Sic iſti.

18. Sed qui fuerunt huius ſententiæ probatores atque ſectatores? Equidem primus apud quem eam reperi, fuit Rupertus in decimo libro commentariorum ſuorum in Matthæum ſuper cap. 26. quam ſententiam poſtea Paulus Burgenſis fusè declarauit, mordicúſque defendit in ſuis Additionibus ad poſtillas Lyrani ſuper Matthæi cap. 26. Eamdem quoque ſententiam maximè probarunt Paulus Mideburgenſis in libro quem ſcripſit de celebratione Paſchæ, & Ioannes Lucidus in Tractatu quem edidit de vero die Paſſionis Chriſti, & Ianſenius ſuper cap. 128. ſuæ concordiæ Euangelicæ. Quin etiam Gamaliel diſcipulus Chriſti & magiſter Pauli Apoſtoli, dicitur hanc ipſam ſententiam tradidiſſe in quodam libro quem de Solis & Lunæ motibus ſcripſit.

Sectatores huius ſententiæ. *Rupertus.* *Paulus Burgenſis,* *Paulus Mideburgẽſis,* *Ioannes Lucidus,* *Ianſenius.* *Gamaliel.* *Actorũ 22.*

19. At enim falſitas huius ſententiæ quinque rationibus demonſtrari & conuinci poteſt. Prima ratio: Propterea Deus præcepta legis quam dedit Iudæis tam diſtinctè, tam explicatè, tam expreſsè tradidit, vt nullum eis dubitandi vel ambigendi locum relinqueret, nihílque illi detrahere, vel addere, vel quocumque modo mutare auderent, & hoc ipſum præcepit eis Deus, vt legitur in Deuteronomio capit. 4. Quamobrem Iudæi, vel vſque ad ſuperſtitionem obſeruantiſſimè legis ſecundum litteram, nefas atque impium putabant vel vnum legis apicem mutare. Cùm itaque Deus apertè præcepiſſet celebrari Paſcha ad veſperam decimi quarti diei primi menſis, nec eam celebrationem differri in aliud tempus, niſi duobus in caſibus quos ipſe declarauit, & Moyſes narrauit in libro Numerorum cap. 9. quomodo vniuerſa Synagoga,

Supradicta ſentẽtia refellitur quinque rationibus.

quæ eo tempore Spiritu Dei regebatur, humanam legem condidiſſet legi Dei planè contrariam? Deus enim duos tantùm caſus exceperat, ne Paſcha tempore à ſe præſcripto celebraretur: Synagoga verò, ſecundum iſtos, tertium caſum addidit, in quo differenda eſſet celebritas Paſchalis, nempe cùm feſtiuitas Paſchalis incideret in feriam ſextam: tunc enim feſtiuitatem Paſchalem differendam eſſe cenſuit in proximè ſequentem diem Sabbathi: ita vt eo anno immolatio Agni Paſchalis fieret ad veſperam decimiquinti diei primi menſis; feſtiuitas autem Paſchalis celebraretur in decimo ſexto die eiuſdem menſis. Huiuſmodi porrò Synagogæ conſtitutionem legi Dei contrariam fuiſſe negari non poteſt, & ideo ab vniuerſa Synagoga eam eſſe factam incredibile eſt.

Secunda ratio: Deus qui ſua infallibili prouiden- 20.
tia futura omnia proſpicit & ordinat atque diſponit, ſciebat, ſæpenumero euenturum, vt feſtiuitas Paſchalis incideret in feriam ſextam; Si ergo ob eam cauſam differri voluiſſet feſtiuitatem Paſchalem, id profectò indicaſſet: ſicut enim duos caſus declarauit in quibus permittebat differri celebritatem Paſchalem, ita & hunc tertium caſum declaraſſet; ſed nuſquam eum caſum indicauit; ergo dilatio feſtiuitatis Paſchalis ob iſtum caſum fuiſſet contra legem & voluntatem Dei. Dicet fortaſſe quiſpiam, Iudæos in hoc erraſſe, & id contra legem & voluntatem Dei feciſſe: ſed profectò credibile non eſt omnem Synagogam tanto & tam manifeſto errori conſenſiſſe, atque ei per ſexcentos annos adhæſiſſe; tot enim fermè anni à tempore reuerſionis Iudæorum à captiuitate Babylonica vſque ad tempus paſſionis Chriſti præterierunt.

Tertia ratio: Ante captiuitatem Babylonicam per 21.
annos

Digitized by Google

annos prope mille, qui à tempore quo lex à Deo Iudæis data eſt, vſque ad tempus illius captiuitatis fluxerūt, ſæpe accidit vt feſtiuitas paſchalis incideret in feriam ſextam: numquam tamen neceſſarium vel conueniens eſſe tunc iudicatum eſt, vt ob eam cauſam feſtiuitas Paſchalis differretur in alium diem, ſed ea ſemper celebrata eſt in die quem lex præſcribebat. Nulla itaque cauſa eſſe potuit, cur poſt reuerſionem Iudæorum à captiuitate Babylonica neceſſarium vel conueniens iudicaretur differri feſtiuitatem paſchalem in aliud tempus, cum ea incideret in feriam ſextam.

Quarta ratio: Tres Euangeliſtæ, Matthæus, Marcus & Lucas ſcribunt, vt ſupra diximus, Chriſtum egiſſe illam ſuam vltimam cœnam paſchalem in primo die Azymorum, quando Iudæi immolabant Paſcha, vt ait Marcus, & quando, vt inquit Lucas, neceſſe erat ſecundum legem occidi paſcha. Chriſtus itaque cœnam illam paſchalem egit non ſolùm eo tempore quo lex iubebat: ſed etiam eodem ipſo die quo Iudæi celebrabant Paſcha: non igitur Chriſtus Paſcha celebrauit vno die prius quàm Iudæi celebrarūt eo anno. Ioſephus certè rerum Iudaicarum peritiſſimus, qui vixit tempore Apoſtolorum, in libris Antiquitatum Iudaicarum affirmat, Iudæos inuiolabiliter celebrare Paſcha ad veſperam decimæquartæ primi menſis.

22. Quinta ratio: Cauſa ſiue ratio quam iſti afferunt, cur in illo caſu differri feſtiuitatem Paſchalem conſtitutum fuerit à ſynagoga, ſanè quàm futilis & friuola eſt. Aiunt enim illi propterea dilationem illam feſtiuitatis paſchalis eſſe factam, ne ſi feſtiuitas paſchalis celebraretur in feria ſexta, cùm proximè ſequeretur dies feſtus ſabbathi, duo eſſent continui

dies feſti & ab omni opere feriati, id enim valde incommodum foret ac moleſtum populo. Sed profectò ratio hæc, vt dixi, futilis eſt; nam caſus ille, ſiue concurſus feſtiuitatis Paſchalis cum feria ſexta rarò contingebat; & quamuis frequentiùs eueniret, non admodum tamen incommodum & moleſtum erat duos continuos dies feſtos, & feriatos agere: ſicut nec eſt Chriſtianis, qui ter per ſingulos annos, tres continuos dies feſtos & feriatos, & interdum quatuor celebrant. Reſtat nunc vt reſpondeamus ei argumento quo ſupradicta vtraque ſententia nititur & fulcitur; id verò eſt huiuſmodi, Ioannes ſcribens Chriſtum egiſſe illam vltimam cœnam ante diem feſtum Paſchæ, non obſcurè ſignificauit, illam cœnam eſſe actam vno die priuſquàm Iudæi celebrarent Paſcha.

OCTAVA DISPVTATIO.

Duplici ratione declaratur cur B. Ioannes dixerit, vltimam illam Chriſti cœnam eſſe actam ante diem feſtum Paſchæ.

DVPLEX cauſa reddi poteſt, cur Ioannes di- 23.
xerit, illam Chriſti cœnam eſſe actam ante diem feſtum Paſchæ. Ioannes etenim ſequi & ſeruare voluit cõſuetudinem & modum loquendi ſacræ Scripturæ, quæ celebrationem Paſchæ ſiue immolationem Agni Paſchalis ſemper aſſignat decimæ quartæ diei primi menſis; celebrationem autem feſtiuitatis paſchalis inchoat à decimo quinto die eiuſdẽ menſis

menſis: Nam, vt alia nunc taceam Scripturæ loca, apertè id ſcriptum eſt in libro Numerorum cap. 28. illis verbis. *In menſe primo, decimaquarta die menſis Phaſe Domini erit, decima autem quinta die ſolennitas.* Et quamuis decimus quintus dies qui erat primus dies feſtus Paſchæ, inciperet à veſpera decimæquartæ diei, quo in tempore celebrabatur Paſcha immolando Agnum Paſchalem: Scriptura tamen illam celebrationem Paſchæ attribuit decimoquarto diei, non autem decimoquinto. Cùm igitur aliud ſit celebratio Paſchæ, & aliud celebratio feſtiuitatis paſchalis (illa enim ad decimum quartũ diem, hæc verò ad decimum quintum ſecundum Scripturam pertinebat) idcirco B. Ioannes narraturus ea quæ Chriſtus geſſerat & dixerat in vltima illa ſua cœna paſchali, rectè ſcripſit, ea geſta & dicta fuiſſe ante diem feſtum Paſchæ: ſiquidem illa cœna paſchalis pertinebat ad decimum quartum diem qui erat ante decimum quintum, is verò erat primus dies feſtus Paſchæ. Sanè, apud omnes cœna quæ agitur in veſpera vel in nocte alicuius diei præcedentis, exempli cauſa, diei Iouis, ea cœna diei Iouis attribuitur, non autem diei Veneris, & appellatur cœna diei Iouis, non autem diei Veneris. Hoc ipſum etiam in celebrando feſto inſtitutionis Sacramenti Euchariſtiæ ſecuta eſt Eccleſia. Hoc enim Sacramentum inſtitutum eſt in illa vltima Chriſti cœna paſchali, quæ vt diximus, pertinebat ad decimum quartum diem; is autem dies fuit eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, dies Iouis, & ſequẽs dies decimus quintus fuit dies Veneris. Eccleſia itaque feſtum inſtitutionis ſacramenti Euchariſtiæ, ob hanc cauſam celebrat non in die Veneris, ſed in die Iouis; licet eo tempore quo illa cœna eſt acta & inſtitutum Sacramentum,

iam incepiſſet primus dies feſtus Paſchæ, qui tunc fuit dies Veneris.

Duplex obſeruatio dierum apud Iudæos.

Altera cauſa quæ reddi poteſt cur Ioannes ſcripſerit illud, *Ante diem feſtum Paſchæ*, eſt huiuſmodi: Duplex erat apud Iudæos obſeruatio dierum; altera in celebratione Feſtorum, ſecundum quam dies computabatur à veſpera vnius diei vſque ad ſequentis diei veſperam, vt ſcriptum eſt in Leuitico cap. 23. Hac ratione illa Chriſti cœna non eſt acta ante diem feſtum Paſchæ, ſed in ipſo die feſto Paſchæ, ſiquidem acta eſt in veſpera decimæquartæ diei, vnde incipiebat decimus quintus dies prout erat primus dies feſtus Paſchæ. Altera dierum obſeruatio & computatio erat in vſu apud Iudæos in alijs omnibus rebus, excepta dumtaxat celebratione Feſtorum, & computabatur dies à media nocte vnius diei vſque ad mediam noctem ſequentis diei. Nos priores illos dies appellemus legales, hos autem poſteriores nominemus vſuales. Et ſecundum hanc rationem diei vſualis verè dictum eſt à B. Ioanne illam Chriſti cœnam eſſe actam ante diem feſtum Paſchæ. eſt enim acta in veſpera decimæ quartæ diei, cuius diei prout erat vſualis, reſtabant ſex horæ vſque ad mediam noctem, vnde incipiebat decimus quintus dies vſualis, qui erat primus dies feſtiuitatis paſchalis. 24.

Sed illud quiſpiam fortaſſe nobis objiciet, Cùm primus feſtus dies Paſchæ pertineret etiam ad decimum quartum diem vſualem ratione ſuæ primæ partis, id eſt, ſex horarum quæ erant à veſpera decimi quarti diei vſque ad mediam noctem ſequentem in qua decimus quartus dies vſualis finiebatur, cur ille primus dies feſtus non attribuebatur decimo quarto diei vſuali, ſed decimo quinto? Reſpondeo, quia pars 25.

illius

illius diei feſti pertinens ad decimum quartum diem vſualem, erat minor & minus principalis, ſex nimirum illæ horæ nocturnæ à veſpera vſque ad mediam noctem, pars verò eius pertinens ad decimum quintum diem vſualem erat triplo maior, & celebrior tam in populo quàm in templo, idcirco dies ille feſtus attribuebatur decimoquinto diei potius quàm decimoquarto. Nec mirum videri debet, Ioannem hoc loco ſecundum rationem diei vſualis eſſe locutum; idem enim dicere neceſſe eſt de alijs tribus Euangeliſtis, Matthæo cap. 26. Marco 14. Luca 22. hi enim loquentes de die decimo quarto primi menſis etiam ante veſperam eius, illum diem appellarunt primum diem Azymorum, quod verum profectò non eſſet ſecundum rationem diei legalis: ſic enim primus dies Azymorum incipiebat à veſpera decimæ quartæ diei. Verum tamen eſt illud eorum dictum ſecundum rationem diei vſualis. decimus enim quartus dies vſualis qui finiebatur in media nocte ſequenti, continebat ſex primas horas primi diei Azymorum, à veſpera ſcilicet vſque ad mediam noctem, ob idque ratione iſtius primæ partis diei Azymorum quam continebat decimus quartus dies vſualis, potuit ipſe denominari primus dies Azymorum.

***

NONA DISPVTATIO.

Explicatur locus quidam huius Euangelij, quo ſignificari videtur, Chriſtum egiſſe vltimam illam ſuam cœnam Paſchalem vno die priuſquam Iudæi celebrarent Paſcha.

BEatvs Ioannes in decimooctauo capite 26. huius Euangelij ſcripſit, Iudæos eo die quo Chriſtus mortuus eſt, noluiſſe intrare Prætorium Pilati ne contaminarentur, vt poſſent manducare Paſcha. verba Ioannis ſunt hæc: *Ipſi non introierunt in Prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha.* Si Iudæi eo die quo Chriſtus mortuus eſt, nondum manducauerant Paſcha, Chriſtus autem in die præcedenti celebrauerat Paſcha cum diſcipulis ſuis, ergo Chriſtus celebrauit Paſcha vno die priuſquam Iudæi.

D. Thom. Ad hoc reſpondet B. Thomas ſuper eo loco & in tertia parte quæſt. 146. art. 9. & reſponſum eius non ſolum Caietano, ſed aliis etiam compluribus probatum eſt, in ſupradictis illis verbis, *vt manducarent Paſcha*, nomen Paſchæ non ſignificare Agnum Paſchalem, quippe qui ſecundum legem decimaquarta die immolari debebat; ſed ſignificare Azymos panes, qui per illos ſeptem dies ſolẽnitatis Paſchalis à Iudæis comedebantur, nec eos tamen comedere fas erat, niſi eos qui nulla legali immunditia contaminati erant. Hoc reſponſum propterea non placuit Toſtato, quòd nuſquam in Scriptura legitur, Azymos panes vocabulo Paſchæ appellari, ſicut neque in ea legitur vſquam, Iudæos

Iudæos eſu panum Azymorum fuiſſe prohibitos propter aliquam legalem immunditiam.

27. Mihi ſatis probabile videtur illud reſponſum, in illis verbis, *vt manducarent Paſcha*, vocabulo Paſchæ ſignificari ſacrificia Paſchalia quæ per illos ſeptem dies ſolennitatis Paſchalis fiebant in templo, & fiebant diuerſa in diuerſis diebus, de quibus ſacrificiis ſcriptum eſt in libro Numerorum cap. 28. Horum ſacrificiorum quædam erant, quorum pars ad eſum pertinebat eorum qui ea obtulerant, velut erant hoſtiæ pacificæ, de quo legendum eſt caput duodecimum Deuteronomij, & ſeptimum Leuitici. Ad veſcendum porro huiuſmodi ſacrificiis opus erat munditia legali, vt in proximè commemoratis Scripturæ locis proditum eſt. Noluerunt itaque Iudæi contaminari introeundo Prætorium Pilati hominis gentilis, vt manducarent Paſcha, id autem eſt, vt participes eſſe poſſent ſacrificiorum paſchalium quæ per illos ſeptem dies feſtiuitatis paſchalis fiebant, & quorum pars ad eſum pertinebat offerentium. Quod autem illa ſacrificia paſchalia interdum appellentur in Scriptura vocabulo Paſchæ vel Phaſe, perſpicuè cognoſcitur ex verbis illis quæ ſunt in Deuteronomio cap. 16. *Immolabis Phaſe Domino Deo tuo de ouibus & de bobus.* In quibus verbis illud *Immolabis Phaſe* non poteſt intelligi de immolatione Paſchali quæ fiebat ad veſperam decimi quarti diei primi menſis, in ea namque non licebat immolare aliud animal quàm agnum vel hœdum, vt ſcriptum eſt in libro Exodi c. 12. Illud itaque debet intelligi de immolatione animalium quæ fiebat in ſacrificiis per illos ſeptem dies feſtiuitatis paſchalis offerri ſolitis.

Authoris ſententia.

Locus Deuteronomij cap. 16.

DECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et cœna facta, cùm Diabolus iam miſiſſet in cor vt traderet eum Iudas, &c.

Diſputatur de tempore in quo Chriſtus, in illa vltima ſua cœna, lauit pedes diſcipulorum.

AB his verbis vſque ad illa verba: *Poſtquam* 28.
ergo lauit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua &c. narrat Ioannes, quemadmodum Chriſtus ad pedes Apoſtolorum prouolutus, eos manibus ſuis & lauerit, lotóſque terſerit. Quam hiſtoriá, quòd ea omnium eſſet admiratione atque imitatione digniſſima, magna ſententiarum grauitate & orationis magnificentia ſcripſit Ioannes. In principio autem huius narrationis denotatur tempus in quo illa pedum lotio facta eſt, cum dicitur, *Et cœna facta*: ſed illa vox *Facta* tribus modis intelligi poteſt: Primo, vt idem ſit atque cœna iam parata, ſiue præparata, vt ſignificetur, cùm iam cœna eſſet parata, & mox apponenda menſæ priuſquam initium fieret cœnandi, factam eſſe pedum lotionem. Secundum hanc ſignificationem hæc ipſa vox poſita eſt in ſecundo capite libri Tobiæ in illis verbis, *Cùm eſſet feſtus dies Domini, & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ &c.* vbi prandium factum dicitur pro eo quod eſt paratum, nondum tamen inceptum, vt ex ſequentibus verbis manifeſtum eſt. Altero modo, *Cœna facta* dici potuit pro eo quod

Illud cœna facta tripliciter poſſe intelligi.

quod eſt abſoluta & finita. Tertio modo ſic dici potuit pro eo quod eſt inchoata & fieri cœpta, & non confecta. Hoc enim, ſecundum Philoſophos, diſcrimen eſt inter res permanentes atque ſucceſſiuas, quòd illæ non dicuntur factæ niſi cùm ſunt completæ & abſolutæ, vt domus facta dicitur cùm ædificatio eius completa eſt: hæ verò, quoniam ſucceſſiuum eſſe habent, factæ dicuntur, etiam cùm fieri cœptæ ſunt, vt dies dicitur factus, cùm eſſe cœpit. *Diſcrimen inter res ſucceſſiuas & permanentes.*

29. Ex hac triplici huius vocis *Facta* ſignificatione atque vſurpatione triplex ſententia extitit de tempore in quo illa pedum lotio facta eſt. Prima ſententia eſt, lotionem pedum eſſe factam ante inceptam cœnam: & illud *cœna facta* dictum eſſe pro cœna iam parata ſiue præparata. Chriſtus enim tunc lauit pedes diſcipulorum ex conſuetudine Iudæorum, apud quos honeſtorum conuiuarum pedes ante conuiuium lauari ſolebant. Niſi enim id apud Iudæos in more poſitum fuiſſet, non vtique Chriſtus eiuſmodi officium deſideraſſet in Phariſæo à quo fuerat inuitatus, cùm ei dixit. *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, &c.* Chriſtus itaque cum accubuiſſet menſæ, accubuiſſent etiam Apoſtoli, cùmque mox apponenda eſſet cœna, ſurrexit è menſa ad lauandos pedes Apoſtolorum. Sed hæc ſententia duas ob cauſas minimè probabilis eſt. Moris enim apud Iudæos erat lauare pedes conuiuarum priuſquàm illi accumberent menſæ: ſi ergo Chriſtus iſtum morem ſeruare voluiſſet, lauiſſet pedes Apoſtolorum ante accubitum menſæ. Deinde Ioannes ſcribit, Chriſtum ad lauandos pedes ſurrexiſſe è cœna, ergo iam tum cœna fuerat appoſita & incepta. *Prima ſententia, lotionem pedum eſſe factam ante cœnam.* *Luca 7.* *Refutatio primæ ſententiæ.*

VNDECIMA DISPVTATIO.

Exponitur & refellitur ſecunda ſententia de tempore lotionis pedum, quòd ea facta fuerit finita iam prorſus cœna, & poſt inſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ.

ALTERA ſententia eſt, factam eſſe lotionem pedum iam finita cœna & poſt inſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ; quæ ſententia duobus argumentis confirmatur. Ioannes enim exhortationem quam Chriſtus poſt lotionem pedum ad diſcipulos habuit, adeo continenti oratione pertexuit vſque ad egreſſionem Iudæ ex eo loco, vt ei orationi ſiue narrationi nuſquam interſeri poſſe videatur inſtitutio Sacramenti Euchariſtiæ; cui tamen interfuiſſe Iudam, ipſúmque Sacramentum accepiſſe, ex narratione Lucæ manifeſtum eſt. Neceſſe igitur eſt dicere, lotionem pedum eſſe factam poſt inſtitutionem Sacramenti. Deinde, Ioannes ſcribens, Chriſtum lauiſſe pedes cœna facta, ſatis indicauit, peracta iam & finita cœna lotionem pedum eſſe factam. Inſtitutionem autem Sacramenti Euchariſtiæ factam eſſe ante finem cœnæ, & inter cœnandum, perſpicuum fit ex narratione Matthæi cap. 26. & Marci 14. ergo lotio pedum poſt cœnam & poſt inſtitutionem Sacramenti facta eſt. Ad huius ſententiæ confirmationem valet authoritas B. Cypriani, qui in ſermone quem fecit de Ablutione pedum ait, Iudam non meruiſſe vt pedes eius lauarentur à Domino, ſicut aliorum diſcipulorum, ſed percepta Euchariſtia, ante lotionem pedum egreſſum eſſe foras. 30.

Cyprianus.

Sed

31. Sed vtraque iſta ratio qua hæc firmatur ſententia perinfirma eſt. Ad priorem enim rationem reſpondemus, inſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ aptè inſeri poſſe orationi quam Chriſtus poſt lotionem pedum habuit, ante illa verba: *Cùm hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu.* Non enim neceſſum eſt putare, quæ poſt ea verba na[illegible] Ioannes, ea proximè à Chriſto eſſe dicta. Ad poſteriorem [illegible]demus, illud *cœna facta* non ſolùm intelligi poſſe de cœna peracta & finita, ſed etiam de cœna inchoata & iam fieri cœpta, vt ſuprà declaratum eſt. Ioannes certè ſcribens, Chriſtum poſt pedum lotionem iterum accubuiſſe cœnæ, non obſcurè ſignificat, cœnam non fuiſſe finitam ante lotionem pedum. Imò verò poſt lotionem pedum Chriſtum iterum manducaſſe, apparet ex eo quod tunc Chriſtus intinctum panem dedit Iudæ; & ex eo quod Ioannes in vltimo capite huius Euãgelij ſcribit, ſe in illa cœna recubuiſſe ſupra pectus Domini. Quod autem poſt lotionem pedum & Chriſtus panem intinctum dederit Iudæ, & Ioannes in cœna recubuerit ſupra pectus Domini, liquidò intelligere licet ex narratione quam hoc loco facit Ioannes, iſta duo narrans poſt commemoratam pedum lotionem. Quod verò Cyprianus dixit, Iudam ante lotionem pedum eſſe foras egreſſum, nequaquam congruit cum narratione Ioannis, qui ſcribit, poſt lotionem pedum dediſſe Chriſtum Iudæ panem intinctum.

Refutatio ſecundæ ſententiæ.

DVODECIMA DISPVTATIO.

Explicatur tertia de tempore lotionis pedum ſententia, quæ probatur Auctori.

TERTIA est ſententia duobus ſuperioribus probabilior, factam eſſe lotionem pedum poſt cœnam legalem,& inchoata iam cœna communi,& ante inſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ. Cœna etenim illa paſchalis apud Iudæos duas habebat partes, quarum prior erat cœna legalis in qua comedebatur Agnus Paſchalis, obſeruatis compluribus cæremoniis quæ commemorantur in libro Exodi cap. 12. poſterior verò pars erat cœna communis,in qua Iudæi vſitatis cibis veſcebantur,præter panes,quos niſi Azymos comedere per illos ſeptem dies Paſchales fas non erat. Finita igitur cœna legali, & inchoata iam cœna communi,ſurrexit è menſa Chriſtus ad lauandos pedes diſcipulorum;qua lotione finita, iterum Chriſtus accubuit menſæ repetens ac proſequens inceptam cœnam communem,& ante finem eius inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ. Hanc porrò inſtitutionem Euchariſtiæ cùm Matthæus cap. 26. & Marcus 14. ſcribunt factam eſſe inter cœnandum, intelligunt de cœna communi, quæ tunc iam incepta fuerat, & nondum finita: cùm autem Lucas capit. 22. & Paulus in priori epiſtola ad Corinthios cap. 11. aiunt Sacramentum hoc fuiſſe conſtitutum poſt cœnam,ſiue poſtquàm cœnatum fuerat, haud dubiè intelligunt de cœna legali. Hac enim finita & incepta cœna communi Chriſtus inſtituit Sacramentum. Iam verò quod Chriſtus nouam & myſticam cœnam 32.

cœnam exhibiturus diſcipulis ſuis,prius eorum pedes lauit,non id fecit tantùm vt ſeruaret morem Iudæorum,ſed potiſſimum myſterij gratia,quo ſignificaretur,vt plerique Patrum intellexerunt, prius ab omni ſorde peccati mundandum eſſe animum eius, qui hoc Sacramentum dignè atque vtiliter percepturus eſt. Hoc certè S. Bernardus in ſermone quem ſcriptum reliquit de cœna Domini,colligit ex illis verbis quæ Petro dixit Dominus: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* *S. Bernardus.*

33. Ceterùm, non quia Chriſtus Sacramentum Euchariſtiæ confecit nocte, & dedit ſumẽdum cœnantibus dans in manus eorum, ex eo licet argumentari, ſimiliter nunc in Eccleſia & in populo Dei confici & ſumi debere hoc Sacramentum. Optima enim præualuit in Eccleſia Chriſti conſuetudo ab antiquis ducta temporibus, & iuſtiſſimis de cauſis religioſè obſeruata, vt hoc Sacramentum non niſi ante meridiano tempore, nec niſi à ieiunis conficiatur & ſumatur niſi quando ægrotis, tamquam viaticum datur: qua de re legenda eſt pulcherrima B.Auguſtini ſententia quæ eſt in epiſtola 118. ad Ianuarium ſcripta. Iuſtinus Martyr. in Apologia ſecunda pro Chriſtianis, & Cyprianus in libro de Corona militis aiunt,antiquiores Chriſtianos Euchariſtiam ſumere fuiſſe ſolitos in die ſolis, quem nos diem Dominicum appellamus, & in tempore antelucano,noctis tamen iam depulſis tenebris.Huc etiam ſpectant quæ tradit Plinius in lib.10. Epiſtolarum in Epiſtola quam de Inſtitutis Chriſtianorum ſcripſit ad Traianum Imperatorem. *S. Auguſtinus.* *Iuſtinus Martyr.* *Cyprianus.* *Plinius.*

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Verſ. 3. *Cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas, &c.*

SICVT ex eo quod dicitur, Chriſtum è cœna 34.
ſurrexiſſe ad lauandos pedes Apoſtolorum,
(Theophylactus.) meritò admiratur Theophylactus inæſtima-
bilem Chriſti dignationem, qui cùm iam menſæ ac-
cubuiſſet, & cœnare cœpiſſet, ſurrexerit è cœna, &
procumbens ad pedes Apoſtolorum, ſordes eorum
manibus ſuis lauerit & terſerit: ita ex eo quod dicitur,
diabolum miſiſſe in cor Iudæ vt traderet Chriſtum,
(Chryſoſtomus.) veriſſimè demonſtrat Chryſoſtomus, incomparabi-
lem fuiſſe Chriſti manſuetudinem, qui Iudam, à quo
ſciebat, ſe iam fuiſſe proditum & viliſſimo pretio
venditum Iudæis ad necem, & menſæ ac cœnæ ſuæ,
& lotionis pedum, & Sacramenti Euchariſtiæ parti-
cipem fecerit. Illud prætereà ſignificatur, tam enor-
me atque immane fuiſſe ſcelus proditionis Chriſti, vt
id nullus mortalium concipere animo potuiſſet, niſi
duntaxat is qui ſe totum diaboli poteſtati atque vo-
luntati mancipaſſet. Hinc quoque licet intelligere,
principalem necis Chriſti authorem fuiſſe diabo-
lum; is enim & Iudam incitauit ad Chriſtum Iudæis
prodendum & vendendum; & Iudæorum animos
ad odium eius inflammauit & ad necem impulit.

Poſſent hoc loco ſuper eo quod hic dicitur, dia- 35.
bolum miſiſſe in cor Iudæ, duæ ſcholaſticæ quæſtio-
nes tractari. Altera, An poſſit diabolus immittere ali-
quid in voluntatem & intellectum hominis, id autem

eſt, an

eſt, an poſſit immediatè afficere ac mouere voluntatem hominis. Altera quæſtio eſt, an omnia peccata hominum proueniant à ſuggeſtione atque incitatione dæmonum. Sed has quæſtiones relinquamus nos Theologis ſcholaſticis, quarum veram & doctam explicationem petat lector à B. Thoma, qui priorem quæſtionem tractauit in prima ſecundæ quæſtione, 9. art. 6. & in prima parte quæſtione, 111. Super poſteriori autem quæſtione diſputauit in prima parte quæſtione, 114. art. 3. *B. Thomas.*

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia a Deo exiuit, & ad Deum vadit, &c. Vers. 3.

36. B. Ioannes, quò expreſſius oſtenderet inſignem Chriſti humilitatem in lauandis pedibus diſcipulorum, priùs maximam Chriſti excellentiam demonſtrare voluit: eam verò demonſtrauit quatuor ex rebus, ex ſcientia, ex potentia, ex nobilitate, ex ſanctitate. Ex ſcientia, indicans eum ſciuiſſe omnia, cùm inquit *Sciens quia omnia dedit ei Pater.* Hinc enim neceſſariò ſequitur, Chriſtum ſciuiſſe omnia. Sanè, Chriſtus, quia Deus erat, ſciebat omnino & ſimpliciter omnia quæ Deus Pater ſcit: quia verò erat homo, ſciebat omnia quæ Deus ſcit ſcientia viſionis, non autem omnia quæ Deus ſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt docent Theologi. Si autem Chriſtus ſciebat omnia, ergo ſciebat proditionem ſibi factam à Iuda, & futuram Petri negationem, & diſci-

Quatuor ex rebus cognoſci ſummam Chriſti excellentiam.

Scientia Chriſti.

pulorũ fragilitate, & Iudæorũ contra ſe conſpiratio-
nẽ,& inſtantis iam paſſionis ſuæ acerbiſſimos crucia-
tus,mortiſque crucis ignominiam & atrocitatẽ:nihil
horum tamẽ obſtare potuit quominus ipſe ad viliſſi-
mũ & ſeruile lauandi pedes miniſteriũ ſeſe abiiceret.

Omnipotentiam Chriſti Ioannes demonſtrauit
Potentia illis verbis,*Omnia dedit ei Pater in manus.* Quæ locutio 37.
Christi. ſecundum proprietatem linguæ Hebrææ ſignificat,
omnia fuiſſe Chriſti poteſtati & imperio ſubiecta.
Hanc omnipotentiam Chriſto, qua Deus erat,dede-
rat Pater ab æterno ; nam cùm eum generauit, ſimul
cum ſubſtantia ſua dedit ei omnia quæ habebat
Ioann. 16. ipſe:quapropter Chriſtus dixit, *Omnia quæ Pater habet,*
Ioann. 17. *mea ſunt: & omnia tua mea ſunt, & omnia mea tua ſunt.*
Homini autem Chriſto dedit Pater omnem poteſta-
tem,tum propter gratiã vnionis hypoſtaticæ,propter
Ad Philip. 2. quam ipſe ſuo iure Dominus erat omnium:tum pro-
pter meritum paſſionis & mortis ſuæ, propter quod
exaltauit eum Deus, & dedit ei nomen quod eſt ſuper
omne nomẽ &c. & Dominus ipſe poſt reſurrectionẽ
Matth. vlt. ſuam dixit. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.*

Sed nos paulò diſtinctiùs,breuiter tamen indice-
mus quæ ſint illa omnia quorum Deus poteſtatem 38.
dedit Chriſto : poſſent autem ſeptem eorum genera
Septem genera eorũ, quorum poteſtatem Deus Chriſto dedit. diſtingui. Dedit Chriſto poteſtatem omnes Veteris
Teſtamenti figuras, omneſque prophetias, & omnia
Dei promiſſa quæ ſpectabat ad Nouum Teſtamen-
tum implendi atque præſtandi. Dedit ei poteſtatem
redimendi genus humanum, & peccati & mortis &
diaboli imperium deſtruendi. Dedit ei poteſtatem
ſpoliandi Infernum, Iuſtos inibi detentos educendo,
& aperiendi cœlum hominibus, & Angelorum rui-
nas propter Luciferi & Angelorum eius de cælo
lapſum

lapſum factas, reparandi. Dedit ei poteſtatem & virtutem, per ſui Euangelij prædicationem illuminandi mundum, omnéſque gentes ad veri Dei cognitionem & cultum adducendi. Dedit ei poteſtatem iudicandi omnes, tam viuos quàm mortuos. Dedit ei poteſtatem non ſolùm animis hominum, ſed etiam corporibus immortalem & beatam vitam largiendi. Dedit ei nomen tantæ dignitatis & virtutis, vt in nomine eius omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & non ſit aliud nomen neque in terra neque in cœlo, in quo poſſit quiſquam ſaluus fieri niſi in nomine Ieſu. *Ad Philip. 2.* *Actorū 4.*

39. Nobilitas & dignitas Chriſti ſignificatur à Ioanne illis verbis: *Quia à Deo exiuit.* Chriſtus & vt Deus, & vt homo exiuit à Deo: vt Deus, per æternam generationem ex ſubſtantia eius genitus, ſicut per Dauidem Deus Pater loquitur Filio. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Hinc diuina elucet Chriſti nobilitas & dignitas. ſi enim ex ſubſtantia Dei genitus eſt, ergo conſubſtantialis & coæternus & æqualis eſt Deo Patri, & verus Deus, ſicut ipſe Pater eſt. Chriſtus etiam exiuit à Deo vt homo eſt, propter ſingularem, eximiámque miſſionem eius à Patre in mundum. Quinque autem ex rebus perpenditur dignitas miſſionis alicuius perſonæ: Ex dignitate perſonæ mittentis, ſi Rex vel Imperator vel ſummus Pontifex fuerit; ex dignitate perſonæ quæ mittitur, ſi fuerit ex primarijs principibus Regis, vel etiam filius Regis; ex amplitudine poteſtatis quam perſona mittens dat ei quem mittit, vt omnia quæ ad miſſionem eius pertinent, liberè poſſit facere; ex fine miſſionis, ſi fuerit bonum non priuatum vel particulare, ſed commune plurimorum hominum multarúmque gentium. Ex bono effectu & ſucceſſu miſſio- *Nobilitas & dignitas Chriſti.* *Pſal.109.* *Quomodo Chriſtus & vt Deus & vt homo exierit à Deo Patre.* *Ex quinque rebus æſtimari dignitatem miſſionis alicuius perſonæ.*

nis, ſi vtiliſſimè ac feliciſſimè, & ex ſententia & voluntate perſonæ mittentis, miſſio peracta fuerit. Hæc omnia eximiè atque excellenter in Chriſti miſſione cernere licet: perſona mittens, Deus Pater fuit, qui autem ab eo miſſus eſt, fuit naturalis & vnigenitus filius eius homo factus. Finis miſſionis eius fuit redemptio humani generis & ſalus Mundi: Data fuit ei omnis poteſtas in cœlo & in terra, & ſicut paulò antè dictum eſt, *Omnia dedit ei Pater in manus.* Effectus & ſucceſſus miſſionis Chriſti feliciſſimus fuit, etenim ipſe humanum genus redemit, regnum peccati ſuſtulit, Diaboli potentiam euertit, deſtruxit mortis imperium, infernum ſpoliauit, aditum cœli hominibus aperuit, mundúmque iacentem in tenebris, & in vmbra mortis illuminauit, & ad cognitionem & cultum Dei adduxit, & ad cœleſtium æternorúmque bonorum deſiderium & ſpem erexit.

Sanctitas Chriſti. Sanctitas Chriſti ſignificatur à Ioanne illis verbis, *& ad Deum vadit.* Iuit Chriſtus ad Deum victor & triumphans, omnem cælorum altitudinem ſupergreſſus, omnémque tranſcendens cœleſtium Spirituum ſublimitatem, vſque ad thronum Dei euectus, & ad dexteram eius ſedens, vt naturæ ipſius, ita & honoris, gloriæ, poteſtatis & imperij conſors factus. Hanc itionem Chriſti ad Deum Patrem pulcherrimis verbis renuntiauit nobis propheta Daniel. *Ecce,* inquit, *cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad Antiquum dierum peruenit. Et in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem & honorem & regnum: Et omnes populi & tribus & linguæ ipſi ſeruient: Poteſtas eius, poteſtas æterna quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* 40. *Danielis 7.*

Quatuor hæc, ſcientiam, potentiam, nobilitatem 41.
ſiue

ſiue dignitatem, & ſanctitatem ideo Ioannes præmonſtrare voluit, quò manifeſtius omnibus fieret, quãta fuerit Chriſti demiſſio & humiliatio in lauandis pedibus diſcipulorum ſuorum. Theophylactus Theophyl. hunc locum explanans, ita ſcribit: Conſcius ſibi Dominus Ieſus Chriſtus ſuæ non ſimulatæ neque aſcititiæ, ſed ingenitæ atque naturalis nobilitatis & dignitatis; non putauit, eam vilibus & abiectis officijs charitatis & humilitatis diminui aut offuſcari. Hoc etiam nos Paulus docuit, cùm de Chriſto ſcripſit, *Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* ad Phil. 2.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe: deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Vers. 4. & 5.

42. HIs verbis quinque res, obſeruatè curioſéque conſiderandas, quas Chriſtus egit loturus pedes ſuorum diſcipulorum, expoſuit nobis B. Ioannes. Prima res ſignificatur illis verbis, *ſurgit à cœna.* Cùm iam Chriſtus accubuiſſet menſæ, iámque cœnare cœpiſſet, non eſt grauatus ſurgere à cœna, & procumbens ad pedes diſcipulorum, eos lauare. Sed quæri poteſt; Cùm Iudæi Agnum paſchalẽ ſtantes comedere deberent, quomodo Chriſtus ac-

ſtimentum deſcribitur in Scriptura; veſtimentum decoris, & fortitudinis, & claritatis: ſic enim ſcriptum eſt in Pſalmo 92. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt fortitudinem, & præcinxit ſe.* Et in Pſalmo 103. *Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.* Hæc veſtimenta Chriſtus ſurgens & deſcendens de cælo ad ſaluandum hominem, quodammodo depoſuit; non quòd ea non ſemper in ſe habuerit, ſed quantum ad eorum manifeſtationem, quod ea operimento carnis aſſumptæ velauerit & occultauerit, verè factus, vt dixit Iſaias, Deus abſconditus: & ſuperinduit tria illis contraria veſtimenta, humilitatis, & infirmitatis, & obſcuritatis atque deſpicabilitatis: quæ veſtimenta deſcripſit Iſaias cap. 53. illis verbis: *Non eſt ſpecies, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum: Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eum.*

Triplex glorioſum Filij Dei veſtimentum.

Eſaia 45.

45. Tertiam rem à Chriſto actam ante lotionem pedum indicauit Ioannes illis verbis; *Et cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe.* Præcingimur linteo, ne tractantes immunda & ſordida inquinemur. Significatur itaque lintei ſimilitudine natura humana quam Chriſtus induit, & per quam lauit & terſit peccata noſtra. Et ſicut in eo qui ſordidos pedes lauat, ſordes adhærent linteo, nec tranſeunt ad veſtimenta eius: ita mala corporalia, & quæ vocantur mala pœnæ quæ Chriſtus plurima & maxima perpeſſus eſt, humanitati eius cõtigerunt, diuinitatem vero nullo modo attigerunt. Quarta res ſignificatur illis verbis: *Deinde mittit aquam in peluim.* Quid hoc ſignificauit, niſi Chriſtum ad lauandas ſordes peccatorum, ad refrigerandum ardorem concupiſcentiæ, ad fœcundas hominum men-

aut quanti æſtimari debent, ſi cum hac Chriſti humilitate comparentur? Et Paulus quidem humilitatem Chriſti graphicè depinxit illis verbis: *Qui cùm in forma* *Ad Philip. 2.*
Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Hanc porrò formam ſerui, quam Chriſtus accepit, vt ait Paulus ipſe tum aliis in rebus, tum maximè & manifeſtiſſimè in hac lotione pedum oſtendit.

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Venit ergo ad Simonem Petrum. VER. 6.

Quem Apoſtolorum primum lauerit Chriſtus, Iudam-ne an Beatum Petrum.

48. ORIGENES, vt refert ſanctus Thomas in Catena, putauit, Chriſtum in illa ſua lotione pedum incepiſſe à minimis & infimis Apoſtolorum; itaque primum omnium à Chriſto lotum eſſe Iudã, vltimũ verò Petrum. Fecit enim Chriſtus, ait Origenes, more optimi medici, qui plurimos curaturus ægrotos ab infirmiſſimis curationem orſus *Origenes.*
ad minus infirmos peruenit. Chryſoſtomus quoque *Chryſoſt.*
in homilia 69. & Theophylactus, & Euthymius ſuper *Theophyl.*
hoc loco Ioannis arbitratur Chriſtum ante alios om- *Euthym.*
nes lauiſſe pedes Iudæ, vel quòd ille tunc primus diſcumberet in menſa, vel vt eius duritiam cordis Chriſtus tantæ humilitatis ſuæ & charitatis officio emolliret. Petrum autem non omnium primum à Chriſto

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Dixit ei Petrus, Domine, tu mihi lauas pedes. Reſpondit Ieſus & dixit, quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſtea.

50. SI Petrus, vt narrat Lucas cap. 5. ob ſubitam
illam piſcium capturam ſolo Chriſti verbo
factam, tanti ſpectaculo miraculi attonitus,
*Procidit ad genua Ieſu, & dixit, Exi à me, quia homo peccator
ſum, Domine, ſtupor enim circumdederat eum:* quanto ma-
iori eum ſtupore correptum, cùm videret Chriſtum
in terram abiectum, & ad lauandum pedes ſuos pro-
cumbentem, verba hæc pronunciaſſe exiſtimamus?
Sed enim ſingula hæc Petri verba maximam habent
emphaſim, quàm licèt cogitando magis intelligere,
quàm verbis explicare: ſunt itaque ſingulatim expo-
nenda & penſitanda. *Tu* coram quo incuruantur qui *Iob. 9.*
portant orbem, in cuius cõſpectu luna non ſplendet, *Iob. 25.*
nec ſtellæ mundæ ſunt. Si tuam conſiderem nobilita- *Septē Chri-*
tem, tu es Chriſtus filius Dei viui & vnigenitus ma- *ſti excellen-*
nens in ſinu Patris. Si pulchritudinem, tu es ſpecioſus *tiæ.* *Nobilitas.*
forma præ filiis hominum; tu ſplẽdor gloriæ Dei Pa- *Pulchritu-*
tris, & figura ſubſtãtiæ eius, cuius pulchritudinem ſol *do.* *Ioan. 1.*
& luna mirantur. Si potentiam, omnia dedit Pater in *Pſal. 44.*
manu tua, & tu portas omnia verbo virtutis tuæ. Si *Heb. 1.*
maieſtatem, tibi Angelorum millia millium mini- *Potentia.* *Heb. 1.*
ſtrant, & decies millies centena millia ſemper aſſi- *Maieſtas.*
ſtunt. Si antiquitatem, priuſquàm Abraham fieret, tu *Dan. 7.*
es, & claritatem habuiſti apud Deum, priuſquã mun- *Antiquitas.* *Ioann. 8.*
dus fieret; tu es Verbum quod erat in principio apud *Infra 17.* *Ioan. 1.*

Deum, per quod omnia facta ſunt, & ſine quo fa-
Dominatio ctum eſt nihil. Si dominationem & imperium, tu es
& Imperiũ Rex Regum, & dominus dominantium, quem con-
Apoc.19. *Heb.15.* ſtituit Deus hæredem vniuerſorum,& cui dixit,*Poſtu-*
Pſal. 2. *la à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſio-*
Sapientia. *nem tuam terminos terræ.* Si ſapientiam, tu es ſapientia
Dei Patris & in te abſconditi ſunt omnes theſauri ſa-
Coloſſ.1. pientiæ & ſcientiæ Dei.

Gen. 18. *Mihi* homini piſcatori, ignobili, pauperi, idiotæ, 51.
qui ſum puluis & cinis,qui adhuc ſum homo carna-
lis,nec ſapio quæ Dei ſunt, & à quo tu ſcis te turpiter
negatum iri.*Lauas* ſeruile,ideſt,abiectum, ſordidum,
laborioſum mihi præſtas miniſterium.*Pedes*,non ma-
nus, non caput, non aliam quampiam honeſtiorem
corporis partem,ſed pedes,infimam, abiectam & ſor-
didam partem & lauas manibus tuis, iſtis,inquã,ma-
nibus, quibus quinque panes ad cibatum & ſatieta-
tem tot millium hominum multiplicaſti;quibus illu-
minaſti cæcos, mundaſti leproſos, Dæmones expuli-
ſti, mortuos ad vitã reuocaſti. Si Ioannes Baptiſta vir
ſanctiſſimus, & in ipſo matris vtero ſanctificatus, &
Matth.14 *& 15.* quo,ipſius Chriſti teſtimonio, nullus inter natos mu-
lierum maior ſurrexerat,indignum ſe iudicauit,vt vel
ipſam calceamẽtorum Chriſti corrigiam ſolueret:cur
non Petrus indigniſſimũ putaret ſe,cuius pedes Chri-
ſtus lauaret? Venire cum Petro in mentem potuit di-
gnitatis Chriſti excellentia, quam ſæpius Ioannes
Baptiſta teſtificatus fuerat, & Deus Pater cœlitus de-
clarauerat,quia etiam ipſi dæmones confeſſi fuerant.
Matth.17. Venire potuit in mentem gloria maieſtatis, quam in
eius transfiguratione oculis ipſe ſuis aſpexerat:&
multitudo atque magnitudo miraculorum,quæ,ipſo
ſpectante, fuerant ab eo patrata. Venire potuit in
mentem

mentem præſtantia virtutum eius, eximiaque ſancti-
tas in moribus, in ſermonibus, in conuerſatione: ſa-
pientia item in doctrina,& in reſponſis & dictis eius.
Venire etiam potuit in mentem illa cœleſtis Dei Pa- Matthæi
tris reuelatio, qua ipſe illuſtratus confeſſus eum fue- 16.
rat Chriſtum filium Dei viui. Harum, aliarúmque re-
rum ſimilium recordatio & cogitatio efficere potuit,
vt tantopere Petrus lauari ſe à Domino recuſaret.

52. Sequuntur illa verba Chriſti. *Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſtea*, quibus verbis ſignificauit Dominus, illam pedum lotionem non tam eſſe factam propter vſitatam corporis ablutionem in officium humanitatis, quàm propter exemplum humilitatis, & charitatis, & propter myſterium quo ſignificaretur terrenorum affectuum purgatio, qua opus eſt ad dignam & fructuoſam Sacramenti Euchariſtiæ perceptionem. Illud itaque dictum Domini, *ſcies autem poſtea*, referri poteſt ad id, quod ſubiunxit Ioannes narrans, Chriſtum finita lotione pedum, illius facti ſui rationem diſcipulis aperuiſſe, cum dixit eis. *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros, Dominus, & Magiſter; & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt ſicut ego feci vobis, ita & vos faciatis. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.* Vel illud *Scies autem poſtea*, referri poteſt ad tempus poſt miſſionem Spiritus ſancti: tunc enim à Spiritu ſancto docti Apoſtoli, quò ſpectarent omnia Chriſti dicta & facta, perfectè intellexerunt.

DECIMAOCTAVA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vers. 8. *Dicit ei Petrus, Non lauabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Ieſus, ſi non lauero te, non habebis partem mecum.*

PERTINACITER atque obſtinatè recuſabat Petrus lauari ſibi pedes à Chriſto, obtentu videlicet ſuæ humilitatis, & ſublimitatis Chriſti, quaſi eſſet indecens Chriſto id facere. Similes profectò ſunt Petri, qui zelum quidem habent Dei, vt Paulus inquit, ſed non ſecundum ſcientiam; & in quo arbitrantur obſequium ſe præſtare Deo, in eo ipſo vehementer eius voluntati repugnant. In illa porrò ſua recuſatione Petrus quinque peccabat. Primò enim detrectabat & à ſe repellebat, quod ſibi futurum erat admodum vtile: ſicut etiam Paulus rogauit ter Dominum, vt auferret ſibi ſtimulum carnis, qui tamen ei ad cuſtodiendam mentis humilitatem proderat plurimũ. Deinde, volebat Petrus quodamodo corrigere cõſilium & propoſitum Chriſti, quaſi lotio illa pedũ indecens eſſet tam ſibi quàm ipſi Chriſto, & quaſi Chriſtus neſciret, quid quid ſe aut deceret, aut non deceret. Ad hæc, putabat Petrus placere Deo humilitatem, etiamſi repugnaret eius voluntati & obedientiæ. Præterea, temere Petrus aſſeuerabat, numquam ſe paſſurum lauari ſibi pedes à Chriſto, neſciens an fortè id ſibi eſſet à Chriſto iubendum. Poſtremò, ſignificabat iſto ſuo reſponſo Petrus ſe mundum eſſe, nec vlla indigere lotione. 53.

Quinque peccabat Petrus recuſans lauari ſibi pedes à Chriſto.

2. ad Corinth. 12.

Errorem Petri corrigere volens Dominus, dixit ei: 54.

ſi non lauero te, non habebis partem mecum: ſed explicandum eſt quid ſignificet iſtud: *non habebis partem mecum*. Tripliciter id poſſumus interpretari. Vel, Excluderis conſuetudine, conuictu, ſocietate, & diſcipulatu meo. Vel, Non eris mecum cohæres regni cœleſtis, æternæque fœlicitatis. Vel, Non poteris dignè percipere Sacramentum corporis & ſanguinis mei, quod mox à me inſtituendum, & vobis exhibendum eſt. Ex his autem Chriſti verbis S. Bernardus in ſermone, *S. Bernardus.* quem reliquit ſcriptũ de Cœna Domini & Ablutione pedum, argumentatur illam lotionem pedum præcipuè factam eſſe propter myſterium, ſignificans ſpiritualem hominis purgationem; illa namque lotio, vt erat corporalis, non erat adeò neceſſaria, vt ſine ea comparari æterna vita non poſſet.

55. Ceterùm, hoc loco declarandum eſt, quomodo illa lotio pedum ita Petro fuerit neceſſaria, vt ſi eam accipere omnino recuſaſſet, non fuiſſet habiturus partem cum Chriſto. Sciendum itaque eſt, tria eſſe *Tria genera eorum quæ præcipiuntur homini à Deo.* genera eorum quæ præcipiuntur homini à Deo. Quædam ſunt bona, vt ſunt præcepta Decalogi, & præcepta colendarum virtutum. Alia ſunt mala, ſed eo ipſo quòd præcipiuntur à Deo, exuunt omnem prauitatem & fiunt bona; huiuſmodi fuit immolatio *Gen. 22.* Iſaac, & ſpolatio Ægyptiorum ab Hebræis iuſſu Dei *Exodi 12.* facta. Sunt etiam nonnulla per ſe indifferentia ad bonum & ad malum, & ex præcepto Dei fiunt bona, fitque neceſſaria eorum obſeruatio; huius generis fuerunt ceremoniæ legales, quas continebat lex Moyſis. In hoc 3. genere ponenda eſt lotio illa pedum, prout erat corporalis quædam ablutio: ea quippe per ſe nec mala erat, nec bona moraliter; ſed quia Chriſtus abſolutè volebat lauari tunc à ſe pedes diſci-

pulorum, ideo Petrus grauiſſimè peccaſſet, ſi eam lotionem omnino & perſeueranter recuſaſſet: ſcriptum enim eſt in primo libro Regum cap. 15. *Melior eſt obedientia quàm victimæ, & auſcultare, magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.*

Locus 1. Regũ cap. 15.

Si autem Chriſtus iſta verba dixit de ſpirituali lotione, quæ eſt purgatio à vitiis, & ab immundis & prauis affectibus, quam illa lotio corporalis adumbrabat; ſine dubio eiuſmodi lotio ſimpliciter erat neceſſaria; nam nec quiſquam lauari à vitiis poteſt niſi per Chriſtum, nec ab eo non lotus poteſt quiſquam intrare Regnum Dei, in quod ſcilicet nihil, vt idem ipſe Ioannes ante ſcripſerat in Apocalypſi capit. 21. coinquinatum introibit. Quòd ſi ea lotio conſideretur, prout præfigurabat mundationem animi quæ eſt præparatio eius ad dignam Euchariſtiæ perceptionem, ſic eiuſmodi lotio à peccato mortali, erat ſimpliciter neceſſaria; & à peccato etiam veniali, neceſſaria erat, quò dignior & fructuoſior fieret eius Sacramenti perceptio. 56.

DECIMANONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vers. 9. *Dicit ei Simon Petrus, Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput.*

CONSIDERET lector quantopere horruerit Petrus ſeparari ſe à Chriſto; audita enim comminatione diuortij à Chriſto, niſi lauari ſe ab eo pateretur; confeſtim ſe totum eius voluntati permi- 57.

permiſit & dedidit. Hinc etiam nos diſcamus, nequaquã perſiſtere in eo quod deliberauimus, vel aſſeuerauimus, ſic perniciosũm id nobis eſſe, nec Deo gratum cognouerimus. Illud quoque hinc diſcendum nobis eſt, licet cõſcij noſtræ vilitatis & præteritorum noſtrorum peccatorum indignos nos iudicare debeamus perceptione Sacramenti Euchariſtiæ; quia tamen Dominus dixit. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: ſi nullius nos præſentis peccati accuſet conſcientia, Dei gratia, confiſi, alacriter ad eius Sacramenti participationem accedamus. *Ioan. 6.*

58. Supradictis porrò verbis Petri myſticè interpretatis ſignificatur omnis animæ noſtræ munditia, vt bene annotauit S. Thomas, quæ conſiſtit in munditia capitis, id eſt, intentionis; & in munditia pedum, ideſt, affectuum ſenſualitatis circa res terrenas; & in munditia manuum, ideſt, operum. Vel caput animæ eſt ratio ſuperior per quam adhæret Deo & contemplationi rerum ſupernarum: Manus, eſt ratio inferior per quam anima vacat vitæ actiuæ: pedes, ſunt affectus ſenſualitatis, qui ſenſibilibus ac terrenis in rebus verſantur. Et huc applicari poſſet quod eſt apud Hieremiam Threnorum cap. 1. *Sordes Hieruſalem in pedibus eius*. Et quod dixit Dauid, *Via hæc, in qua gradimur, polluta eſt*: id verè licet dicere de noſtra conuerſatione terrena, ea quippe vitiis, immundiſque affectibus & cupiditatibus obnoxia eſt.

Quid ſit in anima noſtra caput, manus, & pedes.
S. Thomas.
Locus Hieremiæ.
Achimelechi.
lib. 1. Regũ cap. 21.

VIGESIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vers. 10. *Dicit ei Ieſus, Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.*

ALLEGORICA eſt hæc Domini ſententia, 59.
ab iis ducta qui recens in balneis vel alibi
loti ſunt, & cùm poſtea reuertuntur do-
mum, non alia egent lotione niſi pedum, ſi
eos fortè in puluerulento & ſordido itinere inquina-
runt. His autem Domini verbis adductus eſt B. Am-
broſius ad credendum, & ſcribendum in libro de
Myſteriis capit. 6. ſicut per baptiſmum tolluntur pec-
cata hominis propria, & quæ vocantur actualia; ita
per lotionem pedum tolli peccatum originale; non
ſanè quantum ad maculam & reatum: hæc enim pe-
nitus tollit baptiſmus, ſed quantum ad effectum eius,
qui eſt rebellio concupiſcentiæ aduerſus mentem, ad
cuius concupiſcentiæ mitigationem & repreſſionem
confert huiuſmodi lotio pedum. Idem quoque Am-
broſius in lib. 3. de Sacramentis ſignificat huiuſmodi
lotionem pedum valere in ſubſidium aduerſus con-
cupiſcentiam & tentationes Diaboli. Quapropter in
eius Eccleſia mos erat omnium baptizatorum lauari
pedes: licet ipſe fateatur, in Eccleſia Romana, cuius
ipſe libenter in omnibus formam ſequebatur, id non
ſeruari; vel propter multitudinem baptizatorum, vel
quòd exiſtimaret, hoc genus corporalis ablutionis
non petinere ad myſterium ſanctificationis, ſed ad
officium hoſpitalitatis, vel ad exemplum humilitatis.

Mirabilis Ambroſ. & Bernardi ſententia de virtute lotionis pedũ.

Sanctus Bernardus in ſermone de Cœna Domini 60.

S. Bernardus.

& ablutione pedum, huiuſmodi lotionem pedum appellat nomine ſacramenti, & putat valere ad remiſſionem peccatorũ venialium, quæ cõtrahuntur ex conuerſatione noſtra terrena, nec in totum vitari poſſunt. At enim Ambroſij & Bernardi ſententia, non videtur probabilis. Corporalis enim lotio pedum non habet vim vel tollendi peccata, vel in hominis anima producendi ſpiritualem aliquem effectum; non inquam habet iſtam vim, nec ſua natura, cum ſit quid materiale ac corporale; neque ex inſtitutione Chriſti, ſed ſicut habent ſacramenta legis nouæ. S. Cyprianus in ſermone de lotione pedum ait, ad purganda hominum peccata, duo fuiſſe à Chriſto inſtituta lauacra; alterum quidem, ad purganda peccata quæ ante Baptiſmum ſunt admiſſa, & hoc eſſe ſacramentum baptiſmi, quod ſemel accipitur, neq; eſt iterabile. Alterum verò eſſe lauacrum ad purgnandum peccata poſt baptiſmum facta, quod eſt Sacramentum Pœnitentiæ, quod ſæpius iterari poteſt, & hoc myſticè per illã pedum lotionem ſignificatum eſt. Sed hoc Cypriani dictum cum ſupradictis Domini verbis haudquaquam congruit. Dixit enim Dominus: *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus*. De eo autem qui eget ſacramento pœnitentiæ, & ad ipſum accipiendum accedit, verè dici non poteſt, ipſum iam eſſe lotum, & totum eſſe mundum, cùm idcirco ad illud ſacramentum accedat vt mundetur à peccatis mortalibus, quæ hominem verè ac ſimpliciter faciunt immundum, & propter quorum remiſſionem præcipuè ſacramentum pœnitentiæ fuit inſtitutum.

Confutatio ſupradictæ ſententiæ.

S. Cyprian.

61. Congruentius itaque fuerit & verbis Domini, & illius lotionis myſterio quo ſignificabatur purgatio animi neceſſaria ad dignè percipiendam Euchariſtiã,

ſi dicamus, Chriſtum ſupradictis verbis myſticè ſignificare voluiſſe magnam quandam præparationẽ animi, magnámque mũditiam quæ requiritur ad dignam Euchariſtiæ perceptionem, magis quàm ad perceptionem aliorum ſacramentorum. Illa porro pedum lotio myſticè ſignificabat purgationẽ animi à triplici affectu vitioſo qui ex humana & terrena cõuerſatione ſolet homini accidere, & qui valdè impedit dignã & fructuoſam Euchariſtiæ perceptionẽ, triplicem dico affectum animi vitioſum, ſuperbię, amoris carnalis, & maleuolentiæ ac diſcordiæ. In corporali autem pedum lotione, is qui lauat alij pedes, & humiliatur declinando corpus ſuum deorſum, & flectendo genua; & carnem ſuam deprimit ac fatigat cum labore lauando pedes, & ſuam erga illum cui pedes lauat beneuolentiam declarat.

Purgatio animi à triplici affectu vitioſo, quæ eſt optima præparatio hominis ad dignè percipiendam Euchariſtiam.

VIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 10. *Et vos mundi eſtis, ſed non omnes.*

HIs verbis Chryſoſtomus & Euthymius adiũdunt illa verba: *Propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* quæ verba dixit poſtea Chriſtus in ſermone quem habuit poſt cœnã, & ſcripta ſunt infra ca. 15. Ex his porro verbis quæ dixit Apoſtolis Dominus, *Vos mundi eſtis*, bene argumentatur Beatus Auguſtinus in Epiſtola ad Seleucianũ, Apoſtolos iam tum fuiſſe mundatos per baptiſmum Chriſti. nam baptiſmus Ioannis Baptiſtæ munditiam animi ſpiritualem minimè cõferebat. Si enim Apoſtoli baptizabãt alios Baptiſ-

62.

Auguſtin.

Baptiſmo Chriſti, & ipſi in hac vltima cœna ſunt ab eo conſecrati Sacerdotes, decebat profectò eos fuiſſe antè baptizatos: ſed hac de re copioſiùs diſſeruimus ſupra initio 4. capitis huius Euangelij.

63. Quærit hoc loco Chryſoſtomus, Quomodo Apoſtoli dicantur fuiſſe tunc mundi, cùm nondum Chriſtus, qui eſt Agnus Dei tollens peccata mundi, fuiſſet in cruce immolatus; per ſolam enim paſſionem & mortem eius mundantur peccata. Reſpondet ipſe Apoſtolos fuiſſe tunc mundos, non tanquam à peccatis purgatos, ſed tanquam ab erroribus & ſuperſtitionibus Iudaicæ doctrinæ per Chriſti doctrinam liberatos: & ideo ſubiunxit Chriſtus, *propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* At enim, nequaquam dubitandum eſt quin ante paſſionem & mortem Chriſti non ſolùm Apoſtoli, ſed omnes etiam viri iuſti & ſancti, qui fuere in Veteri Teſtamento, mundati fuerint à peccatis, per virtutem futuræ mortis Chriſti. Mors enim Chriſti & futura, & præſens, & præterita virtutem habuit operandi remiſſionem peccatorum & ſanctificationem in omnibus iuſtis qui fuerunt vſque ab initio mundi. Propterea enim, ſecundum interpretationem plurium Doctorum, in Apocalypſi cap. 13. dicitur Chriſtus Agnus occiſus ab origine mundi, quod virtus futuræ mortis eius vſque ab ipſo mundi exordio operari cœperit ſalutem hominum. Quod autem his verbis, *vos mundi eſtis*, locutus ſit Dominus de munditia à peccato, ſatis indicat illud quod proximè adiecit, *ſed non omnes*, denotans videlicet Iudam, quem conſtat dici à Chriſto immundum, non propter errorem doctrinæ Iudaicæ, ſed propter animi prauitatem & malitiam.

Diſcutitur ſententia Chryſoſt. de mũditia Agni quã habuerunt Apoſtoli ante paſſionẽ Domini.

Ioannis 1.

64. Cæterùm Beatus Auguſtinus in Tractatu 80. in

Ioannem tractans hæc verba: *Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis:* docet virtutem baptiſmi qua mundantur peccata, principaliter eſſe in verbis à Chriſto inſtitutis quæ dicuntur in baptizando, & aquam eſſe tanquam materiam baptiſmi, verba autem tanquam formam. Sic autem ſcribit Auguſtinus: Quare non dixit, Vos mundi eſtis, ſed inquit: *Vos mũdi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis:* niſi quia & in aqua verbum Chriſti eſt quod mundat? detrahe verbum, quid eſt aqua, niſi aqua; accedit ad elementum, & fit ſacramentum. Vnde iſta tanta virtus aquæ vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? eſt igitur aqua inſtar materiæ, verbum autem inſtar formæ. Sic Auguſtinus. Sequuntur illa verba: *Sed non omnes, ſciebat enim quis eſſet qui traderet eum, propterea dixit, non eſtis mundi omnes.* Duas ob cauſas, vt nũc alias taceam, Iudas mundus non erat: Diuina enim Scriptura docet, duabus rebus mundari peccata hominum, eleemoſyna & dilectione. De eleemoſyna Daniel dixit, legi Nabuchodonoſor, *Conſilium meum placeat tibi; peccata tua elemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum,* & Tobias dixit, *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* De dilectione autem Salomon dixit *Vniuerſa delicta operit charitas:* & apud Lucam c. 7. de muliere peccatrice dixit Dominus. *Dimittuntur ei peccata multa quia dilexit multum.* Iudas porro neutrum habebat: tantum enim aberat vt ipſe faceret eleemoſynam; vt quæ tradebant ei ad eleemoſynas pauperũ, furaretur & ſibi vendicaret, peſſimo auaritiæ morbo tabeſcens. Nec Deum diligebat, cuius vnigenitum filium, exigui lucri auiditate, tam impiè vendidit Iudæis ad necem.

In quo principaliter ſit virtus Baptiſmi ſecũdum Auguſtinum.

Cur Iudas non fuerit mundus.

Hominum peccata mũdari per eleemoſynã & dilectionẽ.

Daniel 4.

Tobiæ 4.

Prou. 10.

Lucæ 7.

VIGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Vers. 15.*

66. QVADRVPLEX fuit omnium Chriſti actionũ finis & fructus, glorificatio Dei, glorificatio ipſius Chriſti vt homo erat, redemptio humani generis, & inſtructio hominis per ſuam & doctrinam & exemplum vitæ quantum ad ea quæ credenda ei & agenda erat. His autem verbis voluit Dominus exemplo ſuo diſcipulos hortari, vt & ipſi alij aliorum pedes lauarent: fuit autem perquàm efficax hæc exhortatio, quoniam ipſe tãto maior illis nõ erat dedignatus lauare pedes eorum, & quia pedes lauerat non ſolùm amicis, ſed etiam inimicis, ipſi videlicet Iudæ proditori, & quia laborioſum, vile ac ſordidum & planè ſeruile miniſterium eis exhibuerat. Debemus autem nos alij aliis pedes lauare tum corporaliter tum ſpiritualiter. Corporaliter autem lauantur pedes vel in exercitium humilitatis, per lotionem enim pedum ſignificantur officia & miniſteria laborioſa & abiecta, quæ pro vtilitate Proximi, ſi res exigat, non ſunt detrectãda. In 1. li. Reg. c. 25. legimus, memorabilem illam fœminam Abigail, nuntiantibus ei ſeruis Dauidis, ipſam expeti à Dauide in vxorem, reſpondiſſe. *Ecce famula tua, ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum Domini mei.* Fit etiam lotio pedum in exercitium hoſpitalitatis & charitatis, ob quod in Scriptura laudatur Abraham, & Loth, vt legitur Geneſis cap. 18. & 19. ad Hebræos 13. Erat quoque in primæua Chri-

Quadruplex finis ſiue fructus actionum & paſſionis Chriſti.

ſti Eccleſia huiuſmodi lotio pedum vſitatiſſima: ex hac nempe volebat Paulus cognoſci Chriſtianæ viduæ probitatem, & pietatem, ſi ſanctorum pedes lauiſſet.

1. ad Timoth. 5.

Quadruplex modus lauādi ſpiritualiter pedes proximi.

67. Lauare porro ſpiritualiter pedes proximi, eſt ſtudere atq; operam nauare, vt purgetur à peccatis in quibus eſt, & ad gratiam Dei redeat. Hoc autem fit quadrupliciter. Primò, authoritate & virtute clauium Eccleſiæ, remittendo ei peccata, ſicut in ſacramento pœnitentiæ faciunt ſacerdotes, ſecundum illud Domini dictum, Ioannis cap. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Deinde, per fraternam reconciliationem, remittendo & condonando iniurias & offenſas à Proximo nobis factas, ſecundum illud Pauli ad Coloſſ. cap. 3. *Donantes vobiſmet ipſis, ſi quis aduerſum aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* Ad hæc, orando Deum pro cōuerſione peccatoris, vt ei Deus remittat peccata, & donet gratiam ſuam qua iuſtificetur coram ipſo, ſecundum illud Iacobi cap. 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Nam vt mox ſubiungit idem Apoſtolus. *Multum valet deprecatio iuſti aſſidua.* Præterea, per exhortationem, vel per correctionem reuocando à peccatis, ſecundum illud Iacobi Cap. 5. *Si quis conuerti fecerit fratrem ſuum ab errore viæ ſuæ, ſaluam faciet animam eius à morte:* & ſecundum illud Domini dictum, quod eſt apud Matthæum cap. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Chriſtianæ igitur pietatis & charitatis eſt ſordes Proximi, quæ ſunt peccata, non detegere, ſed detergere; non exprobrare, ſed lauare ac mundare, non in odium, ſed in commiſerationem accipere.

68. Quod ſi tantum ſtudij & operæ à nobis requirit Deus,

Deus, vt lauemus Proximi ſordes, quantum exiget à nobis vt noſtrorum ipſi peccatorum ſordes mundemus? *Miſerere animæ tuæ*, inquit Sapiens, *placens Deo.* *Eccleſiaſtici cap.30.*
nam cui ſuæ non diſplicent ſordes, nequaquam is ad lauandas proximi ſordes, ſe ipſum abiiciet: & dicetur ei, *Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui.* Hæc autem ſpiri- *Matth.7.*
tualis lotio pedum continens officium & exercitium humilitatis & charitatis & fraternæ reconciliationis, maximè idonea eſt hominis præparatio ad dignè & fructuosè percipiendum Euchariſtiæ ſacramẽtum, in quo nempe incomparabilis Chriſti Domini humilitas & erga homines charitas mirabiliter elucet. Nec vacat myſterio, quod hoc loco ſcribit Ioannes, Chriſtum poſt lotionem pedum reſumpſiſſe veſtimenta ſua, & recubuiſſe. Chriſtus enim in cruce per ſanguinem & mortem ſuam lauit ſordes peccatorum noſtrorum, & poſt, corpus quod depoſuerat in ſepulchro, non quidem à diuinitate ſeparatum, ſed in illo triduo ſeiunctum ab anima, reſumpſit prorſus impaſſibile & glorioſum, & ipſe ad dexteram Dei patris reſedit.

QVINDECIM DISPVTATIONES SVPER IVDA PRODITORE DOMINI.

Super illis verbis:

Cùm Diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes. Vers.1.

69. HACTENVS duabus & viginti diſputationibus explicata eſt à nobis hiſtoria quam in hoc decimotertio capite B. Ioannes ſcri-

pſit de lotione, qua Chriſtus pedes lauit ſuorum diſcipulorum. Nunc reuertendum nobis eſt ad illa verba, quæ initio huius capitis ſcripſit Ioannes de Iuda proditore Domini: *Cum Diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes.* ſuper quibus verbis copioſè & curioſè diſputandũ à nobis eſt ſuper iſto Iuda: nam inter ea quæ de illo ſancti Euangeliſtæ prodiderunt, ſunt nonnulla quæ diligentẽ depoſcunt explanationẽ, & digna profectò ſunt quæ à ſtudioſis ſacrarum litterarum exploratè percepta, planéque cognita habeâtur. Ac nos quidẽ ſupra tres de Iuda quæſtiones tractauimus: earum vna fuit: An reuera Iudas electus à Chriſto fuerit ad Apoſtolatũ, nam id quidam negarunt, & videntur ſuper ea re in hoc Euangelio contraria in ſpeciem ſcribi. Altera quæſtio fuit, An Iudas cum eſt à Chriſto vocatus ad Apoſtolatum, eſſet vir bonus, an verò etiã tum eſſet malus, ſemperque fuerit malus. Tertia quæſtio fuit, cur Dominus ſciẽs Iudã eſſe hominem auarum & furacem, dederit ei curam ſeruandæ & diſpenſandæ pecuniæ, quæ in vſum eius & diſcipulorum à piis viris & fœminis deferebatur. Harum quæſtionum duas primas nos in priori tomo noſtrarum diſputationum in hoc Euangelium tractauimus ſuper caput ſextum huius Euangelij: tertiam verò quæſtionem in hoc 2. tomo ſupra tractauimus ſuper caput duodecimũ. Nunc autem quindecim alias ſuper hoc Iuda diſputationes tractare inſtituimus, in quibus explicabimus & quæ difficultatem aliquam habent ad intelligendum, & quæ digniora cognitu viſa nobis ſunt.

VIGE

VIGESIMATERTIA DISPVTATIO.

De Iudæ appellatione, qua dictus à B. Ioanne eſt Iudas Simonis Iſcariotes.

70. IN hac Iudæ appellatione tria vocabula breuiter declaranda ſunt, Iudas, & Simonis, & Iſcariotes. Duo fuere in collegio Apoſtolorum quibus nomen fuit Iudæ; Alter fuit *Nomen Iudæ.* bonus, & Iacobi Apoſtoli frater, & alio nomine appellatur Thaddæus, cuius breuis extat epiſtola quæ eſt in canone ſacrorum voluminum: Alter fuit hic de quo verba facimus, Iudas, peſſimus & Domini proditor; Vox Iudas ſignificat confeſſionem, quod nonnullam habet myſterij rationem; nam vt Origenes in Tractatu 35. in Matthæum, & Chryſoſtomus *Origenes. Chryſoſtomus.* in homilia de proditione Iudæ ſcripſerunt, duo ſunt in populo Chriſtiano genera hominum confitentium Chriſtum: Aliorum quidem & verbis & factis verè ac dignè ipſum confitentium, quorum typus fuit bonus ille Iudas Apoſtolus: Aliorum verò verbis quidem confitentium Chriſtum, factis verò negantium; quin etiam vel auaritiæ, vel ambitionis, vel carnalis voluptatis cauſa, ſi non ipſum Chriſtum, certè gratiam eius, viliſſimo pretio bonorum temporalium breuiúmque voluptatum quodammodo vendentium. Alterum nomen erat Simonis: dicebatur enim *Nomen Simonis.* Iudas Simonis, quòd pater eius diceretur Simon. Nomen autem Simonis ſignificat filium obedientiæ, & ipſe Iudas à principio cùm eſt à Chriſto vocatus ad Apoſtolatum, fuit vir bonus, & filius obedientiæ Chriſti; ſed poſtea factus eſt ſua malitia filius obedientiæ

Diaboli;prorſus adeo, vt Ioannes in hoc 13. cap. ſcribat,Satanam introiuiſſe in Iudam; & ipſe Dominus ſuprà capit. 6. eum appellauit diabolum, cùm dixit Apoſtolis: *Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt? dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem, que erat traditurus eum, cùm eſſet vnus ex duodecim.*

Nomen Iſcariotes. Tertium nomen quo Iudas appellabatur, fuit Iſcariotes, ductum ſcilicet ab eius patria quæ vocabatur 71.
Iudas ſecundum Hieronymum & Cyrillũ fuit ea tribu Ephraim. Iſcariot: ſanctus enim Hieronymus & Cyrillus ſuper Iſaiæ cap. 28. aiunt, fuiſſe Iudam ex tribu Ephraim, & ex vico ſeu vrbe Iſcariot. Hæc autem vox, ſi ſcribatur ſine aſpiratione, ſecundum nonnullos, ſignificat filium occiſionis ſiue mortis; quod bene profectò quadrat in Iudam, *Matthæi 27.* qui & Chriſtum Iudæis tradidit ad mortem, & poſtea eius facti pœnitens, corporalem ipſe ſibi mortem conſciuit, æternámque mortem comparauit: quapropter eum Dominus appellauit filium perditionis, nam vt infrà capit. 17. ſcriptum eſt, Chriſtus orans patrem dixit. *Quos dediſti mihi, cuſtodiui: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis*, de hac porrò *B. Hieronymus.* voce Iſcarioth B. Hieronymus in lib. de nominibus hebraicis ita ſcribit: Hæc vox ſignificat memoriale Dei; quòd ſi eam vocem ità legere velimus vt quidam legunt, Iſacarioth, ſignificatur ea voce merces, quaſi præſignificaretur eo vocabulo nefaria merces, qua *Math. 27.* Iudas vendidit Chriſtum Iudæis. Poteſt etiam ſignificari eo nomine memoria mortis; nec ſanè fieri poteſt, quin cùm vel audimus, vel ipſi recordamur nomen Iudæ, non ſimul etiam ſubeat animum noſtrum recordatio paſſionis & mortis Chriſti. Hæc Hieronymus.

VIGESI

VIGESIMAQVARTA DISPVTATIO.

Cur Iudas Chriſtum prodiderit Iudæis.

72. CERTVM eſt, Iudam execranda pecuniæ cupiditate obcæcatum prodidiſſe Dominum Iudæis:is enim effuſi vnguenti pretium quod ſibi periiſſe dolebat, vẽditione Domini, aliqua ex parte compenſare voluit. Mirabitur fortaſſe quiſpiam quomodo Iudas adduci potuerit, vt Chriſtum, quem tot & tanta miracula facientem viderat, tam impiè atque crudeliter proderet ac venderet Iudæis. Sed B. Hieronymus hanc tollit admiratiõnẽ. Is enim explanans illa verba quæ ſunt apud Matthæum cap. 26. *Qui autem tradidit eum: dedit ei ſignum, &c.* ita ſcribit, Miſer Iudas, nec tamen miſerandus, eadem infidelitate qua Dominum prodidit, putabat, ſigna quæ Saluatorem viderat faciẽtem, non maieſtate diuina, ſed magicis artibus eſſe facta. Sic Hieronymus; Iudas itaque ſequebatur errorem, vel malitiam potiùs illorum Iudæorum, qui miracula Chriſti malignè calumniantes dicebant *in Belzebuth eijcit dæmonia.*

Notabilis ſententia Hieronymi quàm malè Iudas ſenſerit de miraculis Chriſti.

Lucæ 11.

73. Veriſimile eſt, Iudam cauſas aliquas in ſpeciem honeſtas & probabiles Iudæis prætexuiſſe proditioni Chriſti: & fortaſſe has quinque cauſas iactabat in vulgus, & apud Iudæos Chriſti obtrectatores: Quòd ille ſibi honorem diuinum arrogaret, æqualem ſe faciens Deo: Quòd Sabbathum non cuſtodiret, & legem Moyſis contemneret: Quòd ſeniorum traditiones paruipenderet: Quòd cum peccatoribus & publicanis palam epularetur & familiariter conuerſaretur: Quòd ſe nimis delicatè tractaret, & paſſus eſſet vn-

Quinque cauſa, quas veriſimile eſt Iudam prætexuiſſe proditioni Chriſti.

Ioan. 12. guento pretioſiſſimo ſibi à muliere vngi caput & pedes.

Inſania eorum qui dixerunt, Iudam de proditione Chriſti eſſe laudandum.

Tertullianus.

Epiphanius.

Irenæus.

Non defuere olim homines adeò inſani, vt affirmarent, Iudam de proditione Chriſti non modò non eſſe reprehendendum, ſed etiam maximè laudandum, eíque gratias eſſe agendas, vt ſcribunt Tertullianus in libro de Præſcript. aduerſus Hæreticos, & Epiphanius contra hæreſim 38. & Irenæus in fine libri primi aduerſus hæreſes. Dicebant etiam illi, Iudam non odio Chriſti, nec pecuniæ cupiditate prodidiſſe ipſum, ſed amore ſalutis humani generis, quod non aliter quàm per Chriſti mortẽ ſaluari poſſe ſciebat; nec Chriſtum poſſe ad mortem adigi niſi per ipſum, quod ſic ab æterno decretum eſſet à Deo, & in ſacris Scripturis prædictum. Quam inſaniam ſuperuacaneum fuerit hoc loco refutare, cùm apertè nos doceat hiſtoria Euangelica, Iudam pro pecunia tradidiſſe Chriſtum Iudæis, eúmque mox tanti ſceleris ſui pœnitentem, turpiſſimam ſibi mortem conſciuiſſe: de quo etiam Dominus dixit: *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur! bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille.* 74.

Matthæi 26. & 27.

Duæ quæſtiones.

Locus Pauli ad Rom. cap. 8.

Locus Actorum cap. 2. & 4.

Ceterùm, duæ quæſtiunculæ hoc loco fieri poſſunt: & vna ſit hæc, ſi Iudas tantopere peccauit tradendo Chriſtum morti, quomodo in ſcriptura dicitur Deus Pater tradidiſſe Chriſtum morti? Pauli enim in capite octauo Epiſt. ad Romanos hæc ſunt verba: *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Altera quæſtio eſt, ſi quæ fecerunt Iudæi aduerſus Chriſtum, fuere ſceleratiſſ. & impia & execranda; quomodo in libro de Actis Apoſtolorum cap. 2. & 4. ea dicuntur fuiſſe Dei manu & conſilio definita & decreta, vt fierent? Ad priorem quæſtionem 75.

ſtionem reſpondendum eſt, vitam Chriſti fuiſſe in arbitrio & poteſtate Dei Patris, qui erat effector & dominus eius; quocirca iuſte potuiſſe morti eam tradere, præſertim autem pro tanto bono, quantum erat redemptio generis humani: non erat autem Chriſti vita in poteſtate Iudæ nec Iudæorum, & ideo maximum fuit eorum crimen qui mortem Chriſto intulerunt. Dicitur autem Deus Pater tradidiſſe Chriſtum morti, quòd eam ipſi à Iudæis comparatam, cùm facillimè poſſet arcere, & ab eo auertere, voluit tamen vt non ſolùm eam non declinaret, ſed etiam libenter & vltrò ſubiret. Ad poſteriorem Quæſtionem reſpondendum eſt, mortē, quam Iudæi Chriſto intulerunt, dupliciter poſſe cõſiderari, vel vt erat malũ culpæ, reſpectu Iudæorũ, qui eam intulerunt, vel vt erat malũ pœnæ, reſpectu Chriſti qui eam paſſus eſt. Deus itaque mortem Chriſti, vt erat malum culpæ, non voluit, imò deteſtatus eſt, & propter eam grauiſſimè puniuit Iudæos: vt autem erat malum pœnæ voluit Deus eam ſuſcipi à Chriſto, & decreuit per eius mortis perpeſſionem redimere ac ſaluum facere genus humanum. Definitæ ſunt etiam à Deo paſſiones Chriſti quantum ad locum in quo factæ ſunt, quantum ad tempus quando factæ ſunt, quantum ad modum & menſuram & ordinem quo factæ ſunt. Legenda ſuper hac re ſunt quæ ſcripſit Auguſtinus Tract. 7. in Epiſtolam Ioannis, & ſuper Pſalm. 93. & Leo Papa in ſermone 16. de Paſſione Domini, & Magiſter in lib. 3. ſententiarum Diſtinct. 20. & quæ ſuper ea Diſtinctione diſputat ſanctus Bonauentura.

Solutio quæſtionum.

Quomodo dicitur Deus Pater tradidiſſe Chriſtũ Morti.

Auguſtinus. Leo. Magiſter Sent. S. Bonauentura.

VIGESIMAQVINTA DISPVTATIO.

Quando Iudas prodidit Chriſtum Iudæis, An ſex diebus ante Paſcha, an verò tantùm biduo.

QVONIAM Matthæus cap. 26. poſt narra- 76.
tam cœnam à Domino factam Bethaniæ; & vnctionem Domini quæ acta eſt in illa cœna, ſubdit proditionem Iudæ, ſcribens, *Tunc abiit Iudas, &c.* illam verò cœnam & vnctionem eſſe factam ſex diebus ante Paſcha, manifeſtum eſt ex his quæ ſuprà Ioannes ſcripſit initio cap. 12. idcirco quidam putarunt, proditionem Chriſti eſſe à Iuda factam ſexto die ante Paſcha, qui dies in illo anno fuit dies Sabbathi: nam Paſcha tunc incidit in veſperam diei Iouis, vt ſuprà oſtenſum à nobis eſt. Sed quia communis eſt Doctorum ſententia, proditionem Chriſti eſſe factam à Iuda biduo ante Paſcha, propterea dicendum eſt, illud quod Matthæus poſt narratam cœnam & vnctionem ſubiunxit. *Tunc abiit Iudas &c.* exponens proditionem Chriſti, non debere continuari cum eo quod proximè ſcriptum fuerat de cœna & vnctione, ſed cum illis Domini verbis, quæ Matthæus refert initio illius cap. 26. *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur. Tunc congregati ſunt Principes ſacerdotum & ſeniores populi: & concilium fecerunt vt Ieſum dolo tenerent & occiderent.* Cum his, inquam, verbis continuari debet quod Matthæus poſt interpoſitam narrationem cœnæ & vnctionis ſcripſit de proditione Iudæ. Nam intelligens Iudas eſſe tunc congregatos principes ſacerdotum vt conſultarent

Digitized by Google

rent de modo capiendi & occidendi Chriſtum, optimam ſe tunc opportunitatem habere arbitratus eſt prodendi Chriſtum illis: adiit itaque Iudas ad illud concilium ſacerdotum, & pacta mercede promiſit traditurum ſe illis Chriſtum. Sed quiſpiam fortaſſe quærat, cur Matthæus commemorare voluerit proditionem Iudæ poſt narrationem cœnæ & vnctionis, quaſi tunc factam, cum quatriduo poſt facta fuerit. Reſpondendum eſt, Matthæum id feciſſe, vt indicaret cauſam quæ impulit Iudam ad prodendum Iudæis Chriſtum: ea verò cauſa fuit, quòd Iudas vehementer dolens illius vnguenti effuſi lucrum à ſe ſperatum periiſſe ſibi inſana pecuniæ cupiditate ardens, voluit id mercede venditionis Chriſti compenſare.

77. Biduo igitur ante Paſcha Chriſtus à Iuda venditus eſt Iudæis: ſed quiſnam fuit Hebdomadæ dies ille in quo venditus eſt Chriſtus? quidam opinantur fuiſſe diem Martis, in cuius veſpera Chriſtus ſit à Iuda proditus; à veſpera enim diei Martis vſque ad veſperam diei Iouis in qua Chriſtus egit Paſcha, biduum interfluxit. At enim probabilius eſt, Chriſtum à Iuda eſſe venditum Iudæis in die Mercurij mane: cui opinationi non paruam illud fidem aſtruit, quòd ab memoriam venditionis Chriſti, & deliberationis Iudæorum in illo ſuo concilio de occidendo Chriſto, ſolebat olim Eccleſia ieiunare in feria quarta, & in memoriam paſſionis & mortis eius etiam in feria ſexta, quemadmodum teſtatur Sanctus Auguſtinus in epiſtola quam ſcripſit ad Caſulanum.

Dies venditionis Chriſti an fuerit Martis an Mercurij.

Cauſa cur olim Eccle. ieiunare ſoleret in quarta & ſexta feria. S. Auguſtinus epi. 86.

VIGESIMASEXTA DISPVTATIO.

De mercede & pretio, quo Iudas Dominum vendidit Iudæis.

Quanti pōderis & pretij fuerit Argenteus.

MATTHAEVS cap. 26. indicauit, pretium & 78.
mercedem venditionis Chriſti fuiſſe triginta argenteos, ita ſcribens: *Tunc abiit vnus de duodecim qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad principes ſacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.* Argenteus eiuſdē pōderis & pretij erat, atque is qui ab Hebræis appellabatur *Secel*, genus quoddam nūmiſmatis pendens ſemunciam, ideſt, quatuor drachmas, ſiue, vt Itali loquuntur, *quattro giulij*; idémque valebat qui dicebatur *ſtater*, vt manifeſtè cognoſcitur ex eo quod ſcribit Matthæus cap. 17. Petrum ſtaterem inuentum in ore piſcis ſoluiſſe pro ſe & pro Domino exigentibus cenſum, pro quo ſinguli ſoluebant didrachma; valebat itaque ſtater quatuor drachmas: ergo ſi argenteus valebat quatuor drachmas, ſiue *quattro giulij*, & Chriſtus venditus eſt triginta argenteis, patet venditum fuiſſe centum viginti giulij, ſiue duodecim (vt vocāt) ſcudi. Verùm de his legēdus eſt Ioſephus lib. 3. Antiquitatum, & ſanctus Hieronymus ſuper cap. 4. & 45. Ezechielis, & ſuper cap. 7. Iſaiæ.

Ioſephus. Hieronymus.

Lapſus Lyrani & Ruperti ſuper pretio venditionis Chriſti.

Hinc apparet, deceptum eſſe Lyranum, qui puta- 79.
uit, vnum argenteum valere decem denarios ſiue iulios, & triginta argenteos valere trecentos denarios, quanti videlicet æſtimatum fuerat vnguentum effuſum ſuper Dominum, cuius iacturam dolebat Iudas, & pari pretio venditionis Chriſti reſarcire voluit.

Procul

Procul etiam vero eſt quod Rupertus ſuper Matthæi cap. 26. dixit, vnum argẽteum valere vnum denarium, & triginta argẽteos quibus venditus eſt Chriſtus, fuiſſe decimam partem trecentorum denariorum quibus æſtimatum fuerat illud vnguentum; ſolebat enim Iudas decimam partem furari pecuniæ vel aliarum rerum quas in vſum Chriſti & diſcipulorum ſeruabat, ob idque iacturam trecentorum denariorum illius vnguenti, mercede triginta denariorum venditionis Chriſti compenſauit.

80. Falſi etiam ſunt nonnulli, qui propterea quòd venditio Ioſeph Patriarchæ figura fuit venditionis Chriſti, dixerunt etiam Ioſeph fuiſſe venditum triginta argẽteis; ſicut etiam in quibuſdam libris legitur in trigeſimo ſeptimo capite libri Geneſis. Sed profectò & ſcriptura Hebraica, & Paraphraſis Chaldaica, & emendati codices Latini in eo loco Geneſis habent viginti argẽteos; & ita legi oportere confirmat S. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis ſuper libro Geneſis, & ſuper Matth. cap. 26. Septuaginta Interpretes in illo loco Geneſis pro viginti argenteis habent viginti aureos; ſicut etiam in eiuſdem libri cap. 45. pro trecentis argenteis verterunt ipſi trecentos aureos. Sed longiùs à vero aberrauit Ioſephus, qui in primo libro Antiquitatum ſcripſit, Ioſeph eſſe venditum viginti minis aureis, id autem eſt, quadringentis octoginta aureis nummis. nam vt eſt apud Ezechielem, cap. 45. vna mina pendebat ſexaginta ſiclos, & vnus ſiclus pendebat quatuor drachmas. Sanctus Ambroſius in libro de Ioſeph Patriarcha cap. 3. ſcribit, variare codices in ſupradicto illo loco Geneſis circa pretium venditionis Ioſeph: quoſdam enim habere viginti aureos; alios viginti quinque, & quoſdam triginta au-

Quanti venditus fuerit Ioſeph Patriarcha.

Hieron.

Septuaginta Interpretes.

Lapſus Ioſephi.

Ambroſ.

reos;alios verò triginta argenteos. Rupertus in libro decimo ſuorum commentariorum in Matthæum, explanans venditionem Chriſti quam narrat Matthæus cap.26.adnotauit,in pſalmo centeſimo octauo, qui ſcriptus eſt in Iudam,poni triginta maledictiones aduerſus Iudam, pro numero ſcilicet triginta argenteorum,quibus ab eo venditus eſt Dominus.

Obſeruatio Ruperti ſuper Pſalmo 108.

VIGESIMASEPTIMA DISPVTATIO.

An Iudas vnà cum alijs Apoſtolis præſens fuerit cum Dominus inſtituit ſacramentum Euchariſtiæ, & an eam ipſe acceperit.

Multiplex probatio, quòd Iudas acceperit Euchariſtiam. Auguſt.

MAGNA ſuper hac re inter Doctores diſceptatio eſt,alijs Iudam interfuiſſe inſtitutioni eius ſacramenti,& id accepiſſe affirmantibus,alijs verò negantibus. Mihi ſimilior vero ſemper viſa eſt eorum ſententia, qui Iudam inſtitutioni ſacramenti & interfuiſſe,& id accepiſſe arbitrati ſunt. Lucas certè cap. 22. euidentiſſimè, vt Auguſtinus inquit ſuper hoc decimumtertium caput Ioannis, demonſtrat Iudam interfuiſſe inſtitutioni eius ſacramenti:cùm enim expoſuiſſet inſtitutionem ſacramẽti factam à Chriſto,ſubdit Lucas hæc eius verba: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa.* quibus verbis apertè oſtenditur,Iudam interfuiſſe inſtitutioni ſacramenti:ſi autem interfuit,ergo & ipſum accepit.Matthæus enim ca.26.narrat, cùm Dominus ſacramentum ſanguinis ſui tunc præberet diſcipulis, dixiſſe 81.

dixiſſe eis. *Bibite ex hoc omnes*, & bibiſſe omnes, confirmat Marcus cap. 14. Non ſum equidem neſcius, Matthæum & Marcum in iſtis ipſis, quæ dixi locis, denunciationem proditoris & proditionis Chriſti narrare ante inſtitutionem Euchariſtiæ, vt neceſſe ſit, vel ipſos narraſſe id ante rem geſtam, per figuram anticipationis, vel Lucam narraſſe poſt rem geſtam per figuram recapitulationis: verùm ea de re alio in loco dicendum nobis erit. *Tractabitur hoc infra in diſputatione 32.*

82. Videtur hoc ipſum ſenſiſſe B. Dionyſius in lib. de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 3. Partis 3. ita ſcribens, Auguſtior illa vnius eiuſdémq; calicis & panis communis, pacificáque communio concordiæ illis vt fratribus vnà educatis, diuinas ſtatuit leges: atque cœnæ illius ſacratiſſimæ ex qua ſigna illa ſumpſere principium, ſacram memoriam renouat. In qua & auctor ipſe ſignorum, eum qui ſecum non piè neque concorditer ſacra in cœna perceperat, contubernaliū ſorte iuſtiſſimè ſeparat: probabili ſimul ac diuina ratione nos admonens, quomodo verus ille ad ſacra percipienda acceſſus id accedentibus tribuat, vt ex communione diuina ad Dei ſimilitudinem atque conſortium tranſeat. Hæc Dionyſius, qui ſupradictis verbis non obſcurè ſignificauit Iudam vnà cum alijs Apoſtolis accepiſſe Euchariſtiam, ſed quia impuro atque impio animo eam acceperat, propterea eum à collegio & conſortio Apoſtolorum ſegregatum fuiſſe. Et hanc fuiſſe Dionyſij ſententiam explanatores librorum eius Beatus Maximus, & Albertus Magnus, & Sanctus Thomas, aliíque affirmant. *Dionyſius Areopagita.*

83. Nonnulli tamen (inter hos fuit vir doctus & pius & noſtræ Societatis Franciſcus Turrianus in ſuis commentarijs in Conſtitutiones Apoſtolorū ſuper quinti *Franciſcus Turrianus.*

libri ca.13.) ex ſupradictis Dionyſij verbis contrariam fuiſſe Dionyſij ſententiam probare voluerunt; dixerunt enim Dionyſium ſignificare iſtis verbis, Dominum à participatione Euchariſtiæ Iudam reieciſſe, quia erat indigniſſimus. Illa verò ſacra, quæ Dionyſius ſcribit Iudam ſimul cum Chriſto & alijs Apoſtolis in cœna percepiſſe, interpretantur iſti non Euchariſtiam, ſed Agnum Paſchalem; qui etiam in libro Numerorum cap.9.nominatur ſacrificium,& in libro Exodi cap.13. Victima Domini appellatur. Sed profectò nec Dionyſius Agnum Paſchalem appellaſſet ſimpliciter ſacra, & mox eo ipſo vocabulo ſignificauit Euchariſtiam, & à contrario argumentatur, Euchariſtiam eam accipientibus dignè, tribuere Dei ſimilitudinem & conſortium, quia Iudæ percipienti eam indignè, priuationem conſortij Chriſti & Apoſtolorum tribuit.

VIGESIMAOCTAVA DISPVTATIO.

Probatur alios complurium atque illuſtrium Doctorum authoritatibus, Iudam tunc accepiſſe ſacram Euchariſtiam.

Cyprian. HOc certè ſenſit B. Cyprianus in ſermone de ablutione pedum; ait enim, Iudâ percepta Euchariſtia exiſſe foras antequàm Chriſtus lauaret pedes Apoſtolorũ; & vnà quidem cum Apoſtolis fuiſſe participem Euchariſtiæ, non tamen vnà cùm illis fuiſſe lotum à Chriſto. Idem quoque ſenſit Theodoretus ſuper cap.11. prioris Epiſtolæ ad Corinthios. Cyrilli autem Hieroſolymitani in Catecheſi 13.hæc 84.

Theodor. *Cyril. Hieroſolymitanus*

13. hæc ſunt verba; Prodiderat Iudas improbus Dominum, nuperque exiens à menſa, & bibens poculum benedictionis, pro ſalutari potu ſanguinem iuſti effundere volebat, paulò ante manus benedictionem recipiebat, & mox argento proditionis mortem magiſtro ſuo conciliabat. Sic ille: quibus verbis non obſcurè ſignificauit Cyrillus, Iudam bibiſſe calicem ſanguinis Domini, eum appellans poculum benedictionis, quo etiam nomine appellauerat eum Paulus in priori Epiſtola ad Corinthios cap. 10. cum dixit. *Calix benedictionis cui benedicimus, non-ne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Sanctus Hieronymus in libro ſecundo contra Iouinianum: Qui indignè, inquit, manducat corpus & bibit ſanguinem Domini, reus eſt corporis & ſanguinis Chriſti. Nunquid quia Iudas de eodem calice Domini bibit, de quo & cæteri Apoſtoli, vnius cum illis erit meriti? Beatus Leo Papa in ſermone 3. de paſſione Domini cum ipſo loquens Iuda, eíque tantam eius aduerſus Dominum ingratitudinem & perfidiam exprobrans: Cùm tuam, inquit, conſcientiam tot Domini miracula & tot dona torquerent, illa ſaltem te à præcipitio tuo ſacramenta reuocaſſent, quæ in Paſchali cœna iam de perfidia tua ſigno diuinæ ſcientiæ detectus acceperas. Cur de eius bonitate diffidis, qui te à ſui corporis & ſanguinis communione non repulit? & in ſermone ſeptimo de Paſſione Domini ait, ne Iudam quidem à myſterio Eucharistiæ fuiſſe à Chriſto ſubmotum, vt oſtenderet, nulla eum propria iniuria exaſperatum, ſed voluntaria impietate ac malitia inductum, tantum ſcelus admiſiſſe. Theophylactus in commentariis ſuis in Matthæum ſuper capite vigeſimo ſexto ſcribit tradidiſſe quoſdam, Iudam accepiſſe quidem

Hieron.

S. Leo Papa.

Theoph.

Notabilis quorumdã traditio de Iuda circa panem Eucharistiæ quẽ à Chriſto accepit.

panem Euchariſticum, non tamen eum comediſſe, ſed occultaſſe vt eum Iudæis oſtenderet, dicens Ieſum dixiſſe, illum panem eſſe corpus ſuum. Verba Theophylacti explicantis illa Domini verba, *Bibite ex eo omnes*, hæc ſunt, Quare ſuprà non dixit, comedite ex eo omnes, hoc autẽ loco dixit, *bibite ex eo omnes*? Sunt qui dicant propter Iudam hoc eſſe dictum. Iudas enim panem accepit, & non comedit; ſed occultauit vt monſtraret Iudæis, quòd illum panem Ieſus vocaſſet corpus ſuum: poculum autem ſanguinis Chriſti inuitus bibit, cùm non poſſet occultare, propterea de calice dixit, *bibite ex eo omnes*. Ipſe autem Theophylactus eo in loco manifeſtè ait, Iudam percepiſſe ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, licet referat quorumdam opinionem aientium, Chriſtum ſacramentum corporis & ſanguinis ſui non dediſſe Apoſtolis

Chryſoſt. niſi poſt egreſſum Iudæ. Chryſoſtomus homilia 83. in Matthæum: O cæcitatem, inquit, proditoris, qui cùm ineffabilibus myſteriis communicaſſet, idem permanſit: & diuinæ menſæ particeps, in melius mutari noluit, ſed peccatum eius ita magis auctum eſt, quia tali animo myſteriis ſuſceptis, nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus eſt. Et in homilia de proditione Iudæ, quæ eſt in tertio tomo, cùm narraſſet verba quibus Chriſtus inſtituit ſacramentũ Euchariſtię, ſcribit hæc, Præſes erat Iudas iſta Chriſto dicente: ô Chriſti miſericordia, ô Iudæ dementia: Iudas Chriſtum triginta argenteis paciſcebatur vt vẽderet Iudæis; Chriſtus ei ſanguinem ſuum quem vendiderat, offerebat, vt haberet remiſſionem peccatorum, ſi tamen impius exiſtere noluiſſet. Adfuit enim tunc Iudas, & illius ſacrificij communicationem accepit. Idem Chryſoſtomus in homilia quæ inſcribitur,

Quod

Quòd nemo læditur niſi à ſe ipſo, quæ eſt in quinto tomo, ait, Iudam habuiſſe donum ſpiritus ſancti, ita vt dæmones fugaret, leproſos mundaret, ægrotos ſanaret, & illius ſacræ Chriſti menſæ venerandíque ſacramenti particeps exiſteret. Sanctus Auguſtinus in tractatu 62. in Euangelium Ioannis poſtquam dixerat, Chriſtum in illa buccella panis intincta quam præbuit Iudæ, non dediſſe ei corpus ſuum, ſubdit, Intelligendum autem eſt, quòd iam omnibus diſcipulis Dominus ſacramentum corporis & ſanguinis ſui diſtribuerat, vbi erat & Iudas, ſicut euidentiſſimè Lucas demonſtrat. Et ſuper Pſalmo 10. Tanta (inquit Auguſtinus) patientia Dominus traditorem ſuum pertulit, vt ei primam Euchariſtiam manibus ſuis confectam & ore ſuo commendatam ſicut cæteris Apoſtolis, traderet. Hoc denique ſentit vniuerſa Theologorum ſchola; vide Hugonem de ſancto Victore lib. 3. de ſacrament. Par. 8. ca. 4. & Magiſtrum ſentent. in 4. diſtinct. 11. & ibi ſcholaſticos, & B. Thomam in 3. part. quæſt. 81. art. 2.

S. Auguſt. *Luc. c. 22.* *Hugo de S. Victore.*

VIGESIMANONA DISPVTATIO.

Idem confirmatur ſatis probabili ratione.

85. CVM Chriſtus perfectum nobis eſſet exemplar, perfectúſque magiſter ſeruandæ & exequendæ iuſtitiæ, non erat conueniens eius magiſterio, vt Iudam tunc occultum peccatorem, ſine accuſatore & ſine peccati eius euidenti probatione à ſuorum myſteriorum communione ſepararet, admiſſis ad eam ceteris Apoſtolis; ne ſcilicet ex ea re Prælati Eccleſiæ ſumerent exemplum & animum ſimilia faciendi; & ne Iudas ea re vehementer exaſpe-

ratus peccandi occaſionem acciperet. Atque hoc Domini exemplo docta & inſtructa ſancta Eccleſia, ſicut à ſacra communione arcet publicos peccatores, publicos dico vel propter eorum peccati euidentiam, vt ſunt meretrices & vſurarij, vel quia de peccato ſuo in publico iudicio vel ſeculari vel eccleſiaſtico iudicati & damnati ſunt: ita peccatoribus occultis Euchariſtiam petentibus non denegat. Cùm enim quilibet Chriſtianus eo ipſo quòd baptizatus eſt, ius habeat petendi cetera Eccleſiæ ſacramenta, & ad dominicæ menſæ participationem ſit admiſſus; non poteſt ei hoc ius adimi, niſi ob aliquam manifeſtam cauſam, euidentémq; culpam. Vnde ſuper illis Pauli verbis quæ ſunt in priori epiſtola ad Corinth. cap. 5. *Si quis inter vos frater nominatur &c.* ait Gloſſa Auguſtini, Nos à communione quenquam prohibere non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo iudicio Eccleſiaſtico vel ſæculari notatum atque conuictum. Et ſuper illis verbis pſalmi 21. *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ*, ſcribit hæc Auguſtinus, Non prohibebat diſpenſator pingues terræ, ideſt, peccatores manducare in menſa Domini. Ad huius rei confirmationem valet Eugenij PP. determinatio quæ habetur extra, de officio Ordinarij Cap. Si ſacerdos. Vbi ſacerdotem non debere peccatori occulto Euchariſtiam petenti denegare, probat exemplo Domini, qui Iudæ proditori tunc occulto ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, ſimiliter vt ceteris Apoſtolis, tribuit. Vide etiam ſuper hac re S. Thomam in 3. Parte quæſt. 80. art. 6. Non me fugit, quanto ſtudio & conatu Rupertus in lib. 10. ſuorũ commentariorũ in Matthæum ſuper cap. 26. laboret, vt oſtendat, Iudam tunc non fuiſſe occultum peccatorem: quin etiam ait, perfectè Chri

Auguſt.

Eugenius Papa.

Memorabilis ſed improbabilis ſententia Ruperti de Iuda.

Chriſtum erga Iudam ſeruaſſe illud pręceptum quod ipſe dederat. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos teſtes. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* At enim ſiquis obſeruatè conſideret atq; perpendat iſtam Ruperti argumentationem, eam profectò minimè firmam, miniméq; probabilem eſſe comperiet. Sed nobis in ea diſcutienda immorari hoc loco viſum non eſt. *Matth. 18.*

TRIGESIMA DISPVTATIO.

Exponitur ſententia eorum qui dixerunt, Iudam non accepiſſe ſacram Euchariſtiam.

86. CLEMENS Romanus in Conſtitutionibus Apoſtolorum lib. 5. ca. 13. inducit Apoſtolum Ioannem ita loquentem. Cùm ſacra myſteria pretioſi corporis & ſanguinis ſui nobis tradidiſſet, quibus non aderat vnà nobiſcum Iudas, exijt ad mõtem Oliuarum &c. Sed enim de iſtius Clementis operis authoritate magna eſt lis inter Theologos & doctos viros, eam pleriſq; paruipendentibus, quòd multa in eo ſint opere partim dubia & incerta, & apocrypha, partim falſa quæ iſtius operis fidem eleuant authoritatémque deſtruunt. Hilarius in can. 30. in Euangelium Matthæi Iudam non accepiſſe tunc Euchariſtiam probat illis Domini verbis, quæ refert Matthæus cap. 26. *Non bibam à modò de hoc genimine vitis vſque in diem illum cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.* Ex quibus verbis patet, eos qui *Clemẽs Romanus.* *Hilarius.*

tunc in illa cœna biberunt vinum illud cum Chriſto, iterum cum eo bibiſſe poſt reſurrectionẽ eius: ſed Iudas ante reſurrectionem Chriſti, mortem ſibi conſciſcens, non bibit iterum cum Chriſto; ergo in cœna non bibit vinum illud cum Chriſto. Verùm iſtam Hilarij rationem ſoluere non eſt difficile: illa enim verba ſic Dominus in vniuerſum illi Apoſtolorum collegio & ſodalitati dixit, vt veritati eorum verborũ nequaquam obſtet vnius Iudæ proditoris defectio. Neque enim Dominus dixit, *Cùm illud bibam vobiſcum omnibus nouum.* Sed dixit præciſè, *Cùm illud bibam vobiſcum.* Intelligendum itaque eſt, hanc Domini promiſſionem ſic eſſe in Apoſtolis impletam, vt implenda erat alia illa promiſſio antea eis data, cùm dixit eis Dominus, vt refert Matthæus cap. 19. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes tribus Iſrael.* Nimirum, ſciebat tunc Dominus, Iudam in illo duodenario Apoſtolorũ numero non eſſe permãſurum, neque in eo ſuum illud promiſſum eſſe implendum: ſed implendum tamen erat in ceteris omnibus Apoſtolis, & in locum Iudæ ſubſtituendus erat Matthias, qui duodenarium illum numerum compleret. Hæc ſententia placet Magiſtro Hiſtoriæ ſcholaſticæ in enarratione hiſtoriæ Euangelicæ cap. 152. quanquam ipſe contrariam ſententiam non reprehendat: Rupertus porro multa pro hac ſententia diſputat in lib. 10. Cõmentariorum in Matthæum ſuper cap. 26. & in lib. 7. Commentariorum in Ioannem eam pugnaciter, præfractéque defendit.

Magiſter hiſtoriæ ſcholaſtica.
Rupertus.

Exponitur & ſoluitur ratio qua firmari ſolet iſta ſententia.
Actor. 1.

Pro huius ſententiæ confirmatione illud afferri ſo- 87.
let, Chriſtum feciſſe id quod aliis faciendum & ſeruandum præcipiebat ſecundum illud quod Lucas de eo ſcripſit: *Ieſus cæpit facere & docere*: ſed Chriſtus de-

derat

Digitized by Google

derat illud præceptum quod refert Matthæus cap. 7. *Nolite ſanctum dare canibus.* Non erat igitur conueniēs, vt ſacramentum corporis & ſanguinis ſui daret Iudæ, quem ſciebat ipſe maximum eſſe peccatorem. Sed ad hoc reſpondendum eſt malitiam Iudæ fuiſſe tunc notam Chriſto tanquam Deo, non autem ea ratione qua ſolent hominum crimina innoteſcere aliis hominibus qui ea iudicare ac punire debent. nō enim peccatum Iudæ tunc publicum erat, neque manifeſtum aliis diſcipulis. Quapropter Dominus Iudā à cōmunione ſui corporis & ſanguinis non repulit, docens ea re Prælatos Eccleſiæ, peccatores occultos à ſacrorum myſteriorum communione non eſſe arcēdos. Itaque illud Domini dictum. *Nolite ſanctum dare canibus*: ſic eſt intelligendum, ſacra myſteria non eſſe obtrudēda infidelibus ea nolētibus, neque alijs auerſantibus, aut impugnantibus ea, neque palam & publicè indignis. *Locus Matt. cap. 7.*

TRIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis, quæ Dominus dixit de Iuda Matthæi cap. 26.

Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.

An Reprobis & Damnatis melius fuiſſet nunquam fuiſſe, quàm eſſe damnatos.

88. NON dixit ſimpliciter Dominus de Iuda, Bonum erat ſi natus non fuiſſet, quia vt pluribus locis docet Auguſtinus, Deus reprobos Angelos & Homines non creaſſet, niſi ab æterno ſtatuiſſet, illorum peccatum ad maiorem ſuam gloriam, *Auguſtin.*

maiúſque electorum bonum conuertere, quamobrem melius fuit eos creari quàm non creari, tametſi reprobi & damnati futuri eſſent. Propterea itaque Dominus de Iuda dixit cum hac reſtrictione. *Bonum erat & ſi natus non fuiſſet*, ſignificans, ipſi Iudæ futurum fuiſſe melius ſi non eſſet natus, licet ſimpliciter melius fuerit, ipſum fuiſſe natum.

Auguſt. Sed cùm Auguſtinus in libro tertio de libero ar- 89.
bitrio cap.8. ſeriò diſputet, & probare contendat, etiá miſerrimos homines non poſſe optare non eſſe ſimpliciter. id enim cùm nec verum bonum, nec apparens bonum ſit, nullo modo expetibile ſeu eligibile eſt, videtur melius fuiſſe Iudæ natum eſſe, quàm non eſſe natum. *Auguſt.* Verùm ipſe Auguſtinus in libro primo quæſtionum Euangelicarum cap.40. dupliciter interpretatur iſtud Domini dictum. *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet*.1. Bonum erat ei nô naſci diabolo ad peccatum: Secundò, Bonum erat ei non naſci Chriſto ad Apoſtolatum, melius enim fuiſſet ei ſi non fuiſſet Apoſtolus, quàm fuiſſe Chriſti Apoſtolum, & poſtea Apoſtatam, & proditorem Chriſti. Sed neutra interpretatio videtur eſſe litteralis.

Caietan. Euthym. Theophyl. Caietanus, & Euthymius, & vt ſignificare videtur, 90.
etiam Theophylactus ſuper Matthæi cap.26. aiunt, Chriſtú non dixiſſe, bonú erat ei ſi non fuiſſet, ſed dixit, *bonum erat ei ſi natus non fuiſſet*: id autem eſt, ſi in vtero matris ante natiuitaté fuiſſet mortuus: ſic enim ſuſtinuiſſet tantùm pœnam damni, nunc autem, & damni & ſenſus (vt loquuntur Theologi ſcholaſtici) pœnam ſuſtinet. At enim iſta interpretatio parum eſt probabilis, ſolet enim nônunquam Scriptura natum dicere pro eo quod eſt conceptum vel genitum, quod manifeſtum eſt ex illis verbis quæ Angelus Gabriel

Digitized by Google

dixit Ioſeph de B. Virgine ante partum eius. *Quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Iob etiam cap. 3. maledicit non ſolùm natiuitati ſuæ, ſed etiam conceptui, dicens: *Maledicta dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* Optabat itaque Iob ſe nō modò non fuiſſe natum, ſed nec eſſe conceptum & generatum. Beatus certè Auguſtinus in libro 5. contra Iulianum cap. 8. de ſolis infantibus cum peccato tantùm originali mortuis dubitat, vtrum fuiſſet illis melius nunquam fuiſſe, quàm tales eſſe, de adultis verò damnatis nequaquam dubitat. In hac quoque ſententia eſt S. Hieronymus ſuper Matthæi cap. 26. explorans illa Domini verba, *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet.* idémque affirmat in Commentariis ſuis in librum Eccleſiaſtes, ſuper illis verbis cap 4. *Laudaui mortuos magis quàm viuentes, & fœliciorem vtriſque iudicaui qui natus non eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole ſunt.*

Matth. 1. *Locus Iob. cap. 3.* *Auguſt.* *S. Hieron.*

91. Hæc ipſa quoque, mea eſt ſententia: Sed ſciendum eſt, iſta duo, Non eſſe ſimpliciter & damnatum eſſe, tripliciter inter ſe comparari, & conſiderari poſſe: Primò vt iſta per ſe conſiderentur præcisè & ſine vllo reſpectu ad aliud, & hac ratione procul dubio melius eſt damnatum eſſe quàm non eſſe ſimpliciter; nam in damnato eſt natura ipſa vel angelica vel humana, quæ inter bona naturalia creata maximum quoddam bonum eſt: in non eſſe autem ſimpliciter & præcisè conſiderato nullum eſt bonum nec verum nec apparens. Deinde, poſſunt iſta duo conſiderari in ordine ad meritum peccati & hominis damnati, & ad iuſtitiam Dei iuſtiſſimi iudicis & vindicis peccatorum; & hac ratione melius vtique eſt damnatum eſſe quàm non eſſe ſimpliciter, quia mortale peccatum meretur æterno ſupplicio

Authoris ſententia. Non eſſe ſimpliciter, & damnatum eſſe, tripliciter inter ſe comparari, & conſiderari poſſe.

puniri,& talis punitio eius pertinet ad magnam Dei gloriam,& laudem iuſtitiæ diuinæ,contra hoc autem eſſet,ſi damnatus omnino eſſe deſineret. Ad hæc, non eſſe ſimpliciter poteſt conſiderari tanquam habens priuationem malorum omnium quæ patiuntur damnati, & hac ratione ab illis apprehenditur vt bonum ipſis,& melius,quàm ipſum eſſe coniunctum cum illis malis:priuatio enim magni cuiuſpiam mali(vt docent Philoſophi,) induit rationem quandam boni & appetibilis, damnatis autem magnitudo & acerbitas malorum quæ patiuntur,reddit vitam & eſſe ipſorum amariſſimum & odioſiſſimum, vt pote quod eſſe intelligunt fundamentum æternitatis malorum quæ patiuntur. Confirmari hoc ipſum poteſt illis ſcripturę verbis quæ ſunt in li. Eccleſ.c.30. *Melior eſt mors quàm vita amara,& requies ſempiterna quàm langor perſeuerãs.* Sicut itaq; ſe habet vita temporalis ad ingẽs aliquod malũ temporale cum vita coniunctũ,ita ſe habet vita & eſſe æternum ad æternam pœnam cum illa cõiunctam:ſed melius putatur perdere vitam temporalem quàm eam agere cum maximis doloribus & miſeriis: ergo melius quoque damnatis eſſet non viuere omnino, & ſimpliciter non eſſe, quàm maximis illis inferni cruciatibus torqueri:& ad huius rei confirmationem valent teſtimonia quæ ſuprà retulimus Iob,& Auguſtini, & Hieronymi.

Locus Eccleſiaſtici cap.30.

TRIGE

Digitized by Google

TRIGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

De ordine temporis quo facta eſt à Domino in illa vltima cœna denunciatio proditionis, qua prodendus erat Iudæis à Iuda.

An denunciatio proditoris à Chriſto facta ſit ante, an poſt inſtitutionẽ Euchariſtiæ.

92. DENVNTIATIONEM proditoris à Chriſto factam in illa cœna Matthæus ca. 26. & Marcus cap. 14. narrant ante inſtitutionem Euchariſtiæ, Lucas verò c. 22. eam commemorat poſt expoſitam inſtitutionem Euchariſtiæ, Ioannes in hoc decimotertio capite licet denunciationem proditoris etiam referat, quia tamen nullam Euchariſtiæ inſtitutionis mentionem fecit, propterea ex eius narratione incertum eſt, an illa denunciatio proditoris præceſſerit, an ſubſecuta fuerit inſtitutionem Euchariſtiæ. Quidam ſecuti Auguſtinum in lib. 3. de Cõſenſu Euangeliſtarum c. 1. opinati ſunt illã denunciationẽ proditoris bis à Chriſto eſſe factã 1. ante inſtitutionem Euchariſtiæ, & iterum poſt eam. Sed profectò quæ Lucas de illa denunciatione narrat, prorſus eadem eſſe atque ea quæ narrat de eadem Matthæus & Marcus, ſatis apparet ex identitate non modò ſententiarum, ſed etiam verborum quibus tres iſti Euangeliſtæ in eius rei narratione vtuntur. Verùm Matthæus & Marcus illam denũciationem proditoris ſic narrant ante inſtitutionẽ Euchariſtiæ, vt ſuo narrandi modo nullum temporis ordinem ſignificent: Lucas verò ſic eam denunciationem narrat poſt inſtitutionem Euchariſtiæ, vt manifeſtum temporis ordinem, dictorúmque conſequentiam indicet. nam poſt traditam à Chriſto Euchariſtiã ſubiungit illa verba, *Verùm tamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa:* illud

Auguſt.

enim, *Verumtamen* ſignificat ea verba eſſe dicta à Domino poſt inſtitutionem & traditionem Euchariſtiæ.

Probabilius itaque dictu eſt, Matthæum & Mar- 93.
cum non ſuo loco, ſed per anticipationem narraſſe denuntiationem proditoris ante inſtitutionem Euchariſtię; Lucam verò poſt inſtitutionem Euchariſtiæ narraſſe eam, ſuo nempe loco & tempore. Nec à Luca diſcrepat Ioannes, qui & ſi inſtitutionem Euchariſtiæ non commemorat, eam tamen nos ſuprà oſtendimus, eſſe inſerendam eius narrationi ante illa Domini verba quæ refert ipſe in hoc Capite: *Cùm hæc dixiſſet, turbatus eſt ſpiritu, &c.* poſt quæ verba ſubiungit Ioannes eandem illam denuntiationem proditoris quam alij tres Euangeliſtæ tradiderunt. Ceterùm, illa Domini verba quæ refert Lucas, & paulo ſupra ſunt à nobis cōmemorata: *Veruntamē ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa*, magnā emphaſim habent ad exaggerandum Iudæ ingratitudinem: videtur enim iſtis verbis Dominus hoc dicere voluiſſe: Et ſi meum ego ſanguinem nunc vobis bibendum exhibui, eúmque mox in cruce pro peccatorum veſtrorum remiſſione ſum effuſurus; nihilominus tamen vnus ex vobis qui mecum eſt in menſa, tantorum beneficiorum meorū particeps, me tradet, ſiue in præſenti tempore, vt verba Domini ſignificant, tradit.

Poſt illā proditoris denuntiationē à Domino factā 94.
cœperūt diſcipuli, vt narrat Ioannes, aſpicere inter ſe, tanquā hæſitātes de quo ipſorū illud dixiſſet Dominus, & volētes ex immutatione vultus agnoſcere proditorē. Sed cùm eis id nō ſuccederet, Iuda vultu egregiè ſcelus ſuum diſſimulante ac tegente, cœperunt ſinguli, vt Matthæus & Marcus ſcribunt, interrogare Dominum. *Nunquid ego ſum Rabbi?* Vnuſquiſque enim cupiebat, innocentiam ſuam Domini teſtimonio proba-

probatam eſſe aliis,& à tanti criminis ſuſpicione liberi eſſe volebât apud omnes. Eorum interrogationi reſpondit Dominus: *Qui intingit mecū manum in paropſide, hic me tradet: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille:* quibus verbis Chriſtum deſignaſſe Iudam proditorem ſuum putat Sanctus Hieronymus: nam cæteris Apoſtolis manū à paropſide ſiue catino retrahentibus, ſolum Iudam ea audacia & temeritate qua Dominum proditurus erat, manum intuliſſe in catinum, vt ea audacia, & non turbati animi diſſimulatione bonam mentiretur conſcientiam. Sed non videtur hoc veriſimile: ſi enim ita eſſet factum, fuiſſet vtique Iuda proditor detectus, & à diſcipulis cognitus: at ex ea Ioannis narratione quæ eſt in hoc capite manifeſtum fit, Apoſtolos non cognouiſſe Iudam proditorem, ante egreſſum eius ex illo cœnaculo. Voluit itaque Dominus illis verbis ſignificare, ad quantam ipſe familiaritatem admiſiſſet eum, qui proditurus ipſum erat, vt & menſæ ſuæ, & Sacramenti corporis & ſanguinis ſui participem fecerit. Signatè autem Dominus nominauit manum, quia per manum fit traditio; quaſi diceret, Qua manu nunc mecum ex eodem catino cibum ſumit, ea ipſa manu me traditurus mox eſt Iudæis ad necem.

Diſcutit dictū quoddam S. Hieronymi.

95. Iam verò quod Matthæus ſcribit, Iudam dixiſſe Domino: *Nunquid ego ſum Rabbi?* non eſt putandum, id eum dixiſſe poſt alios diſcipulos: dixit enim id vnà cum illis; ſed id Matthæus diſtinctè voluit narrare, quò manifeſtiùs Iudæ audaciam & impudentiam, ſimúlque Domini lenitatem atque manſuetudinem indicaret. Illud autem quod Iudæ reſpondit Dominus, *Tu dixiſti*, quidam ſic interpretantur, vt dicant,

Chriſtum id non aſſeueranter dixiſſe, ſed quaſi diceret, ego non dico, tu dicis: ſi enim aſſeueranter dixiſſet, euidenter vtique manifeſtaſſet proditorem, eúmque Apoſtoli tunc planè cognouiſſent. Sed verò ſimilius eſt, Dominum id aſſeueranter dixiſſe: idem

Match.26. enim poſtea dixit & Caiphæ, & Pilato, & dixit aſſe-
Ioann.18. ueranter. Perinde igitur eſt, ac ſi dixiſſet Dominus, Tu es: ſed quia id ſoli Iudæ ſubmiſſa voce dixit, & Apoſtoli præ nimia triſtitia turbato animo, ad id non aduerterunt animum, propterea non eſt tunc ab illis proditor cognitus. Poſt hæc Apoſtoli ob illam proditoris denunciationem valde anxij, cœperunt inter ſe quærere, quiſnam ex ipſis facturus eſſet ille proditor Domini: denique Petrus ſignificauit Ioanni vt id ſciſcitaretur à Chriſto, cui erat cariſſimus, & proximus recumbebat in cœna: quæſiuit Ioannes id à Chriſto recumbens in ſinu eius, & ſignum euidens ab eo cognoſcendi proditorem accepit: atque hinc apparet, quæ Dominus dixit in denunciatione proditoris, ea quonam ordine ſint ab eo dicta.

TRIGESIMATERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS.27. *Et poſt buccellam introiuit in eum ſatanas.*

De modo, quo ſatanas intrauit in Iudam poſt buccellam panis.

Illam buccellam panis quã Iudas accepit à Chriſto, non fuiſſe ſacram Euchariſtiam.

NON eſt putandum, buccellam illam pai ns 96.
intinctam quam Iudas accepit à Chriſto, fuiſſe ſacram Euchariſtiam; hanc enim antea Chriſtus dederat, & dederat omnibus

Apoſto

Apoſtolis,& vnà cum illis etiam ipſi Iudæ; illam autem buccellam ſoli Iudæ dedit, vt eum eſſe proditorem illum de quo dixerat,ſignificaret Ioanni. Ad hęc, illa buccella erat panis intinctus in catino, panis verò Euchariſticus erat ſimplex & purus panis. Verùm ſuper eo quod dicitur, ſatanam intraſſe in Iudam poſt buccellam panis, & poſt lotionem pedum, quærit Auguſtinus in tractatu 62. in Euangelium Ioannis, Quomodo dicat Ioannes tunc intraſſe Satanam in Iudam,cùm ipſemet antea initio huius capitis& ante lotionem pedum dixerit,iam tum diabolum miſiſſe in cor Iudæ vt traderet Ieſum: quid enim aliud eſt Diabolum intrare in hominem,quàm mittere in cor eius prauas iniquarum cogitationum ſuggeſtiones? Reſpondet Auguſtinus propterea dici diabolum intraſſe in Iudam poſt buccellam panis,quia tũc maximè intrauit pleniùs poſſidẽdo eum, eique dominando. Antea quidem intrauerat in eum perſuadendo ei, vt proditionem Chriſti polliceret Iudæis: poſt acceptam verò illam buccellam, intrauit in Iudam vehementiùs impellendo eum; vt traditionem Chriſti promiſſam ab ipſo Iudæis, tunc re ipſa exequeretur. Quemadmodum etiam Apoſtoli ante diem Pentecoſtes acceperant Spiritum ſanctum, nam Chriſtus ante ſuam aſcenſionem,inſufflans in eos dixit eis, *Accipite ſpiritum ſanctum*, ſicut narrat infra Ioannes cap. 20. Scriptura tamen ait, eos accepiſſe Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes, quia tunc eum ſecundum omnia dona gratiarum eius abundantiùs, & euidentiſſimo ſigno,& admirabili modo acceperunt. Dicitur diabolus poſt buccellam intraſſe in Iudam, quia antea intrauerat tantùm ſuggerendo ei cogitationem & volitionem ſceleris: tunc autem intrauit in eum, *Auguſtinus.*

plenè ipſum poſſidens,eíque dominās, ad cogitatum deſignatúmque ſcelus patrandum impellendo. Diabolus ſanè extra cor hominis eſt, priuſquàm homo eum recipiat ipſi conſentiendo;licèt ipſe ſenſus exteriores vel interiores afficiat & moueat, vt introitum aliquem ad animum hominis habere queat. At licèt per quodlibet peccatum mortale Diabolus intret in cor hominis,in reprobis tamen & induratis peccatoribus dicitur præcipuè in corda eorum intrare, quia manet in eis tamquam habitator atque dominator: & huc ſpectare videtur illud quod eſt in Pſalmo 108. *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius.*

Quomodo Diabolus præcipuè & notabiliter intret corda peccatorum qui vocantur reprobi & indurati.

Dupliciter porrò diabolus itrat hominem; vel ad 97.
eum corporaliter vexandum, quod facit in acceptitiis & dæmoniacis: vel ſine corporali vexatione intrat hominem, animum eius plenè poſſidens: eíque dominans, ad qualecunque & quantumcunque ſcelus voluerit inclinando eum. Huiuſmodi homines à Diabolo ſpiritualiter poſſeſſi, dicuntur in Scriptura venundati ſub peccato, vt de rege Achab ſcriptum eſt in libro 3.Regum,cap.21.dicuntur captiui diaboli, ſicut de quibuſdā dixit Paulus *(ſi fortè reſipiſcant à diaboli laqueis,à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatē.)* Dicuntur etiam iſti à Deo derelicti,& deſpecti,& proiecti à facie eius & traditi in deſideria cordis eorum, & in reprobum ſenſum; dicuntur vaſa iniquitatis, filij Belial, filij diaboli, imò & diaboli; nam ſuprà cap. 6. Ioannes ſcripſit Chriſtum dixiſſe Apoſtolis, *vnus ex vobis diabolus eſt*,ſignificando Iudam.In libro de Actis Apoſtol. cap. 5. refert Lucas Petrum dixiſſe Ananiæ, *Anania,cur ſatanas tentauit cor tuum,mentiri te ſpiritui ſancto?* Sed pro illo verbo *tentauit* græcè eſt ἐπλήρωσεν, id autem

Diabolum dupliciter introire in hominem.

Reprobi & indurati homines quibus nominibus appellari ſoleant in Scriptura.

2. Tim. 2.

Ad Rom. 1.

Locus Actorum cap. 5.

autem eſt, *impleuit*, vt græca lectio eius loci ſit huiuſmodi, *Anania, cur ſatanas impleuit cor tuum, mentiri te ſpiritui ſancto?* Et hāc lectionem agnoſcit Beda, & agnouiſſe videtur Auguſtinus in lib. de Eccleſiaſticis Dogmatibus cap. 82. Sanè Didymus in libro tertio de ſpiritu ſancto ponderans duo hæc loca, alterum Ioannis in hoc decimotertio capite, vbi ait, ſatanam introiuiſſe in Iudam; & alterum Lucæ in libro de actis Apoſtolorum cap. 5. vbi dicitur ſatanas impleuiſſe cor Ananiæ, oſtendit proprium eſſe Dei intrare animam hominis, & cor eius implere; ex quo argumentatur ipſe, ſpiritum ſanctū eſſe Deum, quòd eum Scriptura dicat intrare in animas ſanctas, & numine ſuo replere. Theologi autem docent, eſſe Dei proprium illabi animæ hominis, eiúſque intellectum atque voluntatem directè atque immediatè mouere, replere cor eius, & quocunque voluerit inclinare.

Beda. Auguſtinus. Didymus.

Sap. 7.

98. Ergo diabolus dicitur intrare cor hominis non immediatè ac directè, ſed mediatè atque indirectè, eo modo quo declarauit Didymus. Quemadmodum enim ſatanas introiuerit in Iudā, explicat Didymus, hunc fermè in modum ſcribens: Obſeruās ſignis quibuſdam Diabolus, ad quæ vitia Iudæ cor eſſet procliuius, deprehendit, ipſum maximè inſidiis patere auaritiæ: & reperta cupiditatis ianua, miſit in mentem eius quomodo deſideratam pecuniam acciperet, & magiſtri atque ſaluatoris ſui proditor eſſet, argentum pro pietate commutans, & pretium ſceleris à Iudæis accipiens. Hæc itaque cupiditatis occaſio locum tribuit ſatanæ, vt intraret in Iudam, eúmque impleret peſſima volūtate. Intrauit autem in Iudam Diabolus, non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum operationem; nam intrare ſecundum ſubſtantiam hominis

Didymi ſententia de modo quo ſatanas introiuit in Iudam.

animam, & eam implere, proprium eſt increatæ ac diuinæ naturæ. Hæc Didymus in lib. 3. de Spiritu ſancto, interprete B. Hieronymo.

Quando primum ſatanas introierit in Iudam.

Sed illud nonnullam hîc habet dubitationem, 99.
Quomodo Ioannes hoc loco dicat, ſatanã introiuiſſe in Iudam poſt buccellam panis in cœna datam ei à Chriſto, cùm iam antea ſecundum Lucam Satanas intraſſet Iudam, tunc ſcilicet cùm adiuit principes ſacerdotum, & pacta pecunia promiſit eis traditionem Chriſti; id autem factum eſt biduo ante illam cœnam Paſchalem, in qua Chriſtus buccellam illam dedit Iudæ. Verba Lucæ ſub initium cap. 22. hæc ſunt. *Intrauit autem Satanas in Iudam qui cognominabatur Iſcariotes, vnum de duodecim, & abijt, & locutus eſt cum Principibus Sacerdotum & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis, & gauiſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare.* Ad hoc reſpondendum eſt id quod ſuprà diximus ex ſententia Auguſtini: reuera Satanas ante buccellam iam intrauerat cor Iudæ, vt ſcripſit Lucas; ſed Ioannes dixit Satanam intraſſe Iudam poſt buccellam panis, non quòd tunc primùm intraſſet, ſed quòd tunc pleniſſima poteſtate intrauit, omnino eum poſſidendo, eique dominando, & ad promiſſæ proditionis Chriſti effectionẽ quamprimùm exequendã impellendo. Ergo quod ſuprà Ioannes initio huius capi- ante illam buccellam, & ante lotionem pedum dixit, quòd iam tum Diabolus miſiſſet in cor Iudæ, vt traderet Ieſum: hoc ipſum narrans Lucas ſcribit, Satanam intraſſe in Iudam, vt promitteret Iudæis traditionem Chriſti: diabolum itaque miſiſſe in cor Iudæ, vt ait Ioannes, & Satanam intraſſe in Iudam, vt ſcribit Lucas, prorſus idem ſignificant.

TRIGESI

TRIGESIMA QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid dixerit ei. VERS. 17.

An Chriſtus iſtis verbis præceperit Iudæ vt proditionis executionem acceleraret.

100. QVONIAM Diabolus iam intrauerat Iudam, pleniſſimè ipſum poſſidens, eúmque ſollicitans & vrgens ad exequendam proditionem Chriſti promiſſam ab ipſo Iudæis; ideo Chriſtus dixit ei, Quod iam animo facis, fac citiùs etiam ipſo opere. Quibus verbis ſignificauit, nec Iudam, nec Diabolum poteſtatem habere agendi quidquam aduerſus ſe, niſi ſe permittente: ſimúlque indicauit illo aduerbio *citiùs*, flagrantiſſimum deſiderium ſuum pro ſalute noſtra mortem quamprimùm ſubeundi, ad eam ſe paratiſſimùm & promptiſſimum offerens. Illud autem *fac citiùs*, non ſunt verba præcipientis Iudæ, vt ſcelus proditionis perficeret; ſed permittentis id fieri, cùm prohibere tamen poſſet; & ſignificantis, ſe non modò non impediturum ne quod volebat Iudas efficeret; ſed etiam, quod contra ipſum feciſſet, ſe alacriter ſubiturum; vel ſunt verba prophetice prænunciantis quod facturus erat Iudas. Hunc locum Beatus Leo luculenter tractat in ſermone 7. de Paſſione Domini. *Leo.*

101. Caietanus ſuper hoc loco ſubtiliter penſitans iſta verba Domini *fac citiùs*, ait, poſſe intelligi ea verba dicta eſſe à Domino præceptiuè; nó quòd Chriſtus præ- *Caietanus.*

ceperit effectionem illius ſceleris,ſed quòd præcepe-
rit circumſtantiam temporis ſignificatam illo aduer-
bio *citius*,vt nimirum Iudas ſcelus quod facturus erat,
eo tempore faceret,quo tempore fieri decretum fue-
rat à Deo.Nam licet Deus non decreuiſſet fieri ſcelus
illud, decreuerat tamen, vt quandoquidem facien-
dum erat,eo tempore fieret, & non antè vel pòſt. Sic
Cyrillus. Caietanus; Cyrillus autem intelligit, Dominum iſta
verba dixiſſe non Iudæ,ſed ſatanæ quaſi prouocando
Ad Hebræos 2. cum ad certamen,in quo ipſe (mirabile dictu) mor-
tuus, & mortis & diaboli deſtruxit imperium, & ma-
ximam ſibi gloriam, æternámque homini ſalutem
tatulit.Videat lector Cyrilli verba,quæ breuitatis ſtu-
dio hîc referre ſuperſedeo. Sed profectò Dominum
iſtud dixiſſe Iudæ, non autem ſatanæ,verba proximè
antecedentia & conſequentia manifeſtè declarant.

Sed circa illa verba.*Hoc autem nemo ſciuit diſcumben-* 101.
An Ioannes ſciuerit quorſum Chriſtus iſta verba dixiſſet Iudæ. *tium, ad quid dixerit ei:* Quæri poſſet, Qui fieri potue-
rit,vt nemo diſcumbentium id ſciuerit, cùm notum
eſſe id potuerit ex ſigno quod Ioanni Dominus de-
dit de ſuo proditore; ſaltem ipſi Ioanni manifeſtum
id fuit, qui vnus tamen erat ex diſcumbentibus. Ad
hoc reſpondendum eſt, illud ſignum & ſoli Ioanni,
& ſecretò eſſe datum à Domino, ita vt aliis non in-
notuerit. Ioannes autem qui ſignum accepit, ſciuit
quorſum illud dixiſſet Dominus; & dicens,neminem
diſcumbentium ſciuiſſe, intellexit de aliis omnibus
præter ſe,& præter Iudam,cui ſenſum illorum verbo-
rum Domini fuiſſe notum ſatis credibile eſt:Niſi for-
tè Ioannes præ nimia triſtitia & turbatione animi
non aduerterit eum ad ſenſum illorum verborum
Domini: ſi autem & ſignum proditoris & ſenſum il-
lorum verborum Domini apertè intellexit Ioannes,
mirum

mirum videri poteſt, cur ipſe non inſurrexerit in Iudam, vel certè indicauerit Petro: ſed fortaſſe Dominus ad hoc eum prohibuit, vel ab iſta cogitatione mentem eius auertit, & impetum animi repreſſit. Illud quoque mirari quiſpiam poſſet, ſi Ioannes poſt *Ioan. 18.* cœnam indicauit Petro proditorem Chriſti eſſe Iudam, quomodo poſtea in horto cùm Iudas dux eorum qui venerant ad comprehendendum Chriſtum, oſculo eis tradidit illum, non irruerit in eum; potiùs enim aggreſſus necare eum fuiſſet quàm Malchum cuius auriculam abſcidit.

Cur Petrus in horto non aduerſus Iudam potiùs quàm aduerſus Malchum inſurrexerit.

TRIGESIMAQVINTA DISPVTATIO.

De pœnitentia Iudæ.

Super illis verbis Matthæi

CAP. XXVII.

Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum & ſenioribus dicens, Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.

103. SOLVS Matthæus in Euangelica hiſtoria expoſuit breuiter ſupradictis verbis Iudæ pœnitentiam: quæ verba nos in hac diſputatione diligenter explicanda & perpendenda ſuſcepimus. *Tunc* hoc aduerbio indicatur tempus quo cœpit Iudam ſceleris ſui pœnitentia; id autem fuit mane primi diei Azymorum, in quo die mortuus eſt Chriſtus, & fuit eo anno dies Veneris. Tunc itaque, cum

Quando Iudam cœperit pœnitentia ſui ſceleris.

iam in domo Pontificis Principes ſacerdotum & ſeniores populi Dominum morti adiudicaſſent,& conſtituiſſent non deſiſtere à ſollicitanda eius nece, quoad ſententiam mortis in eum à Pilato extorquerent: tunc,cùm vinctum Dominum ducerent ad Pilatum, inter primam & tertiam horam diei; tunc, inquam, animus Iudæ pœnitentia proditionis qua Dominum tradiderat Iudæis percuſſus eſt.

Quo animo Iudas prodiderit Christum.

Videns quòd damnatus eſſet. Hinc manifeſtum fit,Iudam non eo animo Dominum prodidiſſe Iudæis, vt vellet eum occidi ab illis, aut quòd crederet fore, vt Iudæi occiderent eum. Sed putauit fore, vt tantùm Iudæi eum includerent in carcerem, & pœna aliqua afficerent.Vel credidit,Chriſtum verbis ſuis placaturum Iudæos,eóſque à ſententia & propoſito eum interficiendi abducturum: vel fortè exiſtimauit,Chriſtum,ſi eum Iudæi tenere ac neci dare vellent, è manibus eorum elapſurum,ſicut aliàs fecerat. 104.

A triplici cauſa pœnitentiam Iudæ proficiſci potuiſſe.

Pœnitentia ductus. Hæc pœnitentia Iudæ à triplici cauſa proficiſci potuit:vel à peſſima eius conſcientia; nam refrigeſcente cupiditate auaritiæ, agnouit & conſiderauit immane crimen quod admiſerat. Tunc Iudæ animo repræſentata eſt Chriſti ſanctitas, manſuetudo miranda, beneficia in ipſum Iudam collata; ſed illud maximè turbabat & horrore implebat eius animum, quod de ipſo prædixerat Dominus, *Bonum erat ei,ſi natus non fuiſſet homo ille.* Potuit quoque illa Iudæ pœnitentia in eius animo excitata eſſe à Diabolo; ſolet nimirum Diabolus quos excæcauit ad patranda ſcelera,eorum poſtea aperire oculos,vt tantam criminum ſuorum fœditatem atque grauitatem videntes atque conſiderantes,nimia triſtitia abſorbeantur; & Dei miſericordiæ diffidentes in profundiſſimum 105.

deſperationis barathum præcipitentur. Potuit etiam illa pœnitentia Iudę profecta eſſe à Deo, vt hæc Iudæ confeſſio magnum eſſet apud Iudæos Chriſti innocentiæ teſtimonium. Etenim Principes ſacerdotum & ſcribæ & ſeniores populi aliquem videbantur habere ſuæ aduerſus Chriſtum impietatis prætextum, eo quòd Iudas vnus ex Chriſti diſcipulis & familiaribus, tanquam propter magna aliqua eius flagitia occulta vulgo, ſed ipſi nota, ab eo defeciſſet, eúmque tanquam hominem noxium ad ipſos detuliſſet. Sed hac Iudæ confeſſione omnis eorum malitiæ prætextus omnino ſublatus eſt. Habuit ſanè Dominus noſter in tempore ſuæ paſſionis multa & perilluſtria ſuæ innocentiæ atque ſanctitatis teſtimonia; Ex hac Iudæ confeſſione, ex abſciſſæ auriculæ reſtitutione, ex proſtratione in terram Iudæorum qui eum capere volebant, ex confeſſione Pilati, & vxoris eius, & Centurionis & latronis in cruce pendentis; ex ſolis eclipſi præter naturæ curſum, ordinémque facta, ex terræmotu, ex patefactione monumentorum, ex diſciſſione petrarum, ex diruptione veli quod erat in templo ante ſancta ſanctorum.

Teſtimonia innocentiæ, & ſanctitatis Chriſti in tempore paſſionis eius.

Luca 22. Ioann. 18. Matth. 27. Luca 23. Matth. 27.

106. *Retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum & ſenioribus.* Hæc verba nonnihil habent difficultatis: Matthæus enim proximè antè dixit, Principes ſacerdotum & ſeniores Chriſtum duxiſſe vinctum ad Pilatum, & poſtea narrat, illos ſtetiſſe coram Pilato efflagitantes ab eo crucifixionem Chriſti: quomodo igitur potuit Iudas inuenire in templo Principes ſacerdotum & ſeniores, & eis referre triginta argenteos? ſed hoc ita ſoluitur: Putandum eſt, ex illis ſacerdotibus & ſenioribus quoſdam iuiſſe cum Chriſto ad Pilatum, alios verò remanſiſſe in templo ſacerdotalibus

miniſterij perfuncturos, & quæ pertinebant ad cultum Dei curaturos, in illo præſertim die primo Azymorum qui erat apud Iudæos admodum religioſus, & feſtus.

Tres partes pœnitentiæ Iudæ.

Habuit porrò Iudæ pœnitentia tres partes, quo- 107.
dammodo ſimiles tribus partibus, quas vera & fructuoſa pœnitentia habere debet. Contritionem dico, & confeſſionem, atque ſatisfactionem ſiue reſtitutionem. Contritionem Iudæ indicant verba illa *pœnitentia ductus*, vehementer enim doluit, quòd Ieſum de ſe optimè meritum tam ingratè atque impiè Iudæis prodidiſſet. Confeſſionem eius pœnitentis continent illa verba: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Illud quoque ſatisfactionem eius ſiue reſtitutionem demonſtrat, quòd reddidit Iudæis triginta argenteos, pro quibus Chriſtum Iudæis tradiderat; hac nimirum reſtitutione putans fortaſſe leuaturum ſe crimen ſuum, & Iudęorum animos à concepto & deſignato aduerſus Chriſtum ſcelere perficiendo auerſurum. Sed enim iſtam Iudæ pœnitentiam fuiſſe peſſimam, maximéque deteſtandam, in proxima ſequenti diſputatione oſtendemus.

TRIGESIMASEXTA DISPVTATIO.

Peſſimam fuiſſe Iudæ pœnitentiam, maximéque deteſtandam.

MVLTIS ex rebus manifeſtum eſſe poteſt, 108.
iſtam Iudæ pœnitentiam fuiſſe peſſimam & execrandam. Principio, Iudas in iſta ſua pœnitentia oſtendit, ſe non rectam habuiſſe diuinitatis Chriſti fidem; dixit enim. *Peccaui tradens ſangui-*

nem

nem iuſtum:id autem eſt, Peccaui in hominem iuſtum, non autem in eum qui erat verus Chriſtus, veruſque Dei filius: credidit itaque illum eſſe tantùm hominem. Hoc perpendens Beatus Leo in ſermone primo de Paſſione Domini, Dicendo, inquit, *tradens ſanguinem iuſtum*, manifeſtè ô Iuda in tuæ impietatis perfidia perſtitiſti; quia Ieſum non Deum, nec Dei filium, ſed noſtræ tantùm conditionis hominem credidiſti: cuius tu flexiſſes miſericordiam, ſi non negaſſes potentiam. *B. Leo.*

109 Deinde, iſta Iudæ pœnitentia deſperationis plena, maximam infinitæ bonitati Dei ac miſericordiæ iniuriam fecit: putauit enim maius eſſe crimen ſuum, quàm vt ſibi à Deo remitti & condonari poſſet; imitatus videlicet fratricidam Cain, qui dixit, *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear*; & verò, ſcelus Iudæ quodammodo ſimile fuit crudelitati Cain aduerſus fratrem ſuum Abel. Beatus Leo in ſermone 5. de Paſſione Domini peſſimam Iudæ pœnitentiam perpendens: Meritò, inquit, propheta Dauid de Iuda prædixerat, *Oratio eius fiat in peccatum*, quoniam conſummato ſcelere, tam peruerſa impij Iudæ conuerſio fuit, vt etiam pœnitendo peccaret. Et hanc quidem pœnitentis Iudæ deſperationē præfigurauerat quondam in veteri Teſtamento Achitophel; qui fuerat antea Dauidis amicus & familiaris, poſtea tamen aduerſus eum cum Abſalone coniurans atque conſpirans, conſilium dedit de perdendo Dauide; quod neglectum eſſe videns ab Abſalone, & proſpiciens animo infœlicem fore illius coniurationis exitum, abiit, & ſuſpendit ſe, vt ſcriptum eſt in libro ſecundo Regum cap. 17. & 18. *Iudam fuiſſe ſimilem Cain.* *Geneſis 4.* *B. Leo.* *Locus. Pſal. 108.* *Achitophel figura Iudæ.*

110. Beatus Leo in ſermone 3. de Paſſione Domini,

B.Leo. deſperationem Iudæ grauiſſimis verbis reprehen-
dens, Cur(inquit)ò Iuda de Chriſti bonitate diffidis,
qui te ad Apoſtolatum elegit, edendorúmque mira-
culorum poteſtate ornauit, & ad ſui corporis & ſan-
guinis communionem admiſit; nec tibi ad ſe com-
prehendendum cum armatorum cohorte venienti
Pſal. 77. pacis oſculum negauit;ſed nimirum homo inconuer-
Pſal. 108. tibilis, ſpiritus vadens, & non rediens, cordis tui ſe-
quutus es rabiem:& ſtante Diabolo à dextris tuis,ini-
quitatem, quam in ſanctorũ omnium armaueras ca-
put,in tuum ipſe verticem retorſiſti: vt quia facinus
tuum omnem menſuram vltionis exceſſerat,te habe-
ret impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna car-
nificem.Idem Leo in ſermone vndecimo de paſſione
Domini, A ſpe (inquit) diuinæ miſericordiæ conſe-
B. Leo. quendę alienatus impius Iudas inſurrexit in ſe ipſum,
non iudicio pœnitentis, ſed furore pereuntis. At qui
vitæ auctorem interfectoribus eius vendidiſſet,in au-
gmentum ſuæ damnationis, etiam moriendo pecca-
ret. Et in ſermone 3. De Paſſione Domini, ſceleſtior,
inquit,omnibus,Iuda,& infœlicior extitiſti, quē non
pœnitentia reuocauit ad Dominũ,ſed deſperatio tra-
xit ad laqueum. Miſerrime periens mortis genere,
quo rebellis quondam patri ſuo perierat Abſalon.

TRIGESIMASEPTIMA DISPVTATIO.

De infœlici Iudæ interitu.

DE interitu Iudæ hoc tantum ſcripſit Mat- 111.
thæus cap.27. *& abiens, laqueo ſe ſuſpendit.* B.Pe-
trus, referente Luca in lib. de Actis Apoſto-
lorum cap.1.dixit, *ſuſpenſus, crepuit medius, & diffuſa ſunt
omnia*

omnia viſcera eius. Theophylactus ſuper Matthæi cap. 27. ait, Iudam non periiſſe in ipſo ſuſpendio, ſed fracto ligno ex quo pendebat, vel rupto laqueo quo ſuum ipſe collũ obſtrinxerat, ſuperuixiſſe; Deo ipſum conſeruare volente vel ad pœnitentiam, vel ad maiorem eius confuſionem, vel in exemplum aliorum. Refert quoque traditum eſſe à quibuſdam, Iudam poſt ſuſpendium hydropico morbo vehementer laboraſſe: cúmque ſemel ex quodam loco pronus cecidiſſet, inflatum ac diruptum periiſſe. Euthymius quoque ſuper Matth. cap. 27. Non, inquit, Iudas in illo ſuſpendio periit, ſed agnitus à quibuſdam illac prætereuntibus depoſitus eſt ne præfocaretur. Poſteaquàm autem in ſecreto quodam loco breui vixiſſet tempore, præceps ex quodam loco factus crepuit, & diruptus effudit omnia viſcera. Oecumenius in Collectaneis in librum de Actis Apoſtolorum idem ſenſit, & confirmat ex quadam ſcriptura Papiæ qui fuit diſcipulus Ioannis Apoſtoli. Addit præterea, quoſdam tradidiſſe, Iudam poſt ſuſpendium toto intumuiſſe corpore, ita vt nec ipſe lumen videre poſſet, nec oculi eius apparerent; & ex eius corpore multam ſaniem & vermes ebulliuiſſe. Qui tandem poſt multa tormenta & cruciatus in ſuo prædio mortuus, tantum inibi fœtorem reliquit, vt locus ille inhabitatus & deſertus vſque ad illud tempus permanſerit, nec quiſquam illac, niſi obturatis naribus, tranſire poſſet. Hæc de interitu Iudæ Theophylactus, Euthymius, & Oecumenius prodiderunt.

Theophylactus.

Iudam in ſuo ſuſpendio non periiſſe, ſed ſuperuixiſſe, & poſtea hydropico morbo laboraſſe, & ex corpore eius vermes ebulliuiſſe, à quibus putatum & proditum fuerit.

Euthymius.

Oecumenius.

Papias.

111. Auguſtinus in libro Quæſtionum Noui & Veteris Teſtamenti, in quæſtione 94. ex Nouo Teſtamento, ait, Iudam periiſſe poſt mortem Domini: ſed nec liber ille eſt Auguſtini, & Iudam periiſſe ante mor-

Auctor Quæſtionũ Noui & Veteris Teſtamenti.

Digitized by Google

B. Leo. tem Domini non obſcurè ſignificat B. Leo in ſermone 3.& 11.de Paſſione Domini, ídque ſatis indicat Matthæus de interitu Iudæ ita ſcribens cap. 27. *Videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus eſset, ductus pœnitentia retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens, Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris: & proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit.* Quòd autem in ipſo ſuſpendio Iudas perierit, perſpicuè oſtendunt illa Petri verba, *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Ergo nec ſententia Theophylacti, Euthymij, & Oecumenij, nec Traditiones aliorum quas ipſi referunt, vllam habent probabilitatem.

Quatuor diſputationes ſuper recubitu Ioannis in ſinu, & ſuper pectus Ieſu.

TRIGESIMAOCTAVA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 23. *Erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis in ſinu Ieſu.*

VERS. 25. *Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu.*

De modo quo Ioannes recubuit in ſinu & ſupra pectus Ieſu, ſententia Fabri & Caietani exponitur, & refellitur.

PERDIFFICILE ad intelligendum mul- 113.
tis viſum eſt, quomodo Ioannes in illa cœna non indecorè neque inurbanè in ſinu

& ſuprà

vt ſupra pectus Ieſu recumbere potuerit. Hoc autem propterea difficile iſtis fuit intelligere, quòd imaginarentur, Chriſtum & Ioannem ceteróſque Apoſtolos in illa cœna fuiſſe ea corporum poſitura, qua nos prandentes vel cœnantes eſſe ſolemus, id autem eſt ſedentes quod profectò ſecus fuit, vt nos pluribus argumentis oſtendemus.

114. Ea qua dixi imaginatione deceptus Faber Stapulenſis, quoniam ruſticanum nimis futurum fuiſſe iudicabat, ſi grandis iam corpore & ætate Ioannes in ſinu domini recubuiſſet, eo videlicet modo quo dormiturientes puluino incumbunt; propterea putauit, non aliud ſignificari recubitu illo Ioannis in ſinu Domini, quàm Ioannem propiùs cæteris Apoſtolis ſeſe acclinauiſſe ad Chriſtum, vt propemodum ſinui & pectori eius videretur incumbere; quemadmodum ſolent facere qui aliquem narrantem attentiùs audire, vel ex aliquo ſecretius quippiam percontari cupiunt. Sed hæc interpretatio Fabri minimè congruit cum verbis B. Ioannis, quibus apertè dicitur ipſum recubuiſſe, vel vt Græca ſonant, incidiſſe ſupra pectus Ieſu, ex quo intelligitur, Ioannem caput ſuum declinaſſe ſupra pectus Ieſu, & ibi quieuiſſe: fortaſſe Chriſto caput Ioannis altero brachio ſuo amplectente; vel cùm Ioannis caput requieſceret ſuper pectus Ieſu, brachium eius dependebat ad inferiorem ſinũ Chriſti. Huiuſmodi autem recubitus Ioannis, inquit Beda, non ſolùm præſentis erga ipſum amoris Chriſti indicium fuit, ſed etiam præſagium futuræ ſapientiæ, quam ex diuino illo Chriſti pectore hauſtam, poſtea Ioannes prædicando, ſcribendóque mortalibus patefecit.

Faber Stapulenſis.

Beda.

115. Nec ſanè minùs quàm hæc Fabri, eſt improbabilis

Caiet. interpretatio Caietani: qui explanans illa verba. *Erat ergo vnus ex Diſcipulis recumbens in ſinu Ieſu:* hunc in modum ſcribit: Siue ſedendo, ſiue iacendo Apoſtoli in illa cœna diſpoſiti eſſent ad veſcendum, neutro tamen modo congruens videtur, vt Ioannes in gremio Chriſti ſederet vel iaceret; talis enim ſitus nimis ineptus atque indecẽs fuiſſet. Quocirca, vocabulo ſinus Chriſti, vel fluentem eius veſtem, vel ſpatium quod extenſione aut complexione brachij Chriſti comprehendi poterat, intelligere oportet. ſignificatur enim iſtis verbis, Ioannem fuiſſe in illa cœna contiguum Chriſto, quippe qui ſederet in ſinu veſtis Chriſti, vel intra ambitum & ſpatium quod extento Chriſti brachio comprehendi poterat. Hæc Caietanus, cuius interpretationem nimis eſſe contortam & incongruam, & alienam ſententiæ verborum B. Ioannis ſatis per ſe manifeſtum eſt. Nobis itaque declarandũ eſt, quemadmodum B. Ioannes in ſinu & ſupra pectus Domini non indecenter recubuerit, paulo altiùs huius rei explicationem repetentibus.

TRIGESIMANONA DISPVTATIO.

Iudæos Chriſti tempore more Romanorum ſuas egiſſe cœnas & conuiuia.

ANTE omnia, illud nos quaſi fundamentũ 116.
ſupponentes iis quæ dicenda ſunt, affirmamus, Iudæos quo tempore Chriſtus Dominus vixit in terris, in ſuis cœnis & conuiuiis agendis ſeruaſſe morem Romanorum: vel quòd is mos iam pridem, quacumque Romanum patebat imperium, præſertim autem apud gentes Orientis, inter quas Iudæi

dæi numerabantur, inualuiſſet: vel quòd Gens Hebræorum iam inde à Pompeio Magno Romanorum imperio ſubiecta, eorum mores & inſtituta, quæ patriis videlicet legibus minimè repugnabant, vel adulationis vitio, vel ambitioſa quadam æmulatione libenter ſuſcepiſſet. Nimirum, Iudæis ſolenne fuit gentium quibuſcum verſarentur, vel quarum dominatu regerētur, moribus & ſuperſtitionibus infici. His accedit, quòd Chriſti tempore Rex Herodes, qui primus alienigenarum Iudæis imperauit, totus Romanorum, à quibus Iudææ Regno donatus fuerat, obſequiis, & gratificationibus addictus fuit; multáq; in Iudæorum mores ex imitatione Romanorum expreſſa induxit, idémque poſt eum poſteri & ſucceſſores eius factitarunt. Huc etiam pertinet quod in Iudæa magnus erat numerus Romanorum militum in præſidiis diſpoſitus, & poſt ablegationem Archelai, à Romanis procuratoribus adminiſtrata eſt Iudæa. Hæc itaque cum vera ſint (ſunt certè vero admodum ſimilia) planè conſequens eſt, quæ Romani ſeruabant in cœnis & conuiuiis, eadem ſeruare Iudæos id temporis fuiſſe ſolitos.

117. Quæ Romani ſeruabant in conuiuiis, eadémque Chriſti tempore ſeruabantur à Iudæis, ea poſſunt ad hæc tredecim capita reuocari. Primò locus in quo cœnas & conuiuia agebant Romani, appellatur cœnatio, cœnaculum, conclaue, & triclinium, licet vocabulo triclinij nonnunquam appellentur lecti in quibus diſcumbebant ad cœnandum. Locum etiam in quo Chriſtus vnà cum diſcipulis ſuis vltimam cœnā egit, Lucas cap. 22. appellauit cœnaculum grande ſtratum: ſtratum dixit, tribus videlicet lectis, vnde triclinij nomen ductum eſt. Tribus autem lectis diſcubuiſſe

Tredecim res quæ in cōuiuiis, & à R. & à Iudæis ſeruabantur.

Primò. Locus conuiuij quomodo appellaretur.

Chriſtum & Apoſtolos, illud indicio eſt, quòd cùm
eſſent tredecim, omnes tamen in eandem patinam
manum, cibum ſumentes, inferebant, vt ex illis Do-
mini verbis licet intelligere. *Qui attingit mecum manum
in paropſide, hic me tradet*, id autem eſt, vnus ex vobis tra-
det me; omnes enim ex eadem patina cibum capie-
bant: non itaque illis verbis Dominus vnum aliquem
certum diſcumbentium deſignauit: tredecim porro
ex vna & eadem patina cibum omnes capere, ſi men-
ſæ fuiſſent perpetuæ, nequaquam potuiſſent.

Secundò. *Lotio corporis ante conuiuium.*

Romani non niſi antè loti conuiuia inibant; quin 118.
etiam ſæpe ex balneis egreſſi ſeſe ad menſam confe-
rebant. Apoſtolos quoque in illa vltima cœna fuiſſe
antea lotos facie, manu & capite quidam ex eo con-
iectant, quod Dominus dixit Petro; *Qui lotus eſt non in-
diget niſi vt pedes lauet.* Marcus certè c. 7. ſcribit Iudæos
crebrò lauari, nec niſi antè lotos ſumere cibum ſoli-
tos: & apud Lucam cap. 11. Phariſæus ille qui Dominum
inuitauerat, mirabatur quòd non eſſet baptizatus an-
te prandium: ſolemne quippe Iudæis fuit, ante cibum
lauare faciem, manus & pedes.

Ioann. 13.

Vnctio ante conuiuiũ.

Romani priùs benè vncti accumbebát conuiuio, 118.
idé quoq; factitatú eſſe apud Iudæos, ex eo licet exi-
ſtimare quod Chriſtus, vt narrat Lucas cap. 7. Phari-
ſæo qui eum inuitauerat, quaſi ſolitæ humanitatis of-
ficium ab eo prætermiſſum alloquens obiecit, quòd
caput ſuum oleo non vnxiſſet. & apud Matthæum
cap. 6. Dominus inquit, *Tu autem cum ieiunas, vnge caput
tuum.* vt videlicet non ieiunare, ſed iam prandiſſe vi-
dearis. Ob id quoque Maria ſoror Lazari, vnguentum
effudit ſuper caput Domini cœnantis: quod niſi fieri
mos tunc fuiſſet in conuiuiis, nequaquam facere auſa
eſſet Magdalena.

Quartò

120. Quartò. Romani accubituri mutabant veſtes, quò mundiores videlicet & hilariores conuiuarentur. In antiquis certè marmoribus Romanis, accumbentes in triclinarijs lectis magna ex parte, veſte duntaxat vna ſuper nudo tecti conſpiciuntur. Idem quoque ſeruatum eſſe in conuiuijs Iudæorum, non obſcurè ſignificat illa parabola Euangelica de eo, qui intrauerat in conuiuium non habens veſtem nuptialem, ob idque iuſſus eſt proijci in tenebras exteriores. *Quartò. Mutatio veſtis.* *Matth. 22.*

QVADRAGESIMA DISPVTATIO.

Romanos & Iudæos cœnantes & conuiuantes non ſediſſe in ſcamnis vel in ſellulis, ſed accubuiſſe in lectis, & in altis lectis, & nudis pedibus: & quid ſit in conuiuijs recumbere in ſinu alicuius.

121. ROMANOS cœnantes & conuiuantes non ſediſſe in ſcamnis vel in ſellulis, ſed accubuiſſe in lectis, manifeſtum eſt legenti antiquos ſcriptores, Varronem, Ciceronem, Virgilium, Horatium, Valerium Maximum, Senecam, Plutarchum, Suetonium, Macrobium, Seruium Virgilij interpretem, alioſque, ſicut manifeſtis eorum exemplis confirmat Philander in Commentarijs quæ in Vitruuium edidit explanans Cap. 5. lib. 6. idémque præſtitit Mercurialis in ſua Gymnaſtica, in cap. XI. lib. 1. Idem quoque perſpicuum eſt ex antiquis Romanorum marmoribus, in quibus cœnantes & conuiuãtes, eo quem dixi corporum habitu, poſitúque expreſſi cernuntur. Huiuſmodi autem marmora, ante annos triginta, multa Romæ viſebatur, vt in palatio Cardinalis Maffei, in domo Sabelliorum, in Palatio Farneſij, quod vulgò appellatur *del Duca*, & trans Tiberim in ædibus *Quintò.* *Philander.* *Mercurialis.*

Matthæi Saſſij è regione ſancti Chryſogoni. Extra
Vrbem verò Tiburc in vinea Domini Mancini,& Pa-
tauij in nouis Iudæorum ſeptis. Philander quoque
ait,ſimilia marmora vidiſſe ſe duo Venetijs, & vnum
Mutinæ, & Romæ vnum in æde ſancti Euſtachij : Iu-
dæos quoque,Chriſti tempore, non ſedendo, ſed ac-
accumbere, recumbere, diſcumbere cumbendo in lectis,cœnas & conuiuia egiſſe, præter
morem Romanorum,quem ipſi tunc,vt ſuprà oſten-
dimus, imitabantur, ſatis indicant verba illa quibus
Euangeliſtæ, cùm de Iudæorum cœnis & conuiuijs
ſcribunt,vſi ſunt,vt videre licet apud Matthæum cap.
26.Marcum cap.16.Lucam cap.7.11. 14. 24. apud Ioan-
nem cap.12.& 13.

Romanos antiquitus etiam ſedẽdo cœnaſſe. Non me fugit, priſcos Romanos etiam ſedendo 122.
conuiuari & cœnare ſolitos, vt ſupradictis in locis
Philander & Mercurialis demonſtrant. Marcus certè
Philander. Varro, & Seruius explanans illa Virgilij verba (Per-
Mercurialis. petuis conſidere menſis)affirmant,antiquitus Roma-
M.Varro nos tam viros quàm fœminas in cœnis & conuiuijs
Seruius. conſediſſe;poſtea viros quidem accubuiſſe, fœminas
verò aſſediſſe;ad extremum tam viros quàm fœminas
Virgilius. accubuiſſe. Virgilius in extremo 1. lib. Æneidos facit
Tyrios & Troianos pictis diſcumbere lectis.

Veteres quoque Hebræos in cœnis & conuiuijs ſe- 123.
diſſe, ex veteri Scriptura ſacra licet conijcere : nam
Gen. 43. vbi narratur conuiuium quod Ioſeph fecit
fratribus ſuis,ita ſcriptum eſt.*Sederunt coram eo primoge-
nitus iuxta primogenita ſua,& minimus iuxta ætatem ſuam.*
& Exodi 32.*Sedit populus manducare & bibere,& ſurrexe-
runt ludere.* & Iudicum 19. *Sederúntque ſimul, ac comede-
runt,& biberunt.*& 1.lib.Regum cap.20.*Venerunt Kalen-
dæ,& ſedit Rex ad comedendum panem,* & 3. Reg. cap. 13.
Cúmque ſederet ad menſam,factus eſt ſermo Domini ad Pro-

phetam

phetam.& Prouerb.cap.23.*Quando ſederis vt comedas cum Principe &c.*& Eccleſiaſtici c. 31. *Et ſi in medio multorum ſediſti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poſcas bibere.*

124. Mos etiam fuit apud Romanos, vt cœnantes & conuiuantes in altis lectis ſeu thoris accumberent: quod à Troianis & Tyrijs,ſiue Cathaginenſibus fortaſſe acceperunt. Virgilius enim initio lib.2. Æneidos de Ænea ſcripſit; *Septimò. In lectis altis accumbere.*

Vnde thoro pater Æneas ſic orſus ab alto.

Chriſtum quoque in altiori lecto cœnaſſe apud Phariſæum, illud eſt argumento, quòd mulier illa peccatrix, vt narrat Lucas cap.7.pedes Domini cœnantis lacrymis lauit, capillis ſuis terſit,& oſculata eſt,id autem fecit non procumbens,nec genibus nixa,ſed, vt dixit Lucas, ſtans retrò ſecus pedes eius, quo euidenter oſtenditur altitudo lecti in quo diſcumbebat Dominus. *Locus Lucæ cap. 7.*

125. Solebant item Romani cœnaturi & conuiuia inituri, priùs detrahere ſibi ſoleas, & nudis pedibus accumbere. Chriſtũ etiam in vltima cœna nudos Apoſtolorum pedes lauiſſe creditur,& Magdalena nudos Chriſti cœnantis pedes lauit & vnxit. *Octauò. Nudis pedibus accumbere in conuiuio.*

136. Illud porrò ſolitum fuit in conuiuijs apud Romanos, vt liberos ſuos, aut eos quos præcipuè caros habebant, infra ſe,id autem eſt, in ſinu ſuo collocarent. Nam id eſſe recumbere in conuiuiis in ſinu alicuius nec obſcurum,nec dubium in Veterum lectione verſatis eſſe poteſt. Beatus quoque Ioannes, quem præ ceteris diligebat Ieſus,in vltima cœna recubuit in ſinu Domini, & ſe in pectus eius ſanè quàm familiariter reiecit. Sanctus Ambroſius explanans verba illa de filio prodigo, quæ ſunt apud Lucam cap. 15. *cecidit in* *Nonò. Quid ſit in cõuiuiis recumbere in ſinu alicuius.*

collum eius: Nonne, inquit, tibi videtur Chriſtus inci-diſſe in collum Ioannis, quando Ioannes erat in ſinu eius ceruice recumbens reflexa,& ideo verbum quod *Ioan.1.* erat in principio apud Deum vidit, quia euectus eſt ad ſuperna.

QVADRAGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

Quis locus eſſet in conuiuijs honoratior: De numero conuiuarum & lectorum qui ſternebantur in conuiuio: Ex vna & eadem patina conuiuas comediſſe: quo poſitu corporis cubarent in lectis: De magiſtro potandi ſeu Rege vini, qui conſtituebatur in conuiuijs.

Decimò. Quis in cōuiuiis eſſet honoratior locus. CETERVM apud Romanos Rex ſacrorum, 127.
qui maximæ dignitatis erat inter Pontifices, in Pontificialibus cœnis ſummum medij lecti locum tenebat, nemine ſupra eum accubante: itaque primus locus in menſa honorem & dignitatem habebat. Similiter etiam apud Iudæos magni hono-*Matth. 23.* ris fuiſſe primos in menſa recubitus, ob ídque à Phariſæis eſſe vehementer expetitos, docet Euangelica hiſtoria. Dominus etiam ſuaſit, vt in conuiuiis non primum ſed nouiſſimum locum capiamus. ſanè Chri-*Luca 14.* ſtum in ea cœna quæ ei facta eſt Bethaniæ, in primo & ſummo lecti loco accubuiſſe, manifeſtum ex eo fit quod alioqui non potuiſſet Magdalena alabaſtrum vnguenti effundere ſuper caput eius, ſi medio ipſe lecti loco accubuiſſet: nec Ioannes potuiſſet in ſinu eius

recum

recumbere, ſi Chriſtus imum & vltimum lecti locum tenuiſſet.

Licet autem in conuiuiis Romani ſingulis in lectis terni diſcumberent, ita vt omnes conuiuę noue eſſent quem numerum, propter honorem nouem Muſarum conuiuiis maxime conuenientem & decorum, authore Varrone, teſtatur Gellius lib. 13. cap. 11. non rarò tamen in ſingulis lectis & quaterni, & quini diſcumbebant. De quaternis extat verſus ille Horatij: *Vndecimò. De numero conuiuarũ & de numero lectorum in cõuiuiis. Varro apud Gellium.*

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos. *Horatius.*

De quibus affirmat Cicero in oratione quam habuit in Piſonem, & Macrobius lib. 3. Saturnalium cap. 13. ſimiliter etiam, licet apud Romanos tres in conuiuio lecti ſterni ſolerent, vnde triclinij nomen conuiuij locus accepit, nonnumquam tamen & quaterni & quini; & vſque ad denos & tricenos ſternebantur, vt veterum exemplis, eoquo ſuprà diximus loco confirmat Philander. *Cicero. Macrobius. Philander.*

118\. In illa porro vltima Chriſti cœna Chriſtum & Apoſtolos creditur tribus in lectis diſcubuiſſe: in duobus quidem extremis quini Apoſtoli diſcumbebant; in tertio lecto qui erat medius tres erant, Chriſtus quidem in primo eius lecti loco, qui ab antiquis dicebatur ſummus ſeu ſupremus; in medio eiuſdem lecti loco & infra Chriſtum erat Ioannes, qui autem eo loco diſcumbebat, dicebatur ab antiquis recũbere in ſinu eius qui primo loco eius lecti cubabat. In tertio autem loco eiuſdem lecti erat Petrus, ideóque potuit commodè ſignificare Ioanni vt de proditore ſciſcitaretur à Chriſto. Iudas verò diſcubuit in primo loco extremi lecti qui proximus erat Chriſto ad ſiniſtram eius; ſic enim facilè potuit Chriſtus intinctam panis buccellã ei præbere. Quoniã autẽ Apoſtoli di- *Quo ordine Apoſt. diſcubuerint in vltima cœna.*

uerſis & diſſitis locis diſcumbebant, propterea non potuit Chriſtus manu ſua omnibus & ſingulis Euchariſtiam exhibere, ſed dixit, *Accipite & diuidite inter vos*, Romani præterea in conuiuijs ex eadem omnes patina & in communi comedebant, id enim & vrbanius & amicabilius viſum eſt: quapropter ingentibus vtebantur patinis, qualis fuit patina Æſopi tragœdi, de qua Plinius lib. 10. cap. 51. & patinas Vitellij Imperatoris propter inuſitatam atque enormem earum amplitudinem Mutianus appellabat paludes, vt narrat Plinius lib. 35. cap. 12. Apoſtolos quoque in vltima cœna ex eadem cum Chriſto patina comedisse non obſcure ſignificatur illis Domini verbis. *Qui intingit mecum panem in paropſide hic me tradet*. Cubabant itaque Romani non ſedentes in lectis, ſed iacentes ſiniſtro cubito vel puluillis innixi; aliquando diſtentis cruribus nonnunquam dextero poplite læuum prementes genu, interdum complicitis cruribus in alternas viciſſitudines, aliquando intexantes ſeu ſellis inſidentes, vt antiquis Pomponij verbis vtar, quo poſitu corporis geſtúque ſartores eſſe ſolent, & Turcæ atque alij Orientales populi cœnare.

Duodecimo.
Romanos in cōuiuiis ex eadem patina comediſſe omnes.
Plinius.
Patina Æſopi.
Patinæ Vitellij.
Matth. 26.
Quo poſitu corporis antiqui agentes conuiuia cubabāt in lectis.

Romani denique ſuis in conuiuiis magiſtrum potandi ſeu Regem vini (ſic appellabant ipſi) conſtituebant. Et huiuſmodi munus aliquod obijſſe nominatum à Ioanne Architriclinum in nuptijs factis in Cana Galilææ, quibus interfuit Chriſtus, ex eo apparet quod Dominus ex aqua vinum à ſe factum ei tantum afferri guſtandum iuſſit; vt eius videlicet qui conuiuio præfectus erat iudicio & teſtimonio probaretur. 129

Decimotertio.
In cōuiuiis Romanorū magiſter potandi ſeu Rex vini.
Ioann. 2.

Atque hæc quidem à nobis ſupermodo cœnandi 130
& conuiuandi apud veteres Romanos & Iudæos tempore Chriſti breuiter diſputata ſint: non enim omnia

quæ

quæ dici poterant coaceruáda hoc loco erant, ſed ea tantùm ſtrictim attingenda, quæ ad illuſtrandam victimæ Chriſti cœnæ hiſtoriam poſſe non parum conferre videbantur: ſcripſere autem his de rebus Philander in ſuis Commentariis in Vitruuium, & Mercurialis in ſua Gymnaſtica, & Fuluius Vrſinus in Appendice ad lib. Petri Ciacconij de Triclinio: ſed omnium accuratiſſimè atque doctiſſimè amicus & familiaris meus Petrus ipſe Ciacconius, magno vir ingenio, limatóque admodum iudicio, & multa, nec vulgari Romanæ & Eccleſiaſticæ antiquitatis eruditione præditus, paruóque libro, qui de Triclinio Romano inſcriptus eſt, ingentem apud viros doctos laudem conſecutus. Quem ego virum ante annos triginta, cùm is Romæ eſſet priuatim & familiariter mecum hiſce de rebus ſermocinántem audiui, & ſum eius ſermonibus ad hæc ipſa in ſcriptoribus antiquis indaganda curioſè & obſeruanda incitatus.

Philander. *Mercurialis.* *Fuluius Vrſinus.* *Laus Petri Ciacconij.*

DISPVTATIONES NOVEM,

Super illis verbis:

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoſcent homines, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. VERS. 34.

DIXERAT paulò antè Chriſtus diſcipulis ſuis ſe diſceſſurum ab eis, & abiturum in cælum, ipſóſque corporali eius præſentia & conſuetudine priuatos, aliquamdiu manſuros in terris. Decebat itaque talem tantúmque eorum parentem &

magiſtrum vt per mortem ab eis diſceſſurus, nouiſſimum aliquod eis documentum & mandatum daret, quod & ſibi omnium eſſet gratiſſimum, & illis eſſet omni tempore vtiliſſimum. Hoc autem fuit mandatum de mutua eorum dilectione: cuius mãdati quanta ſit præſtantia, vis, neceſſitas, efficacitas, & vtilitas, quæſtionibus aliquot propoſitis hoc loco, explicatiſque oſtendemus.

QVADRAGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

Exponuntur octo rationes,

Cur mandatum de dilectione Dominus appellauerit mandatum nouum.

CVm præceptum de dilectione Dei & proximi fuerit antiquiſſimum, vtpote datum à Deo per Moyſem Iudæis, Leuitici 19. *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum.* & Deuteronomij cap. 6. *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Cur Dominus appellauerit mandatum nouũ, complures, neque improbabiles rationes afferri poſſunt. Primò, ſecundum Auguſtinum dicitur mandatum nouum, quia eius obſeruatio exuit nos veterem hominem, & induit nouum qui ſecundum Deum creatus eſt, vt ſcripſit Paulus ad Epheſ. 4. Charitas enim cor mundũ creat in nobis, & Spiritũ rectum innouat in viſceribus noſtris: charitas omnia in nobis facit noua corda, voces & opera. Secundò, dicitur nouum, vt placet Chryſoſtomo, non quantum ad actum diligendi, qui etiam in veteri lege præceptus

131.

Auguſt.

Pſal. 50.

Chryſoſt.

ceptus fuit, ſed quantum ad modum diligendi, qui modus præſcribitur illis verbis *Sicut dilexi vos*, id autē tribus modis poteſt intelligi: vel ſecundum Chryſoſtomum vt non mercenariē nec quæſtuoſē diligamus proximum, ſed planē gratuitò: ſic enim Chriſtus dilexit nos: vel ſecundum Cyrillum, vt diligamus proximum pluſquàm nos ipſos, id autem eſt, vt pro ſalute animæ proximi omnia bona noſtra temporalia & corporalia, quin etiam, ſi opus fuerit, vitam ipſam libenter profundamus; ſic enim Chriſtus dilexit nos, & poſuit animam ſuam pro nobis, ob idque dicebat ipſe, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat &c.* Vel ſecundum Caietanum, vt non tantum amore naturali vel humano diligamus proximum, ſicut diliguntur conſanguinei vel ſodales & amici, ſed amore ſpirituali & diuino; in ordine videlicet ad ſalutem animæ eius & ad vitam æternam, omnibus bonis corporalibus & temporalibus & ipſius proximi & noſtris præferentes bona eius ſpiritualia & æterna.

Quid ſit diligere proximum ſicut Chriſtus dilexit nos, triplex interpretatio.

Chryſoſtomus.

Cyrillus.

Ioan. 15.

Caietanus.

132. Tertiò, Mandatum dilectionis dicitur nouum, quia in Nouo Teſtamento & in lege noua Euangelica multò frequentiùs quàm alia mandata traditur & inculcatur, & excellentiùs commendatur. In lege veteri frequens mentio fit ſabbatorum, neomæniarum, oblationum, ſacrificiorum, aliarumque cæremoniarum, rara verò præcepti dilectionis: in noua lege contrà fit, rarò cæremoniæ nominantur, charitas paſſim commendatur & præcipitur. Quartò, nouum dicitur mandatum dilectionis, quia nouis & inauditis & omnem admirationem excedentibus exemplis in noua lege declaratum & confirmatum & celebratum eſt, exemplis inquam & ipſius Chriſti & Apo-

ſtolorum,& innumerabilium Sanctorum, qui mandatum hoc dilectionis proximi perfectè impleuerunt. Quintò, ex præceptis antiquæ legis in noua lege quędã penitus abrogata & antiquata ſunt, vt quę vocabantur cæremonialia; aliorũ verò quæ dicebantur iudicialia, ſoluta fuit obligatio; eorum autem quæ appellabantur moralia, quibus & actus virtutum præcipiebantur, & vitia prohibebantur, & ſuper omnia huius præcepti dilectionis denuo renouata & ſeueriſſime omnibus impoſita eſt obligatio.

Sextò, nouum vocatur, quia cùm debitum dili- 133
gendi proximum ſemper debeat ſolui, nihilominus tamen noua ſemper manet eius ſoluendi obligatio,
Rom. 13. ſecundum illam Pauli ſententiam. *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis*: & ſicut quò aliquid magis nouum eſt, eo magis propinquum eſt ſuo principio, ita per charitatem maximè appropinquamus & vnimur Deo. Septimò, nouum dicitur, quia non niſi nouo ſpiritu perfectè impleri poteſt, id autem eſt, ſpiritu libertatis & amoris; *Charitas enim Dei* (dixit
Ad Rom. 5. Paulus) *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Octauò, nouum appellatur, quia cùm eſſet iam hominum moribus antiquatum, vitiiſque obſcuratum, & imperfectè à Iudæis intelle-
Matth. 5. ctum; Chriſtus ipſum renouauit extendens vſque ad inimicos, & ſuper omnia commendauit; nec tantùm explicando declarauit, verùm etiam perfectè obſeruando adimpleuit: & pro variis atque innumerabilibus legis Moſaicæ præceptis, hoc vnum maximè à nobis exegit. Hinc itaque apparet, cur B. Ioannes in ſua prima epiſt. cap. 2. ſcripſerit, hoc præceptum dilectionis, & eſſe nouum, & non eſſe nouum. Non enim eſt nouum ſimpliciter & omnino, quia fuerat etiam

Cur præceptum dilectionis à Ioanne dictum fuerit & nouum & non nouum.

in lege veteri, & ab initio mundi: nouum autem erat, quia renouatum à Chriſto fuerat, nouo modo declaratum, nouóque & admirabili exemplo ſuo confirmatum.

QVADRAGESIMATERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vt diligatis inuicem.

De duodecim rebus quæ Chriſtianos ad mutuam dilectionem vehementer inuitare debent.

134. QVINQVE ſunt mutuæ hominum dilectionis genera: eſt diabolica quædam inter homines dilectio aduerſus bonos & ſanctos, vt Hæretici inter ſe diligunt vt concorditer oppugnent Catholicos. Eſt mutua dilectio carnalis & flagitioſa, vt inter fornicatores & adulteros. Eſt mutua dilectio naturalis, vt inter cognatos & conſanguineos. Eſt mutua dilectio humana & moralis, vt inter ſodales & amicos. Eſt denique dilectio verè Chriſtiana, qua diliguntur omnes propter Deum, & in ordine ad æternam ſalutem & fœlicitatem. Chriſtianæ porrò dilectionis tres ſunt gradus; infimus, redamare amantem; ſuperior, amare non amantem; ſupremus, amare etiam odio proſequentem.

Quinque genera dilectionis proximi.

Tres gradus dilectionis Chriſtianæ.

135. Multa verò ad diligendum proximum incitare nos debent: Primò, ſimilitudo naturæ: omne enim

animal diligit ſibi ſimile, & hæc ratio traditur & explicatur in libro Eccleſiaſtic. cap. 13. Secundò, quia
Gen. 1. omnes ab eodem opifice Deo, & ad eius imaginem & ſimilitudinem facti ſumus, & hanc rationem Ma-
Locus Malachiæ ca. 2. lachias cap. 2. exaggerat illis verbis: *Nunquid non pater vnus omnium noſtrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo deſpicit vnuſquiſque noſtrum fratrem ſuum?* Tertiò, quia omnes homines propter eundem finem vltimum conditi ſunt. Quartò, quoniam ab eodem omnes homines Domino & Rege paſcuntur, gubernantur, & conſeruantur: & hæc quidem in commune ſpectant ad omnes homines, quæ autem ſequuntur, propriè ad Chriſtianos pertinent. Quintò, Omnes Chriſtiani ab eodem patre Deo, & ex eiuſdem matris Eccleſiæ vtero, per idem ſemen verbi Dei, idémque Baptiſmi ſacramentum ſpiritualiter regenerati ſumus
Ioan. 3. in vitam æternam. Sextò, omnes Chriſtiani eadem fide imbuti & inſtructi ſunt, eadem ſpe cœleſtis, æternæque fœlicitatis ſuſtentantur, eadémque illis diligenda, & conſectanda bona ſunt propoſita. Septimò, omnes ſumus membra eiuſdē corporis Chriſti, eiuſdem magiſtri ſumus diſcipuli, eandē profitētes diſciplinam; eiuſdémque Imperatoris milites ſumus, aduerſus eoſdem hoſtes belligerātes, eaſdémque victorias & triumphos & præmia expectantes. Octauò, eodem Chriſtiani diuino cibo potúque corporis & ſanguinis Chriſti inſpiritualem ęternámque vitam aluntur, reficiuntur, vegetantur, & roborantur. Nonò, putare debent Chriſtiani ſimiliter ſe omnes à vera patria ſua exulare, & tamquam peregrinos in terris tendere ad ſuam ciuitatem quæ in cœlis eſt; & ſe paucos eſſe præut ſunt infideles ac reprobi, & in medio nationis prauæ verſari, & ideo ſe ipſos mutuis Chriſtia-

næ dilectionis officiis conſolari & confirmari debent.

136. Decimò, Eccleſia in terris militans, imago quædam eſt Eccleſiæ triumphantis quæ eſt in cœlis, in qua inter ſe omnes inenarrabili charitate & concordia indiſſolubiliter coniuncti ſunt. Decet itaque Chriſtianos viatores, illorum comprehenſorum & Beatorum, quoad fieri poſſit, imitatores & æmulos eſſe. Vndecimò, nihil in hac mortali vita & conuerſatione hominum dulcius & ſuauius eſt mutua & ſincera eorum inter ſe dilectione & concordia; ſicut Dauid dixit: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum &c.* Nihil item firmius & valentius eſt ad tuendum & amplificandum bonum vel priuatum vel publicum, quàm ea quæ per veram dilectionem fit concordia; verum enim illud eſt quod ſcripſit Salluſtius: Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Duodecimò, Nihil denique potentius & efficacius eſt ad conuertendos infidelium animos ad fidem Chriſti, quàm mutuus Chriſtianorum inter ſe amor & concordia. Tria etenim primos illos Chriſtianos fecere mundo admirabiles, & venerabiles, ſimúlque amabiles: primò, contemptus diuitiarum, honorum, voluptatum, aliorúmque bonorum temporalium quæ plerique mortales flagrantiſſimè concupiſcunt atque conſectantur. Deinde, inuicta patientia & conſtantia in perferendis rebus maximè aduerſis & calamitoſis, & acerbiſſimis corporis cruciatibus pro ſuæ diſciplinæ ac religionis confeſſione & defenſione. Tum, tantus Chriſtianorum omnium inter ſe amor, tantáque concordia, vt omnium eſſe videretur cor vnum & anima vna. Harum rerum contemplatione, admirationéque permoti Gentiles,

Pſal. 132.

Salluſtius.

Actorũ 4.

conuertebantur ad Chriſti fidem quamplurimi.

QVADRAGESIMAQVARTA DISPVTATIO.

VERS. 34. Super illis verbis:

Sicut ego dilexi vos, vt & vos inuicem diligatis.

De ſex modis quibus Chriſtus dilexit nos, & quibus nos etiam debemus inuicem diligere.

HÆc verba vim habent exempli, ſimúlque 137.
documenti. Exempli quidem, vt ſit hic ſenſus; Si ego, tanto maior vobis, tantopere dilexi vos, ſimiliter etiam vos qui paris eſtis conditionis, diligere inuicem debetis. Habent etiam verba hæc vim documenti; docet enim Chriſtus his verbis modum quo debemus proximum diligere, eo ſcilicet modo quo Chriſtus dilexit nos. Sed hoc loco ſcire conuenit, duplicem eſſe regulam diligendi proximum: altera eſt quaſi naturalis, vt diligamus proximum ſicut nos ipſos. nam vt rectè dixit Ariſtoteles, Amicabilia ad alios, ex amicabilibus ad nos ipſos æſtimari debent, id autem eſt, vt quæcumque nobis volumus aut nolumus, eadem quoque proximo velimus & nolimus. Cùm autem dicitur vt diligamus proximum ſicut nos ipſos, illud *ſicut* denotat non æqualitatem, ſed ſimilitudinem, quæ tribus in rebus poſita eſt. Primò, vt diligamus proximum propter eundem finem propter quem nos diligimus, ideſt, propter

Duplex regula diligendi proximum.

Ariſtoteles lib. 8. Ethicorum.

Quomodo proximum diligere debemus ſicut nos ipſos.

propter Deum & propter vitam æternam. Deinde, vt recta & honeſta, non turpi & iniuſta dilectione eum diligamus. Tum, vt non amore concupiſcentiæ, ſed amicitiæ diligamus, ſicut nos ab aliis diligi volumus.

138. Altera regula dilectionis erga proximum eſt ſupernaturalis & diuina, maximéque propria eius hominis qui eſt germanus, perfectúſque Chriſtianus, quæ ſupradictis Chriſti verbis expreſſa eſt, Vt diligamus proximũ, ſicut ipſe Chriſtus dilexit nos. Sex porro modis Chriſtũ dilexiſſe nos obſeruare licet: primò, ſi dilexit homines etiã ſibi cariſſimos, vt eorũ tamẽ vitia nõ ſolùm nõ diligeret, verùm etiã acriter obiurgaret & caſtigaret; hoc autẽ eſt, ordinatè diligere proximũ. *Ordinatè.* Secũdo, Chriſtus dilexit ſuos diſcipulos ſpiritualiter. i. non ſecundum bona temporalia, & mundanam fœlicitatẽ; miſit enim eos tanquam agnos inter lupos, plurimis, maximíſque periculis, ærumnis, calamitatibus, maliſque obiiciens: ſed dilexit eos ſecundum bona ſpiritualia, & propter æternam fœlicitatem. *Spiritualiter.* *Matthæi 10.* *Lucæ 10.* Tertiò, Chriſtus dilexit efficaciter, non tantùm lingua, ſed corde, ore, & opere, omniáque ſua ad hominum vtilitatem eis impertiuit; verbis enim docuit eós, operibus, exemplíſque ad bene agendum animauit & inuitauit, miraculis confirmauit, morte ſua redemit, carne & ſanguine ſuo aluit & refecit, diuinitate ſua beatificauit. *Efficaciter.* Scitè profectò B. Thomas in quodam hymno de Sacramento corporis Chriſti de eo dixit, idque canitur publicè in Eccleſia, *Se naſcens dedit ſocium: Conueſcens in edulium: Se moriens in pretium: Se regnans dat in præmium.* *B. Thomas.*

139. Quartò, Chriſtus dilexit vniuerſaliter omnes, etiam inimicos ſuos; nam in cruce pendens & moribundus pro ſuis crucifixoribus & interfectoribus ro- *Vniuerſaliter.*

Lucæ 23. gauit Patrem dicens, *Pater dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt.* Quapropter Paulus, Dei erga homines etiam peccatores & inimicos ſuos charitatem exaggerans ait. *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus,* *Ad Rom. 5* *Chriſtus pro nobis mortuus eſt; multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cùm inimici eſſemus, recõciliati ſumus Deo per mortẽ Filij eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius.* Quin- *Gratuitò.* tò, Chriſtus vltrò & gratuitò dilexit homines; prior *1. Ioan. 4.* enim ipſe dilexit eos: non enim officiis & obſequiis eorum prouocatus eſt ad diligendum, ſed dilexit immerentes & indignos, diligendo autem eos fecit di- *Perſeuerãter.* gnos ſe. Sextò, dilexit perſeueranter, Ioannes enim in exordio huius capitis ſcripſit de Chriſto, *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* mortuus enim pro hominibus, eo ipſo maximam erga illos, maximéque perſeuerantem oſtendit charitatem ſuam. His itaque ſex modis Chriſtus dilexit homines; & nos ad eius imitationem totidem ſimilibus modis proximum diligere debemus.

Illud porrò quod proximè ſequitur, *Vt & vos diligatis inuicem*, vel eſt repetitio & confirmatio eiuſdem 140. mandati de mutua dilectione, quò id vehementiùs commendaretur, altiúſque infigeretur animis Apoſtolorum: vel cohæret cum eo quod proximè anteceſſit, *ſicut ego dilexi vos*; vt ſenſus ſit, Propterea Chriſtum ſic dilexiſſe ſuos, vt & ipſi ſimiliter inuicem di- *Auguſtinus.* ligerent ſe. Hoc enim nobis, inquit Auguſtinus, Chriſtus contulit diligendo nos, vt mutua dilectione conſtringamur inter nos. Nimirum inter alia dona quæ tribuit nobis Chriſtus diligendo nos, potiſſimum fuit donum charitatis qua nos inuicem diligeremus.

QVADRA

QVADRAGESIMAQVINTA DISPVTATIO.

De quatuor effectibus & ſignis perfectæ dilectionis erga proximum: & ſuper illis verbis:

In hoc cognoſcent homines quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.

141. PERFECTÆ dilectionis erga proximum proprij effectus, certáque ſigna ſunt huiuſmodi. Primò, ſi proximum diligamus non tantùm verbo & lingua, ſed opere & veritate, vt ipſemet Ioannes ſcripſit in ſua prima epiſtola; id autem eſt, vt eum, quocumque modo poſſimus, adiuuare ſtudeamus atque contendamus. Deinde, vt proximum nobis onerosum atque moleſtum patienter toleremus, nec propterea eum diligere & adiuuare deſiſtamus, ſicut vellemus tolerari nos ab aliis, ſeruantes illud Pauli; *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Ad hæc, vt ſi quam iniuriam, ſi quod detrimentum à proximo accepimus, facilè, libenter atque liberaliter ei condonemus ſecundũ illud Pauli ad Coloſſ. *Supportantes inuicem, donantes vobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquẽ habet querelã, ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* Illud denique perfectæ charitatis erga proximum eſt clariſſimum ſignum, certiſſimúmq; argumentum, lætari bonis aliorum, etiam inimicorum ſuorum, calamitatibus verò & malis eorum triſtari & dolere. Hunc charitatis ſenſum fuiſſe in Beato Iob, teſtatur ipſemet

Cap. 3. — ad Galat. 6. — 1. Cap. 3. — Iob. 31.

NN 3

dicens, *Si gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inueniſſet eum malum,&c.* Atque huius quidem tam perfectæ charitatis, quæ adusque inimicos extenditur, etiam in veteri Teſtamento periluſtre habemus exemplum in Dauide, qui acerrimi hoſtis ſui Saulis mortem acerbiſſimo animi ſenſu & dolore luxit. Sic enim in lib. 2. Regum cap. 1. ſcriptum eſt. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua, ſcidit, omnéſque viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathā filium eius.* Et deinde commemoratur lugubre canticum quod ſuper interitu Saulis & Ionathæ tunc cecinit Dauid, & quod filios Iuda doceri iuſsit.

Ex illis autē verbis, *In hoc cognoſcent homines, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*, planè intelligitur, maximè proprium inſigne, veriſſimámque notam qua internoſcuntur ab aliis perfecti cultores & imitatores Chriſti, eſſe mutuā eorum dilectionem. Philoſophorum diſcipuli alij ab aliis diſcernebantur ex certorum dogmatum profeſſione ac defenſione: Phariſæorum alumni & ſectatores dignoſcebantur ex certo quodam corporis habitu & veſtitu, & ſuperſtitioſa quarundam ceremoniarum obſeruatione: Ioannis Baptiſtæ diſcipuli ex ieiunijs & auſteritate vitæ cognoſcebantur. Chriſtus autem ſuos diſcipulos & ſectatores præcipuè ex mutua eorum dilectione cognoſci, æſtimari, commendari voluit. Hac nota diſcernitur diſcipulus Moyſis à diſcipulo Chriſti; nam vt dixit Auguſtinus, Breuis differentia legis Moyſis & Euangelij Chriſti eſt, amor, & timor. Facere miracula & prophetare non omnium Chriſtianorum eſt, & poſſunt hæc fieri etiam à malis hominibus. quibuſdā enim qui prophetauerunt & ſigna fecerunt, dicturus eſt

141. *Auguſtin.* *Matth. 7.*

eſt Dominus, *Neſcio vos.* Sacramenta nouæ legis habēt etiam hæretici & ſchiſmatici, & ea nonnulli catholici fictè atque indignè accipiunt: ieiunare, vigilare, aſſiduè orare, affictare carnem, eleemoſynas largiri multi refugiunt, excuſantes ſe ſub obtentu infirmitatis vel paupertatis. Nemo autem excuſabilis eſt, quòd non poſſit diligere alium, neque Chriſtiana dilectio fingi poteſt, eius certè ſimulatio non poteſt eſſe diuturna.

143. Hæc autem mutua dilectio in priſcis illis Chriſtianis vſque adeo fuit inſignis & illuſtris, cunctiſque admirabilis, vt ex ea maximè Gētiles dignoſcerēt Chriſtianos ab aliis, & de illis magna cum admiratione ad
inuicem dicerent, ſicut refert Tertullianus in Apologetico cap. 39. *Tertullian.*
Vide, vt Chriſtiani ſe inuicem diligunt, & alter pro altero parati ſunt mori! Fratres etiam antiquitus omnes Chriſtiani ſe inuicem appellabant, *Actorum 4.*
omnia habentes communia, præter vxores. Cœnam quoque frequentabant, quæ vocabulo Græco nominabatur ἀγάπη, id eſt, dilectio, ad quam nempe plurimum, egenos & pauperes inuitabant. Tractat luculentè hanc Domini ſententiam S. *S. Auguſt.*
Auguſtinus in tractatu 65. in Euangelium Ioannis.

***

QVADRAGESIMASEXTA DISPVTATIO.

Cur præceptum dilectionis Dominus appellauerit præceptum ſuum, dicens: Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, *vt refert Ioannes infra cap.15. quaſi non eſſent alia præcepta niſi vnum hoc dumtaxat præceptum dilectionis, vel quaſi alia præcepta non eſſent Chriſti.*

Gregorius. HANC ipſam quæſtionem ponit ſanctus Gregorius homilia 27. in Euangelia, & ita ſoluit: Propterea, inquit, ſic locutus eſt Dominus, quia omne mandatum de dilectione eſt, & omnia præcepta vnum præceptum ſunt; quidquid enim præcipitur, in ſola charitate ſolidatur. Sicut enim multi arboris rami ex vna radice proueniunt, ita multæ virtutes ex vna charitate generantur: neque habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manſerit in radice charitatis. Præcepta itaque Domini & vnum & multa ſunt. multa quidem per diuerſitatem operis, vnum verò in radice charitatis. Hæc Gregorius. 144.

Authoris reſponſio ad quæſtionē. Nos etiam ad propoſitam quæſtionem poſſumus hoc modo reſpondere. Tres ob cauſas præceptum dilectionis dicitur eſſe Chriſti potius quàm alia præcepta. Primò, quia hoc præceptum eſt omnium præceptorum maximum dignitate, antiquitate, vniuerſalitate, vtilitate, neceſſitate, & facilitate, ſicut manifeſtum eſt ex iis quæ à nobis tractata ſunt in ſuperioribus diſputationibus. Deinde, quia hoc præceptum dilectionis Chriſtus frequentiùs quàm alia præcepta tradidit & inculcauit, magnificentiùs laudauit, vehementiùs commendauit hominibus, & ſeueriùs à nobis exegit, 145.

& ad

& ad hoc maximè ſeruandum, nos exemplo ſuo incitauit & animauit. Ad hæc, præceptum dilectionis tantam vim habet, vt ſolùm ſufficiat, ſi perfectè ſeruetur: perfecta enim obſeruatio eius neceſſariò coniunctam habet aliorum omnium præceptorũ obſeruationem; Dominus enim dixit. *Si quis diligit me, Sermonem meum ſeruabit: &, Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.* *Ioan. 14.* Paulus certè in epiſtola ad Romanos cap. 13. de præcepto dilectionis proximi hæc ſcripſit, *nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam nõ adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum: Dilectio proximi malum non operatur; plenitudo ergo legis eſt dilectio.*

46. Memorabile profectò eſt, valétque plurimum ad id confirmandum & illuſtrandum quod de dilectione proximi diximus, illud quod de B. Ioanne huius Euãgelij ſcriptore Sanctus Hieronymus in ſuis commentarijs in epiſtolam ad Galatas refert his verbis, Beatus Ioannes cùm Epheſi moraretur vſque ad vltimam ſenectutem, & vix inter diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura verba vocem contexere, nihil aliud ſolebat per ſingulas proferre collectas, niſi hoc, filioli, diligite alterutrum: Tandem diſcipuli & fratres qui aderãt, tædio affecti quòd eadem ſemper audirent, dixerunt, Magiſter, quare hoc ſemper loqueris? Qui reſpondit dignam Ioanne ſententiam, Quia præceptum Domini eſt, &, ſi ſolum fiat, ſufficit. Hactenus verba ſunt Beati Hieronymi.

Præclara de proximi delectione B. Ioannis ſententia, quam refert Sanctus Hieronym.

QVADRAGESIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Cur Dominus præceptum dilectionis Dei dixerit eſſe primum & maximum.

QVANQVAM propoſitum nobis fuit diſputare hoc loco de præcepto dilectionis proximi: ad hoc enim pertinet illa Domini ſententia quam nos explicandam ſuſcepimus. *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem*, viſum tamen eſt, nonnihil etiam in præſentia dicere de præcepto dilectione Dei: tanta enim inter duo hæc præcepta ſimilitudo, tantáque connexio eſt, vt alterum ſine altero ſeruari non queat, nec vera dilectio Dei ſine dilectione proximi, nec vera dilectio proximi ſine dilectione Dei eſſe poſſit de præcepto autem dilectionis Dei hæc Dominum noſtrum dixiſſe legimus apud Matthæum cap. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc eſt, maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ.* Quæritur itaque cur præceptum dilectionis Dei appelletur primum & maximum. 147.

Locus Matth. ca 22.

Præceptū dilectionis Dei appellari primum tres ob cauſas.

148. Præceptum dilectionis Dei appellatur primum tres ob cauſas. Eſt enim omnium præceptorum primum antiquitate, alia enim præcepta per Moyſem data fuerunt Hebræis; præceptum verò dilectionis Dei fuit ab initio mundi, illud enim habuit homo ſtatim vt à Deo creatus eſt. Deinde, primum dicitur dependentia, alia enim omnia dependent ab illo, vt eorum obſeruatio grata ſit Deo; & digna præmio vitæ æter

tæ æternæ. Ipſum autem non dependet ab alijs, ſed per ſe ſufficiens eſſe poſſet homini, adiunctis fidei & ſpei præceptis. Sic enim ſe habet charitas reſpectu omnium ſpiritualium bonorum hominis, vt ſe habet in arbore radix, reſpectu ramorum & frondium & fructuum, & ſicut ſe habet in animali cor reſpectu aliorum omnium membrorum: hæc enim ab illo dependent quantum ad vitam, & quantum ad ſenſum, & quantum ad motum. Ad hæc, præceptum dilectionis primum dicitur ſecundum intentionem videlicet præcipientis, alia enim omnia præcipiuntur propter charitatem, idque quadrupliciter. Primò, vt per aliorum præceptorum obſeruationem homo præparetur, & inuitetur, & ducatur ad dilectionem Dei & proximi. Deinde, vt per alia præcepta tollantur omnia impedimenta quæ hominem à dilectione Dei & proximi remouere aut retardare poſſent. Tùm, vt charitas per obſeruationem aliorum præceptorum conſeruetur, magiſque in dies augeatur. Ad hæc, alia præcepta multiplicem præbent charitati materiam, in qua ipſa exerceatur, variiſq; modis glorificet Deum, & iuuet proximum; & quo plura & maiora pariat homini merita vitæ æternæ.

Omnia præcepta ordinari ad charitatem quadrupliciter.

149. Magnum porrò & maximum appellatur præceptum dilectionis Dei ſex ob cauſas. Primò, dicitur maximum dignitate: Amor enim Dei ex ipſo obiecto qui eſt Deus inæſtimabilem habet nobilitatem atque dignitatem. Et ſicut charitas eſt nobiliſſima omnium virtutum, ita præceptum charitatis & dilectionis Dei longè aliis omnibus præceptis dignitate antecellit. Deinde, maximum dicitur potentia, fortitudine, & efficacia: amor enim Dei potentiſſimus & efficaciſſimus eſt, facítque hominem maxima quæque

Præceptum dilectionis Dei dicitur maximũ ob ſex cauſas.

& aggrediendo perficere,& patiendo ſuperare:eſt infatigabilis,eſt inſuperabilis,eſt ſemper inuictus: facit etiam vt homini ſit in ipſo labore requies iucunda;in æſtu & ardore ſuaue refrigerium;in mœrore ac fletu dulce ſolatium & gaudium. Confirmat hoc diuina

Canticorũ vltimo. ſcriptura quæ ait: *Fortis eſt vt mors dilectio: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non obruent illam*, & Beatus Paulus in epiſtola ad Romanos cap. 8. demonſtrans inſuperabilem amoris Dei fortitudinem, *Quis ergo, inquit, nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Huius tantæ fortitudinis amoris Dei multa, & perquàm illuſtria, & admiranda exempla habemus in ſanctis Apoſtolis & Martyribus, præſertim verò in B.Apoſtolo Paulo,& in glorioſo martyre Ignatio.

Ad hæc, præceptum dilectionis Dei appellatur 150.
maximum vtilitate: charitas enim tot & tantas parit
Cantic. vlt. homini vtilitates vt propterea dixerit Scriptura: *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Non ſolùm enim charitas proprios actus ſuos qui ſunt diligere ſiue amare, facit vtiles homini & dignos vitæ æternæ: ſed etiam aliarum omnium virtutum actus, & alia quæcunque ab homine fiunt, ſi ex charitate fiant, ea reddit charitas vtiliſſima homini, facítque merita fœlicitatis æternæ. Quamobrem Paulus in priori Epiſtola ad Corinth. cap.16. ſcripſit eis; *Omnia autem veſtra in charitate fiant.* Côtrà verò, ſine charitate, alia omnia hominis bona, ſiue

ſiue naturalia,ſiue moralia,ſiue etiam ſupernaturalia, vt fides & ſpes nihil proſunt homini ad æternam ſalutem & fœlicitatẽ comparãdam. Audiat Lector Paulum diuinè hac ipſa de re in ſupradictæ epiſtolæ ad Corinthios cap. 13. diſſerentem. *Si linguis, inquit, hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in pauperes omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

151. Dicitur etiam præceptum dilectionis Dei eſſe maximum diuturnitate: Aliorum enim præceptorum obligatio deficit aliquando, certè poſt mortem ceſſat; obligatio autem diligendi Deum numquam ceſſat, & viget in terris vſque ad mortem, & poſt mortem manſura in cœlis eſt in æternum. Hoc demõſtrauit Paulus illis verbis quæ ſunt in ſupradicto loco epiſtolæ ad Corinthios, *Charitas, nunquam excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur, &c.* Præterea, præceptum hoc charitatis appellatur maximum ob tres charitatis effectus maximos: ſola enim charitas eſt quæ verè hominem coram Deo magnum & maximum facit: non diuitiæ, non honores, non regna neque imperia, non eloquentia, non ſapientia, non virtutes morales, non virtutes ſupernaturales fides & ſpes hominem faciunt verè magnum coram Deo, eíque gratum, ſed ſola virtutum omnium charitas id præſtat homini. Ex magnitudine charitatis æſtimatur magnitudo ſanctitatis & meritorum vniuſcuiuſque hominis: paruus eſt

coram Deo qui paruam habet charitatem; magnus eſt, qui magnam habet, & alter altero maior eſt vel minor ſecundum maiorem vel minorem charitatem quæ in eis eſt. Secundus effectus charitatis eſt, quòd charitas facit hominem dignum amari à Deo, ſicut

Ioann. 14. ipſe dixit. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum*: diligi autem à Deo, pro ingenti bono ducendum eſt, dilectio quippe Dei fons eſt bonorum omnium quæ dantur homini. Nec ſolùm charitas facit vt homo diligatur à Deo, ſed amicitiam quoque conciliat & conglutinat inter Deum & ho-

Ioan. 15. minem: ipſe enim dixit: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis*: ſolus autem verè diligens Deum, facit, vt oportet, præcepta Dei. Quantæ verò vtilitatis & honoris ſit homini amicum eſſe Dei, ſatis oſtendit

Pſalm. 138. illis verbis Dauid: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Tertius effectus charitatis eſt, quòd charitas facit vt Deus veniat in animam eius qui diligit ipſum, nec tantùm veniat, ſed etiam maneat & habitet in eo: ſic enim Dominus

Ioann. 14. dixit. *Si quis diligit me ſermones meos ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, de diuina autem ſapientia quæ Deus eſt

Sap. 7. ſcriptum eſt, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum ipſa.*

Poſtremò, dilectionis Dei præceptum appellatur maximum principatu & imperio; Charitas enim regina eſt omnium virtutum; imperat omnibus, monet omnes ad operandum propter Deum, & ad operandum quando, & vbi, & quomodo, & quatenus operare oportet. Semper charitas omnium virtutum comitatu ſepta & ornata incedit, nec vlla deeſſe poteſt virtus, vbi viget charitas: hoc ſanè indicant verba illa 152.

Pauli

Pauli quæ ſunt in priori epiſtola ad Corinthios cap. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Ex hac itaque noſtra diſputatione ſatis apparet, præceptum dilectionis Dei veriſſime appellatum eſſe à Domino primum & maximum mandatum.

QVADRAGESIMA OCTAVA DISPVTATIO.

Cur Beatus Iacobus Apoſtolus præceptum dilectionis Dei & proximi appellauerit legem regalem, & legem perfectam libertatis.

153. BEATVS Iacobus in ſua epiſtola cap. 2. præceptum dilectionis appellauit legem regalem, ita ſcribens, *Si tamen legem perficitis regalem ſecundum ſcripturam, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum, benefacitis.* Cur autem præceptum dilectionis dicatur lex regalis, quatuor cauſæ afferri poſſunt. Primò, in communi hominum ſermone, quod eſt perquam eximium, & excellens, id ſolet appellari regium & regale: in proxima autem ſuperiori diſputatione oſtenſum eſt, præceptum dilectionis eſſe multis de cauſis maximum & præſtantiſſimum omnium præceptorum. Deinde, ſicut Rex dignitate ac poteſtate præcedit aliis, & imperat aliis; ita charitas quæ eſt regina virtutum omnium imperat illis, & illæ deſeruiunt ipſi, vt paulò ſuprà oſtendimus. Ad hæc, præceptum dilectionis eſt maximè proprium regis regum

Locus Iacobi cap. 2.

Præceptum dilectionis dici legem regalē qua tuor ob cauſas.

Chriſti domini; ipſe enim appellauit propriè ſuum
Ioann. 15. præceptum dicens, *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Denique, ſola virtutum charitas per ſe facit
Ad Rom. 8. homines dignos acquiſitione & poſſeſſione Regni cæleſtis; charitas enim facit homines filios Dei; ſi autem filios, ergo & hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, vt ait Paulus; hęreditas autem Dei & Chriſti eſt ipſum regnum cælorum.

Sed cur præceptum dilectionis appellatur lex per- 154
fectæ libertatis? quod enim Iacobus in primo capite
Locus Iacobi cap. 1. ſuæ epiſtolæ ſcripſit, *Qui perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit:* id vel tantum, vel præcipuè pertinet ad legem charitatis. Reſpon-
Legem charitatis appellari legẽ libertatis quatuor ob cauſas. deo, legem charitatis appellari legem perfectæ libertatis quatuor ob cauſas. Primò, quia charitas facit hominem liberum à ſeruitute peccati & concupiſcentiæ, & à tyrannica ſeruitute Diaboli, & à reatu mortis æternæ: ab iſtis autem liberum eſſe, vera & perfecta eſt in hac vita libertas hominis. Deinde, ſecundum
Ad Rom. 5. Paulum, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Sed, vt idem Paulus ait,
Secunda ad Chor. 3. *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas:* ergo vbi charitas eſt, ibi eſt vera libertas. Ad hæc, vera libertas hominis eſt ſeruire Deo & ſeruare præcepta eius non coactè, nec cum timore ſeruili, ſed voluntariè ac liberè ac libenter, & amore iuſtitiæ & Dei: hanc verò libertatem ſola virtutum homini præſtat charitas: meritò igitur lex charitatis dicitur lex libertatis. Denique, Charitas liberat hominem à ſeruitute trium immoderatarum cupiditatum quibus plerique homines ſeruiunt, immoderatam dico cupiditatem diuitiarum, & cupiditatem honorum atque dignitatum, & cupidi-

cupiditatem carnalium voluptatum: his enim teneri cupiditatibus, grauis & turpis & miſera eſt hominis ſeruitus. Quanta enim eſt ſeruitus hominis auari? quanta ſeruitus eſt hominis ambitioſi? quanta ſeruitus eſt hominis libidinoſi? Ab iſtarum cupiditatum ſeruitute charitas liberat hominem, & pro illis excitat & accendit in animis iuſtorum hominum ardentiſſimas, ſed honeſtiſſimas & ſanctiſſimas cupiditates cœleſtium, æternarúmque diuitiarum, & honorum, & voluptatum; his enim bonis circumfluunt in cælis beati, in quos veriſſimè conuenit quod dixit Dauid, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* *Pſalm. 35.*

QVADRAGESIMANONA DISPVTATIO.

Cur Beatus Petrus dixerit charitatem operire multitudinem peccatorum.

155. BEATVS Petrus in capite quarto prioris epiſtolæ ſuæ ad mutuam charitatem exhortans Chriſtianos, dixit: *Ante omnia mutuam in vobiſmet ipſis charitatem continuam habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum.* *Locus prima Petri cap. 4.* quæ ſententia videtur ſumpta ex decimo capite lib. Prouerbiorum, vbi ſic eſt: *Odium ſuſcitat rixas, & vniuerſa delicta operit charitas:* *Locus Prouer. 10.* ex vtriuſque autem ſententiæ cõſideratione intelligitur, Petrum dixiſſe illud *multitudinem peccatorum* pro eo quod Salomon dixerat *vniuerſa delicta.* Habens porrò charitatem erga proximum dicitur operire peccata multa: vel ſua peccata, vel peccata pro-

ximi. Sua quidem peccata, quia benefaciens proximo, idoneus fit,& quodammodo dignus, vt accipiat à Deo remiſſionem ſuorum peccatorum. Hoc ſanè demonſtrant illæ ſententiæ quæ leguntur in ſcriptura. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Dimittite, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Scriptura quoque multifariam ait, Eleemoſynam (quæ eſt opus charitatis erga proximum) redimere,& liberare hominem à peccatis.

Matth. 5. Lucæ 6. Iob. 5. Daniel 4. Tobiæ 3.

Tripliciter operiri peccata proximi.

Vel eum qui habet charitatem proximi operire 156.
peccata multa dictum eſt non ſolùm de peccatis eius, ſed etiam de peccatis proximi, quæ tripliciter operiri poſſunt. Primò, quia charitas occultat & abſcondit peccata proximi, vt neque à nobis neque ab aliis videantur: quem enim ex animo diligimus, eius peccata non ſcrutamur neque inquirimus; vel ſi in notitiam noſtram veniant, facit amor vt minora & leuiora videantur nobis quàm aliis; & ne ad aliorum perueniant notitiam, ea, quantum in nobis eſt, occultamus. Deinde, non ſolùm peccata proximi quæ ipſe nouit non manifeſtat aliis, neque in publicum effert; verùm etiam, ſi iam publicata fuerint, conatur ea, quantum veritas patitur, excuſare, & minuere. Ad hæc, peccata proximi contra nos facta, charitas facit, vt promptè, ſincerè, & liberaliter condonemus, eáque perpetua obliuione obruamus. Qui autem condonat proximo peccata, dicitur, ſecundum conſuetudinem loquendi ſcripturæ, tegere ea, vt patet ex illis verbis Dauidis quæ ſunt in Pſalmo 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

Imaginem eorum, qui retegunt & publicant pec- 157.

cata proximi, geſſit olim peſſimus ille Cham filius Noe; ſicut contrà, imaginem eorum qui peccata proximi nec videre ipſi, nec videri ab alijs volūt prætulerunt duo alij filij Noe, Sem & Iaphet, ob id à Patre ſuo Noe benedicti. Hiſtoria huius rei narratur in Capite nono libri Geneſis, vbi de Noe ſcripta ſunt hæc, *Bibensque vinum, inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo. Quod cùm vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet Patris ſui eſſe nudata, nuntiauit duobus fratribus ſuis foras. At verò Sem & Iaphet pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui, faciésque eorum auerſæ erant, & patris virilia non viderunt. Euigilans autem Noe ex vino, cum didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor ait, Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Dixitque, Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculo Sem, ſitque Chanaan ſeruus eius.*

QVINQVAGESIMA DISPVTATIO.

Cur Beatus Paulus Charitatem appellauerit vinculum perfectionis, ſeptem rationes exponuntur.

158. QVONIAM in tertio capite epiſtolæ B. Pauli ad Coloſſenſes ſcriptū eſt, *Super omnia autem charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis:* quæritur, cur à Paulo charitas appelletur vinculum perfectionis. Reſpondeo, cur dicta ſit charitas vinculum perfectionis, ſeptem rationes & cauſas afferri poſſe. Primò, Charitas eſt vinculum perfectionis, quoniam ipſa continet perfectionem iuſtitiæ Chriſtianæ. *Locus Pauli ad Coloſſ. 3.*

tantum enim vnuſquiſque habet perfectionis in iuſtitia Chriſtiana,quantum habet charitatis. Nempe, illud verum eſt,quod in lib. de Natura & Gratia ſcri- *Auguſt.* pſit Auguſtinus aduerſus Pelagianos, Inchoata charitas, inchoata iuſtitia eſt;Prouecta charitas,prouecta iuſtitia eſt; Magna charitas, magna iuſtitia eſt; Perfecta charitas,perfecta iuſtitia eſt:Meritò itaque charitas dicitur vinculum perfectionis,cùm ipſa perfectionem Chriſtianæ inſtitiæ ſecum inſeparabiliter coniunctam habeat.Secundò,Charitas dicitur vinculum, quia eſt vinculum omnium virtutum , charitas enim virtutes omnes inter ſe conſociat atque connectit, & ſecum coniunctas habet,earúmque virtutum connexio tandiu in homine manet, dum ipſa manet charitas;abſcedente verò charitate, continuò etiam virtutum ſoluitur cõnexio. Nec tantùm charitas eſt vinculum virtutum , ſed etiam eſt vinculum perfectionis omnium virtutum ; virtutes enim ſine charitate ſunt *Iacob.2.* imperfectæ,&,vt verbo vtar B.Iacobi Apoſtoli, ſunt mortuæ:charitas verò virtutum operationes & opera viuificat,& perficit,reddens grata Deo,& digna præmio vitæ æternæ.

Tertiò,Charitas eſt vinculum perfectionis omniũ 159.
præceptorum Dei : tunc enim vnumquodque perfectionẽ ſuam acquirit,cùm peruenit ad finem propter quem eſt ; omnia autem præcepta Dei diriguntur ad *1.ad Timotheum 1.* charitatem tanquam ad finem,ſecundùm illud Pauli, *Finis præcepti eſt charitas de corde puro , & conſcientia bona, & fide non ficta.*Omniũ itaque præceptorum obſeruatio vnitur in charitate, & ab ea perfectionem accipit: charitas enim præſtat homini , vt ſeruare queat omnia Dei præcepta,& vt ea perfectè ſeruet,ita vt eorum obſeruatio & grata Deo ſit, & proſit homini ad meritum,

tum vitæ æternæ: obſeruatio enim præceptorum ſine charitate, imperfecta eſt, nec grata Deo, nec vtilis homini ad vitam æternam. Nam quod Dominus cuidam dixit, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: id oportet intelligere de obſeruatione mandatorum quæ fit ex charitate; hanc enim ſolam Deus approbat, quæ verò ſine charitate fit, eam pro nihilo habet, vt indicant verba illa Domini: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.* Quoniam igitur charitas eſt vinculum perfectionis omnium mandatorum Dei; idcirco Dominus dixit, à mandato dilectionis Dei & proximi pendere vniuerſam legem & prophetas. Quartò, vera hominis perfectio, in eius cum Deo coniunctione, & vnione poſita eſt; hanc verò coniunctionem, & vt ita dicam, colligationem hominis cum Deo ſola virtutum facit charitas: eſt enim amor, ſicut loquitur Dionyſius, vnitiuus amantis cum amato. Meritò igitur charitas dicitur vinculum perfectionis, quoniam ea quaſi vinculum quoddam colligat & deuincit hominem cum Deo, & in hoc hominis perfectio conſiſtit.

Matth. 19. *Ioan.* 14. *Matth.* 22. *Dionyſius Areop.*

160. Quintò, vel dicitur charitas vinculum perfectionis, ſecundum phraſim Hebrææ linguæ, pro eo quod eſt, vinculum perfectum, id autem eſt, vinculum forte & validum & inſolubile, & vinculum fortiter vinciens, & arctè conſtringens. Sanè, nihil eſt quod vehementiùs animos hominum trahat, eóſque inter ſe fortiùs deuinciat, arctiúſque conſtringat, quàm Charitas, ſecundum illud Oſeæ cap. 11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Nec mirum, tam forte támque perfectum eſſe vinculum charitatis, alia enim hominum

Locus Oſeæ cap. 11.

vincula ſunt vel natur alia, vel artificialia, vel humana, vel moralia; vinculum charitatis eſt ſupernaturale ac diuinum. à ſolo enim Deo charitas datur homini, & eſt maximum omnium donorum & bonorum quæ in hac vita homini dantur à Deo.

Sextò, ſunt multa & varia genera vinculorum, quibus homines inter ſe deuinciuntur atq; conſtringuntur: eſt vinculũ amicitiæ, eſt vinculum cognationis & conſanguinitatis, eſt vinculũ, eiuſdem eſſe nationis & gẽtis, eiuſdem ciuitatis & patriæ; eſt vinculũ eiuſdem eſſe milites imperatoris, & eiuſdẽ magiſtri diſcipulos; eſt vinculũ eundem habere Regẽ, iiſdem teneri legibus & regi, eſt vinculum, eiuſdem eſſe congregationis ſodales: præſertim autem ſi ea congregatio ſit hominum religioſorum ſub votiua & ſolemni profeſſione ſeruientium Deo. Sed hæc vincula, &, ſi quæ ſunt id genus alia, per ſe ac ſine charitate imperfecta & infirma ſunt, & ſæpe varias ob cauſas rumpi ſolent. At vinculum charitatis eſt perfectum, & quod nulla vi ſiue naturali, ſiue humana, ſiue diabolica rumpi poteſt: eſt enim fortis vt mors dilectio. Paulus certè bene perpẽdens quàm ſit forte atque inſolubile vinculum charitatis quo electi cum Deo vincti ſunt, exclamat: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſequutio? an gladius? Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque, profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* 161.

Cant. vlt. ad Rom. 8.

Septimò, ſcriptum eſt in libro Eccleſiaſtæ, *Funiculus triplex difficilè rumpitur*: & vinculum charitatis triplici funiculo firmiſſimè conſtrictum eſt, triplex autem 162.

Locus lib. Eccleſiaſtæ cap. 4. Triplex funiculus charitatis.

tem funiculus charitatis eſt triplex ratio mouens voluntatem hominis ad diligendum ardenter Deum, eíque inſeparabiliter adhærendum. Prima ratio eſt, quòd eſt per ſe amabiliſſimus Deus propter infinitam ſuam bonitatem,ſapientiam,& potentiam, quæ in admirabili creatione, gubernatione, & conſeruatione mundi clariſſimè lucent: eſt Deo æterna maieſtas, eſt immenſa bonitas, eſt incomprehenſibilis ſapientia,eſt infinita poteſtas,eſt inæſtimabilis pulchritudo. Quis talem ac tantum Deum & Dominum omnium, non ardenter diligat, eíque ſemper adhærere cupiat? & hic eſt primus funiculus charitatis. Secundus funiculus eſt ſecunda ratio valde mouens voluntatem hominis ad Dei dilectionẽ eiúſque vnionẽ cũ Deo; ea verò eſt, quòd Deus neque obſequiis neque officiis,neque vllis rebus noſtris indigens prior dilexit nos,& dilexit immerẽtes atque indignos,quin etiam, propter peccata noſtra, odio eius dignos:& diligẽdo nos plurima & maxima nobis dedit beneficia, inter quæ illud eſt perpetuum beneficium, ſemperque vigens in nobis,quod *In ipſo* (vt Paulus dixit) *viuimus & mouemur & ſumus.* Tertius funiculus ſiue tertia ratio mouens hominis voluntatẽ ad Dei dilectionem & ad vnionẽ eius cum ipſo,eſt, quòd ineffabilis ſit Dei clemẽtia & miſericordia in condonãdis hominũ peccatis qualiacumque & quantacũque fuerint,Deus enim tam perfectè remittit peccata homini, vt dicatur in Scriptura lauare & delere peccata, & proiicere poſt tergum ſuum peccata hominum & obliuiſci peccatorum noſtrorum. Quapropter ſancta Eccleſia orans Deum ait, Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas. &, Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Et in Scriptura

Quæ eſt triplex ratio mouens ad diligendum Deum.

Actor. 17.

Deus dicitur multus ad ignoſcendum, & præſtabilis
Iob.2. ſuper malitia. Cùm itaque vinculum charitatis hoc triplici funiculo perfectè conſtrictum ſit, meritò ſanè B. Paulus charitatem appellauit vinculum perfectionis, id autem eſt, vinculum perfectum. Sed ſuper illis Domini verbis: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos:* ſatis per nouem proximas ſuperiores diſputationes à nobis hoc loco diſputatum eſt.

DISPVTATIONES OCTO.

Super prædictione qua Dominus prædixit futuram Petri negationem.

Super illis verbis:

VERS. 38. *Amen, Amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.*

QVINQVAGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

An ſemel Dominus tantùm prædixerit negationem Petri, an ter diuerſis temporibus: exponitur ſententia B. Auguſtini, aliorúmque complurium, quod non ſemel tantùm, ſed ter Dominus prædixerit negationem Petri.

CAVSAM quæſtionem hanc tractandi illud 165.
affert, quòd cùm omnes quatuor Euangeliſtæ prædictionē negationis Petri ſcripſerint, non eam tamen omnes eodem narrant modo, neque

ex eadem ſermonis occaſione ad eam commemorandam veniunt. Matthæus enim & Marcus narrant prædictionem negationis Petri poſt egreſſionem Chriſti ex domo in qua vltimam cœnam egit cum diſcipulis ſuis, & dum iret vnà cum illis ad montem Oliueti: ſic enim ſcribit Matthæus cap. 26. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti. Tunc dicit illis Ieſus, omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte &c. Reſpondens autem Petrus*, ait illi, *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Ait illi Ieſus, Amen dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus; etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo: ſimiliter & omnes diſcipuli dixerunt.* Similiter Marcus cap. 14. narrat prædictionem negationis Petri poſt egreſſionem Ieſu ex domo vbi cœnauerat; eadémque ſcribit atque Matthæus. Lucas verò cap. 22. prædictionem negationis Petri narrat ante egreſſionem Ieſu ex domo vbi cœnauerat, & ex diuerſa occaſione ſermonis: ita enim ſcribit: *Ait autem Dominus Simoni, Simon, Ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Qui dixit ei, Domine tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi Petre non cantabit gallus donec ter abneges noſſe me.* & quibuſdam interpoſitis poſt ſubdit, *Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem Oliuarum.* Ioannes etiam cap. 13. prædictionem negationis Petri narrat ante itionem Domini ad montem Olioueti, ita ſcribẽs: *Dicit ei Simon Petrus, Domine, quò vadis? Reſpondit Ieſus, Quò ego vado, non potes me modò ſequi, ſequeris autem poſtea. Dicit ei Petrus; quare non poſſum te ſequi modò? animam meam pro te ponam. Reſpondit ei Ieſus, Animam tuam pro me pones? Amen, Amen dico tibi, non can-*

tabit gallus donec ter me neges. Deinde verò Ioannes interpoſito ſermone Domini poſt cœnam, qui quatuor ſequentibus capitibus continetur, initio capitis 18. ait, *Hæc cum dixiſſet Ieſus egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentẽ Cedron, vbi erat hortus.* Et hæc quidem ſunt omnium quatuor Euangeliſtarũ verba, quibus prædictio negationis Petri narratur ab illis & diuerſo temporis ordine, & ex diuerſa præcedentis ſermonis occaſione.

Nec videtur poſſe dici commodè, aut Matthæum 164.
& Marcum narraſſe prædictionem negationis Petri non ſuo loco & tempore, ſed poſt per quandam recapitulationem, aut Lucam & Ioannem eandem narraſſe ante ſuum tempus, per anticipationem: nam ſi quis bene conſideret verba & modum loquendi, quo vſi ſunt omnes Euangeliſtæ in narranda prædictione negationis Petri, planè cognoſcet, eos in eius rei narratione rectum temporis & rerum geſtarum ordinem ſeruare voluiſſe. Hinc itaque ſequi videtur prædictionem negationis Petri non ſemel, & vno tantùm tempore, ſed ſæpius & diuerſis temporibus fuiſſe à Domino pronunciatam. Quapropter B. Auguſtinus in libro tertio de conſenſu Euangeliſtarum *Auguſt.* cap. 2. veriſimilius putauit, non ſemel, ſed ter Petrum diuerſis Domini verbis permotum protuliſſe illam ſuam pro Chriſto moriendi præſumptionem; ter quoque Dominum ei prædixiſſe futuram eius negationem: ſicut poſt reſurrectionem ſuam, Dominus ter *Ioan. 21.* Petro reſpondenti quòd eum amaret, terquoque mãdauit vt oues ſuas paſceret. Hanc B. Auguſtini ſententiam complures ſecuti trinam faciunt prædictionem negationis Petri, tribus diuerſis temporibus pronuntiatam à Domino; ita vt prima fuerit quæ ſcribitur à Ioanne, ſecunda, quæ narratur à Luca, tertia, quæ à Marco & Matthæo commemoratur.

QVINQVAGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

Explicatur altera ſententia non diſplicens Authori, quòd ſemel tantùm Dominus prædixerit futuram Petri negationem.

165. LICET B. Auguſtinus ſuperiorem ſententiam de trina prædictione negationis Petri probabiliorem putauerit, non reiecit tamen eam rationem, ſi qua commodè inueniri queat, qua omnium Euangeliſtarum dicta in vnum redigantur, vt oſtendatur, ſemel tantùm prædictionem negationis Petri fuiſſe à Domino pronunciatam. Et hæc ratio conciliandi Euangeliſtas, cum poſſibilis eſt, etiam commodior & probabilior haberi debet. Illud enim in lectione Euangeliſtarum ante oculos habere oportet, cùm Euangeliſtæ vnum & idem narraturi ſunt, ex diuerſa tamen occaſione ad eius venire narrationem: ſed facile, eſt, narrationes eorum ad vnũ redigere, ſi quæ ab vno prætermiſſa ſunt ex aliis addantur, & illius narrationi inſerantur. Enimuerò, ſi, vt habet prior ſentẽtia, Dominus ante egreſſionẽ ex illa domo bis prædixit negationem Petri, primò quidem vt narrat Ioannes, & iterum, vt refert Lucas, intoleranda profectò fuiſſet præſumptio Petri, qui etiam poſt tertiam prædictionem negationis eius, quam narrant Matthæus & Marcus, & quæ putatur à Domino pronunciata poſt egreſſionem eius ex illa domo; auſus fuerit tam pertinaciter Domino contradicere, & dicere, *Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: id autem minimè congruit cum ea obſeruantia & reuerentia quam Petrus erga Dominum maximam habere ſolebat.

Fuit itaque vnica Domini prædictio negationis 166.
Petri, vnicumque Petri reſponſum: eámque prædictionem Dominus pronunciauit antequàm egrederetur ex illa domo vbi cœnauerat, ſicut habet Ioannis & Lucæ narratio. Matthæus verò & Marcus prædictionem negationis Petri narrant poſt egreſſionem ex illa domo non ſuo loco & tempore, ſed poſtea, per figuram ſcilicet recapitulationis. Non enim quia Matthæus, poſtquam dixerat, *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti*, ſubdit, *Tunc dixit illis Ieſus &c.* Commemorans prædictionem negationis Petri, neceſſariò conſequens eſt, illam prædictionem fuiſſe pronuntiatam à Domino poſt egreſſionem eius ex illa domo. Nempe Matthæus, ſæpe illud aduerbium *Tunc* ita vſurpat, vt non ſignificet eorum quæ dicenda ſunt cum his quæ dicta fuerunt ordinem atque connexionem, ſed ſimpliciter idem ſignificet atque In illo tempore, Illa itaque verba Matthæi; *Tunc dixit illis Ieſus, omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte*, & quæ ſequuntur, hoc tantùm ſignificant, ea verba fuiſſe à Domino dicta in tempore illius cœnæ & illius noctis.

Ex omnium itaque Euangeliſtarum narrationi- 167.
bus poteſt vna prædictæ à Domino negationis Petri narratio hunc in modum contexi; Primò ponatur illud quod ſcripſit Ioannes; *Dicit ei Simon Petrus, Domine quò vadis?* vſque ad illa verba; *Animam tuam pro me pones?* deinde, adiungantur illa verba Lucæ: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos &c.* vſque ad illa verba. *Et tu aliquãdo conuerſus confirma fratres tuos.* Poſt hæc, ſubiiciãtur ea quæ narrant Matthæus & Marcus. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte &c.* His denique ſubiungatur audax præſumptio Petri, & prædictio negationis eius à Domino pronuntiata, diuerſis quidem

dem verbis, ſed eandem habentibus ſententiam à quatuor Euangeliſtis expreſſa. Tripliciter verò Petrus in illa ſua prçſūptione peccauit: Primò enim plus credidit ſibi quàm Chriſto, deinde ſuperbè prætulit ſe omnibus alijs dicens. *Etiāſi omnes alij ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor*. Cùm nimio plus quàm valebat eius infirmitas, confidit ſibi, dicens, ſe paratū eſſe pro Chriſto & in carcerem & in mortem ire. Habuit quidem Petrus habitum charitatis, ſed quia ad vſum eius non habuit tum ſpeciale & efficax Dei auxilium in tali & tanto diſcrimine, ideo defecit. Videat ſuper hac re lector Caietanum in Matthæi cap. 26. & Caiet.
Auguſtinum in tract. 66. & 123. in Ioannem, & in libro Auguſtin.
de Corrept. & grat. cap. 9.

QVINQVAGESIMA TERTIA DISPVTATIO.

Super diſſonantia quæ videtur eſſe inter Euangeliſtas circa tempus negationis Petri.

Exponitur triplex ratio conciliandi Euangeliſtas, vna Auguſtini; altera Chryſoſtomi, tertia Caietani.

168. TRes Euangeliſtæ, Matthæus, Lucas, & Ioannes ſcripſerunt, Dominum prædixiſſe, quòd Petrus ter eum negaturus eſſet prius quàm gallus cantaret; at Marcus ſcripſit prædictum fuiſſe à Domino, quòd Petrus ter eum negaturus eſſet antequàm gallus bis vocem daret; ex quo videtur effici, Petrum non ter Dominum negaſſe antequàm gallus cantauit, quod tamen affirmant alij tres Euan-

geliſtæ. B. Auguſtinus in libro tertio de conſenſu Euangeliſtarum cap.2.putat ſatis bene ſolui poſſe hanc difficultatem,ſi dicamus, prædictam à Domino Petri negationem fuiſſe quidem inchoatam ante primum galli cantum,ſed conſummatã eſſe ante ſecundum galli cantum:illud ſpectantes tres alij Euangeliſtæ ſcripſerunt trinam negationem Petri fuiſſe ante galli cantum,non quidem expletam, ſed inchoatam: at Marcus reſpiciens ad trinæ illius negationis non inchoationem,ſed conſummationem, ſcripſit Dominum prædixiſſe,Petrum ter eum negaturũ,antequàm gallus bis vocem daret. Sed enim propterea iſta ratio ſoluendi propoſitam difficultatẽ nõ placet alijs,quòd tres Euangeliſtæ qui dixerunt prædictam fuiſſe à Domino, trinam Petri negationem fore ante galli cantum, iidem poſtea trinam illam negationẽ opere ipſo completam narrant, antè quàm vllum galli cantum commemorent:ex quo apparet,illos trinam Petri negationem ante galli cantum nõ tantùm inchoatã,ſed

Chryſoſt. etiã fuiſſe conſummatam ſignificare voluiſſe. Chryſoſtomus in homilia 86.in Matthæum ait,gallum in vna vice qua cãtat,plures voces & cantus edere:alij tres Euãgeliſtæ conſiderauerũt totam illam vicẽ cãtus galli;Marcus verò illius vicis diuerſas voces & cantus, vt ita dicã,partiales ſpectauit:& hinc factũ eſt vt alij tres Euangeliſtæ ſcripſerint, Petrum ter negaturum fuiſſe ante cantum galli, Marcus autem dixerit, Petrum ter fuiſſe negaturum ante ſecundã vocem cantus galli; &

Euthym. Carthuſ. hãc Chryſoſtomi interpretationem etiam Euthymius & Carthuſianus ſuper Matthæi cap.26.ſecuti ſunt.

Caiet. Caietanus 3.quandam adinuenit viam & rationem conciliandi inter ſe euãgeliſtas;ait.n.Dominum prius dixiſſe id quod refert Marcus,Petrum ter fuiſſe negaturum

turum,antequàm gallus bis vocem daret;ſed cùm Petrus pergeret ſuam illam iactare fortitudinem, & cõſtantiam,Chriſtus poſteriùs ei peiora prænũtiauit dicens,quòd ter eũ negaturus eſſet antequàm gallus cãtaret,& hoc retulerunt alij tres Euangeliſtæ. Hoc tradit Caietanus explanans prædictionẽ negationis Petri narratam à Marco.Idem explanans negationẽ Petri narratam à Ioanne cap. 18. contendit quòd Petrus ſepties negauerit Chriſtum,ter quidẽ in domo Annæ, bis ad vocem virilem,& ſemel ad vocem muliebrem, & has tres negationes factas eſſe ait ante primum galli cantum,ſicut narrant alij tres Euangeliſtæ; deinde quater in domo Caiphæ ante ſecundum galli cãtum, & hoc retulit Marcus. Nec obſtat, inquit Caietanus, quòd Dominus dixerit,ter eum fuiſſe negaturũ, cùm ipſe negauerit ſepties;nam qui plures negat quàm ter, certiſſimũ eſt eum negare ter:& hæc quidem eſt Caietani ſententia. At enim, cùm multiplex Petri negatio prædicta ei à Chriſto magnam eſſet habitura vim ad coërcendam & deprimẽdam eius audaciam,potius dixiſſet Dominus,ſepties negabis me,quàm ter negabis me. Illud etiam facit contra Caietanum, quod Marcus narrans negationes Petri factas in domo Caiphæ, vnam narrat ante primum galli cantum, alias verò duas ante ſecundum cantum: eſt igitur inualida Caietani diſtinctio.

Diſcutitur ſententia Caietani dictis, quòd Petrus ſepties negauerit Chriſtum.

QQ 4

QVINQVAGESIMAQVARTA DISPVTATIO.

Declaratur 4. ratio conciliandi Euangeliſtas inter ſe circa tempus negationis Petri, quæ alijs veriſimilior & probabilior videtur.

PROBABILIOR itaque videtur quarta ratio 170. conciliandi Euangeliſtas inter ſe circa tẽpus negationis Petri, ea verò ſic ſe habet. Tres Euangeliſtæ qui ſcripſerunt, Petrum ter negaturũ fuiſſe Dominum ante galli cantum, locuti ſunt de galli cãtu qui maximè ab hominibus obſeruari ſolet, à quo nẽpe vltima noctis pars quæ vocabatur olim quarta vigilia, appellatur gallicinium. Bis enim in nocte galli canere conſueuerũt; ſemel ante mediã noctem, & iterum tribus circiter horis ante diluculum; in quo cãtu perſeuerant vſque ad id tẽporis quod nominatur cõticinium, & iſte cantus dici ſolet gallicinium. Vtrumque galli cantum ſignificauit Iuuenalis illis verſibus:

Iuuenalis ſat. 9.

Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi
Proximus ante diem caupo ſciet, &c.

Marcus itaq; rei geſtæ, vt ab ipſo Petro audierat, accuratã ſcribens hiſtoriã, vtriuſq; cãtus galli diſtinctè meminit, alij verò tres Euãgeliſtæ ſolũ ſpectarũt ſecũdũ galli cãtum, & quia is præcipuus eſt, præcipuéque obſeruari ab hominibus ſolet, ideo appellarũt ſimpliciter cãtũ galli. Idẽ ergo ab omnibus Euãgeliſtis ſignificatũ eſt tẽpus futuræ negationis Petri, ante quod conſũmãda erat negatio Petri, hoc eſt, ante gallicíniũ, quod alij tres Euãgeliſtæ ſecundũ vulgarẽ loquẽdi modum appellarũt ſimpliciter cãtũ galli. Marcus verò ſecũdũ ſubtiliorẽ, preſſioremq; loquẽdi rationem nominauit

ſecun

Digitized by Google

ſecundum galli cantum: hunc enim ſignificauit dicens. *Antequàm gallus bis vocem dederit.* Non enim illud, *Bis vocem dederit*, ita eſt accipiendum, quaſi duplicatam vocem vel cantum ſignificet, ſed prout ſignificat duas diuerſas vices canendi, ſiue duo diuerſa tempora quibus in nocte galli canere ſolent.

171. Lubet, ſuper eo quod de galli cantu diximus, referre hoc loco quæ ſuper eadem re ſcripſit Plinius in vigeſimo primo capite libri decimi: valent enim ad eorum quæ dicta ſunt confirmationem & illuſtrationem. Plinij verba ſunt hæc: *Proximè gloriam ſentiunt, & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis ad opera mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit, norunt ſidera, & ternas diſtingunt horas interdiu cantu: cum ſole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas, laborémque reuocant. Nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diémque venientem nuntiant cantu, ipſum verò cantum plauſu laterum*, & cætera quæ deinceps ſubiungit Plinius. Huc etiam pertinent illa quæ de galli cantu ſanè quàm luculentè ſcripſit B. Ambroſius in Hymno qui canitur ad laudes Dominicæ; ipſos eius verſus hic adſcribam: *Plinius.* *Ambroſius.*

Præco diei iam ſonat,
Noctis profundæ peruigil,
Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem ſegregans.
Hoc excitatus Lucifer,
Soluit polum caligine:
Hoc omnis errorum chorus
Viam necendi deſerit.
Hoc nauta vires colligit,
Pontique miteſcunt freta;
Hoc ipſa Petra Eccleſiæ,
Canente, culpam diluit.
Surgamus ergo ſtrenuè,
Gallus iacentes excitat,
Et ſomnolentes increpat,
Gallus negantes arguit.
Gallo canente ſpes redit,
Ægris ſalus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapſis fides reuertitur.

Viſum eſt nobis hoc loco verba illa Domini que Lu-

cas pręmiſit prędictioni trinæ negationis Petri à Domino pronunciatæ breuiter interpretari: ex illis enim intelligitur, lapſum Petri per negationem Domini non modò non fuiſſe perpetuum atque irreuocabilem, ſed nec propter eum maxima illa poteſtate & dignitate promiſſa ei à Domino fuiſſe Petrum vllatenus abdicatum, verba illa Domini ſunt huiuſmodi: *Ait autem Dominus Simoni, Simon, ecce Satanas expetiuit vos. vt cribraret ſicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.*

QVINQVAGESIMA QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis quæ ſunt apud Lucam, Cap. XXII.

Ait autem Dominus, Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.

ANTE ſupradicta verba narrauit Lucas or- 172.
tam inter diſcipulos diſceptationem, quis eorum maior eſſet, id autem eſt, quis eorum poſt mortem Chriſti inter ipſos primatum & principatum obtinere deberet. Supradictis autem verbis ſignificat Lucas, Chriſtum tectè inſinuaſſe quem poſt ſe relicturus eſſet ipſorum & totius Eccleſiæ ſuæ principem & caput: ſimúlque quantum ei periculum impenderet, ex quo tamen, beneficio ipſius, eripiendus eſſet. Cùm enim propriè vni Petro loquitur, & pro eo ſe ſingulariter rogaſſe Deum ait, eíque mandat vt conuerſus ipſe cōfirmet fratres ſuos, ſatis

Locus Lucæ cap. 22. fusè tractatus.

ſatis hoc ipſo indicat, eum aliorum principem & caput eſſe futurum.

173. Græca lectio habet geminatum nomen Simonis hoc modo, *Simon, Simon.* Sic etiam legit in commentario huius loci Beda, & Proſper in lib. 1. de vocatione Gentium cap. vlt. licet author eius operis vulgò putetur Ambroſius; ſic etiam legit Agatho Papa, cuius verba referuntur in Actione 4. Sextæ Synodi: ſic etiam nunc habent latina Biblia Sixtina, quæ cæteris ementatiora videntur, iſta verò geminatio nominis Simonis valet ad excitandam animi attentionem & affectum. Pro illo *expetiuit* verbum græcum quod eſt hoc loco, ſignificat expoſcere aliquem ad pœnam & torturam, quod latini appellant depoſcere. Proſper ſupradicto loco, & Cyprianus in 4. epiſtola lib. 4. & Tertullianus in libro de Fuga in perſecutione pro *expetiuit* legunt, *poſtulauit*. Cribrare autē metaphoricè ſumptum ſignificat, variis tentationibus concitare, & concutere, ac diuexare, ſicut triticum in cribro huc illuc agitatur vt puluis, vel paleæ ab eo ſecernantur. Cyprianus pro *cribraret* legit, *vexaret*, Proſper, *cerneret*, Tertullianus, *diſcerneret*, in ſupradictis locis. Sicut igitur olim Satanas accepit à Deo poteſtatem vexandi Iob ad breue tempus (quæ tamen vexatio, contra quam putauerat & dixerat Satanas, valuit ad illuſtrandam magis conſtantiam eius in rebus aduerſis & pietatem erga Deum) ita idem Satanas tunc expetens & depoſcens à Deo vexationem Apoſtolorum, eam impetrauit ad breue tempus, quæ tamen, contra conſilium & voluntatē Satanæ, ceſſit non in exitium, ſed in vtilitatem Apoſtolorum. Hæc autem vexatio Apoſtolorum rectè aſſimilatur cribrationi tritici, non ſolùm ad demonſtrandam grauitatem futuræ tenta-

Beda. Proſper. Agatho Papa. Proſper. Cyprianus. Tertullianus. Iob 1. 2. Cur vexatio Apoſtol. aſſimilatur cribrationi tritici.

tionis,ſed etiam ad declarandum bonum illius tentationis exitum & ſucceſſum: ſicut enim triticum ex cribratione nihil læditur, ſed magis purgatur reiecto puluere,& mundius efficitur; ita per illam tentationem Apoſtoli breui tempore vexati,ſeparato ab ipſis Iuda,purgatiores & firmiores futuri erant.Simili metaphora vſus eſt Dominus per Amos cap.9.dicens.*Ecce mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael,ſicut concutitur triticum in cribro;& non cadet lapillus ſuper terram.* Quemadmodum enim cùm in cribro concutiuntur lapides ſimul cum puluere, per eam concuſſionem fit,vt puluis quidem decidat, lapides verò permaneant in cribro; ita futurum erat in concuſſione populi Iudaici, vt iuſti quidem ſeruarentur, impij verò tanquam puluis caderent & perirent,ſicut Dauid dixit,*Non ſic impij,non ſic,ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.*

Locus Amos cap. 9.

Pſalm. 1.

Ex his porrò verbis quæ Dominus Petro dixit de 174
Satana, Tertullianus in libro de Fuga in perſecutione, argumentatur, Diabolum poteſtatem nocendi hominibus,præſertim autem ſeruis Dei, nullo modo exercere poſſe,niſi quando, & quantum Deus ei permiſerit:& ad hoc indicandum,alicubi ſcripturam inducere Diabolum expetentem & poſtulantem à Deo vexationem hominum.Verba Tertulliani hæc ſunt: Nihil Satanæ in ſeruos Dei viui licebit,niſi permiſerit Dominus,vt aut ipſum deſtruat per fidem Electorum in tẽtatione victricem;aut homines eius fuiſſe traducat,qui defecerint ad illum.Habes exemplum in Iob, cui Diabolus nullam potuit incutere tentationem,niſi à Deo accepiſſet poteſtatem:nec in ſubſtãtiam quidem eius niſi Dominus.*Ecce*(dixiſſet)*omnia quæ ſunt ei, in manu tuâ do,in ipſum autem ne extenderis manum.*Denique

Quod non liceat Diabolo vexare ſeruos Dei, niſi quãdo, & quãtum ei permiſerit Deus. Pulchra Tertulliani diſputatio.

Iob 1.& 2.

que nec extendit, niſi poſtea quam & hoc poſtulanti Dominus, *Ecce* (dixiſſet) *trado tibi illum, tantùm animam eius cuſtodi.* Sic & in Apoſtolos facultatem tentationis poſtulauit, non habens eam niſi ex permiſſu: Siquidem Dominus in Euangelio ad Petrum, *Ecce* (inquit) *poſtulauit Satanas vt diſcerneret vos velut frumentum; verum ego rogaui pro te ne deficeret fides tua*, id eſt, ne tantùm Diabolo permitteretur, vt fides periclitaretur: quo oſtenditur, vtrumque apud Deum eſſe, & concuſſionem fidei, & protectionem, cum vtrumque ab eo petitur, concuſſio à Diabolo, protectio à filio, & cætera quæ deinceps ſubdit Tertullianus.

QVINQVAGESIMASEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis quæ ſunt apud Lucam, CAP. XXII.

Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.

175. CHRISTVS præcipuè ac ſingulariter rogauit pro Petro, tum quia ille vehementius quam cæteri tentandus, grauiuſque lapſurus erat; tum quòd ipſe princeps aliorum & rector futurus, eos in fide & ſpe veniæ impetrandæ confirmare debebat. *Vt non deficiat, inquit, fides tua*, illa nempe fides quam tibi nõ caro & ſanguis, ſed Pater meus cœleſtis reuelauit, propter quam te beatum prædicaui, in qua tanquam in ſolidiſſima petra ædificabo Eccleſiam meã, contra cuius firmitatẽ portæ inferi nunquã præualebunt. Et quia Chriſtus in hac oratione exauditus eſt, ſemper enim ipſe exaudiebatur à Patre, ſicut ipſe

Cur Chriſtus ſingulariter orauerit pro Petro.

Locus Lucæ cap. 22. copioſè explicatus.

Matth. 16.

Digitized by Google

Ioann. 11. oſtendit illis ſuis verbis. *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me, ego autem ſciebam quia ſemper me audis*: idcirco credimus fidem Petri, etiam cum negauit Chriſtum, non defeciſſe. Illud enim ſatis improbabile eſt quod dixere quidam, fidem Petri, licet ea defecerit ad breue tempus, non defeciſſe tamen finaliter: cùm enim nullius Apoſtolorum qui tunc erant, ſeparato iam ab illis Iuda, fides defecerit finaliter, oratio Chriſti non in ſingulare aliquod Petri priuilegium ceſſiſſet, quod eſt contra ſententiam Ambroſij, Chryſoſtomi, Theophylacti, Bedæ in explanatione ſupradictorum verborum Domini apud Lucam.

An fides Petri defecerit, cum negauit Chriſtum.

Ambroſius. Chryſoſtomus. Theophylactus. Beda.

Sed contra hoc quiſpiam nobis obiiciet quod ſcripſit Ambroſius de fide Petri, in Serm. 47. & refertur Diſtinc. 50. cap. Fidelior. ſic enim ait: Fidelior factus eſt Petrus, poſtquàm fidem ſe perdidiſſe defleuit. Ad hoc reſpondendum eſt, Ambroſium nomine fidei intellexiſſe vel fidelitatem, quam Petrus tunc Chriſto non ſeruauit; vel confeſſionem fidei Chriſti quam dare tunc debebat. Itaque licet ore Chriſtum negauerit, corde tamen fidem eius retinuit: Hoc autem ita dixit Theophylactus ſuper Lucæ cap. 22. hæc ipſa verba Domini explanãs, Quamuis, inquit Dominus, breui tempore concutiendus ſis Petre, habes tamen recondita ſemina fidei, vt etiam ſi folia abiecerit ſpiritus inuadentis, radix tamen viuat, nec deficiat fides tua. Sed hoc apertiùs & luculentiùs docet nos B. Leo in Sermone 9. de Paſſione Domini ita ſcribens, In Petro fuit non fides ficta, non dilectio auerſa, ſed conſtantia euerſa: hinc abundauit fletus, vbi non defecit affectùs & fons charitatis; lauit verba formidinis, nec tardatum eſt remedium abolitionis, vbi non fuit iudicium voluntatis. Citò igitur in ſoliditatem ſuam redit 176.

Explicatur dictũ quodda Ambroſij de Petri fidei defectione.

Theophylactus.

B. Leo.

diit

diit petra, tantam recipiens fortitudinem, vt quod in Chriſto expauerat in paſſione, in ſuo poſtea ſupplicio non timeret. Videat Lector Hilarium ſuper Pſalm. 52. & Can. 31. & 32. in Matthæum, & Ambroſium in Lucæ cap. 22. *Hilarius. Ambroſius.*

177. Hinc apparet non eſſe probabilem vulgarem illam opinionem, omnes Apoſtolos in tempore paſſionis Chriſti amiſiſſe fidem, & ſolam Beatiſſimam Virginem tunc fidem conſeruaſſe; idque dicitur vulgò ſignificari, eo quòd in illo triduo hebdomadæ ſanctæ in templis in officio Eccleſiaſtico omnes candelæ extinguuntur, excepta vna. Dici enim poteſt Apoſtolos tunc non defeciſſe à veritate fidei, ſed vel ab exteriore confeſſione fidei, vel à fide viua quæ per dilectionem operatur. Quanquam Rupertus libro quinto de Diui. Officiis ait, per illos priores cereos extinctos ſignificari Prophetas à Iudæis interfectos; per illum autem cereum qui ad breue tempus abſconditur, ſignificari Chriſtum, qui triduo tantùm mortuus reſurrexit ad vitam immortalem. *Diſcutitur opinio quædam vulgaris, quòd in tempore Paſſionis domini omnes Apoſtoli fidem amiſerint. Ad Gal. 4. Rupertus.*

178. Ambroſius excuſans Petri negationem, ait eum non negaſſe illum eſſe Deum, ſed negaſſe illum tantùm eſſe hominem: explanans enim negationem Petri quam narrat Lucas cap. 22. ita fermè ſcribit: Quid Petrus negauerit, conſidera, ex illis vtique ſe eſſe qui cum Ieſu Galilæo erant, vel, vt Marcus poſuit, Nazareno: nunquid negauit ſe cum Dei fuiſſe filio? hoc eſt dicere, neſcio Galilæum, neſcio Nazarenum, quem Dei filium noui: ſic Ambroſius, cuius interpretationem tacito nomine improbans Hieronymus ſuper Matth. capit. 26. hunc in modum ſcribit, Scio quoſdam pio affectu erga Apoſtolum, locum hunc ita interpretatos, vt dicerent, Petrum non Deum ne- *Quomodo Ambroſius excuſet negationẽ Petri. Interpretationem Ambroſij refellit Hieronymus.*

gaſſe, ſed hominem, & eſſe ſenſum, neſcio hominem, quia ſcio Deum. Hoc quàm friuolum ſit, prudens lector intelligit; ſic enim defendunt Apoſtolum, vt Deum mendacij reum faciant; ſi enim Petrus non negauit, ergo mentitus eſt Dominus qui dixerat, *Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis*, cerne quid dicat, *me negabis*, non hominem. Sanè, Petrum in illa Chriſti negatione peccaſſe, ſatis ipſemet oſtendit; nam mox, vt pulſo timore ad ſe rediit, peccatum agnoſcens & perpendens, defleuit amarè culpam ſuam, ſic enim ſcripſit Lucas cap. 22. *Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat, quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis: & egreſſus foras Petrus fleuit amarè.* Nec illud eſt probabile, quod ſcriptum reliquit Petrus Chryſologus in ſermone 8. qui eſt de ieiunio & eleemoſyna; ait enim, Petrum negando Chriſtum, perdidiſſe Apoſtolici ordinis principatum: ſed eum recuperaſſe per miſericordiam, ſiue per opera miſericordiæ. Verba eius ſunt hæc, Miſericordia enim & peccatores liberat, & reſtituit ſanctos: niſi adfuiſſet miſericordia, etiam Dauid cum adulterat, amiſerat prophetiam, & Petrus cum negat. Apoſtolici ordinis perdiderat principatum. &c.

Opinio Petri Chryſologi, quod Petrus negando Chriſtum perdidit Apoſtolici ordinis principatũ.

QVIN

QVINQVAGESIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Ex ſupradicta Chriſti oratione pro Petro rectè concludi à doctoribus Catholicis, nunquam in Apoſtolica & Rom. ſede rectam & ſinceram fidem Chriſti defeciſſe, aut defecturam eſſe.

179. EX illa Chriſti pro Petro oratione probarunt multi Patres, & Doctores Catholici in Apoſtolica & Romana cathedra & Eccleſia nũquam fidem catholicam defeciſſe, ſed eam ſemper ab omni hæreſeos labe & errore mundam atque incontaminatam permanſiſſe. Id pro certo & indubitato complures ſummi Pontifices tradiderunt, Marcus in epiſtola ad Athanaſium, Fœlix ad Benignum, Lucius ad conſulta epiſcoporum Gallorum & Hiſpanorum, Agatho in epiſt. contra Monothelitas ad Conſtantinum Imperatorem, & Heracleum & Tiberium Auguſtos, Euſebius ad Epiſcopos Campaniæ & Tuſciæ. Hoc etiam ipſo rerum euentu & experimento compertum & comprobatum eſt: Illud enim Chriſti vaticinium, non defecturam Petri fidem, veriſſimè in ſola Romana Eccleſia impletum eſt, hanc enim conſtat nũquam à fide catholica defeciſſe, licet omnis fermè terrarum orbis omni machinarum genere eam labefactare conatus ſit, conſpirantibus ad eius euerſionem tam Paganis, quàm hæreticis & ſchimaticis.

Marcus. *Fœlix.* *Lucius.* *Agatho.* *Euſebius.*

180. Hinc etiam doctores catholici fidem Rom. Pontificis qui eſt verus Chriſti Vicarius & legitimus Petri ſucceſſo nunquam defeciſſe, nec defecturam eſſe probant. Non enim illud priuilegium fuit vnius duntaxat Petri, ſed etiam omnium Petri ſucceſſorum. Fides

Digitized by Google

etenim ſummi Pontificis dupliciter conſiderari poteſt, vel vt priuati hominis & doctoris, vel vt eſt eius qui ſummus eſt in vniuerſa Eccleſia rector,& doctor, & iudex. Priori modo fidem Pontificis deficere poſſe non inficiantur Doctores catholici, idque indicatur diſtinct.40.ca.Si Papa:Poſteriore autem modo fidem ſummi Pontificis nec defeciſſe vnquam,nec defecturam eſſe, omnes Catholici Doctores omni aſſeueratione confirmant. Albertus tamen Pighius libro 4. de Hierarchia Eccleſiaſtica cap.8. pugnaciſſimè contendit,ne fidem quidem perſonalē & priori modo acceptam ſummorum Pontif.R.defeciſſe vnquam, & nōnullos ſummos Pontif. hæreſeos inſimulatos ab eo crimine vindicat,& quod in ſupradicta Diſt. 40. traditur in bonam ipſe partem interpretatur. Sed non eſt huius loci ſubtiliter & accuratè hanc controuerſiam tractare.

Albertus Pighius.

QVINQVAGESIMA OCTAVA DISPVTATIO.

Super illis verbis quæ ſunt apud Lucam c.22.

Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

De Primatu Romani Pontificis.

EX hac Domini ſententia, & ex illa eiuſdem 181.
quæ eſt apud Matth. cap. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*:& ex illa quæ eſt apud Ioannem cap.21. *Paſce oues meas*, pro certo & indubitato habuerunt & tradiderunt Patres penes Cathedram Apoſtolicam & Romanum Pontificem eſſe authoritatem atque poteſtatem ei à Domino

Locus Lucæ cap.22.

mino

mino in Petro, cuius legitimus eſt ſucceſſor, collatam in vniuerſam ipſius Eccleſiam, in iis qui ad fidem & ad bonos mores pertinent: authoritatem dico & poteſtatem declarandi dubia, confirmandi infirma, explicandi difficilia, approbandi vera, damnandi falſa, corrigendi praua, denique ordinandi, & paſcendi, tuendíque vniuerſam Eccleſiam. Atque hunc ſedis Apoſtolicæ & Rom. Pontificis principatum, hanc authoritatis & poteſtatis excellentiam Eccleſia vbique terrarum ab Apoſtolorum vſque temporibus ſemper agnouit, ita vt ne Arriani quidem id auderent inficiari, vt ſcribit Sozomenus libro quarto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 15. & 16. Id verò, ſatis oſtendit perpetua Catholicæ Eccleſiæ conſuetudo, ſemper enim in quęſtionibus fidei, in grauioribus cauſis, & in rebus difficilioribus ſolemne fuit; Epiſcopos aliarum Eccleſiarum conſulendi, & diſcendi cauſa ad Romanum Pontificem adire vel referre: ab illius ore fideles ſemper fidei oracula petijſſe in controuerſijs quæ ad doctrinam & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinebāt, iudiciū & ſentētiam eius Catholicos omnes expectaſſe, eius quoque authoritatē & confirmationē OEcumenica Concilia efflagitaſſe. Et verò, in controuerſijs de fide vel in grauioribus cauſis recurſum fieri debere ad Pontificem Rom. & patrum ſentētia, & perpetua Eccleſiæ conſuetudine comprobatum eſt: id certè confirmari poteſt grauiſſimis teſtimonijs compluriū ſummorum Pontificū, multorúmque veterum Patrum, & illuſtrium Eccleſiæ Doctorum; quæ teſtimonia diligenter collegerunt, & fideliter commemorarunt, prudenterque ponderarunt Catholici ſcriptores qui aduerſus Hæreticos de primatu Pontificis Rom. ſcripſerunt. Sed omnium copioſiſſimè, & accuratiſſimè, &

Sozomen.

doctiſſimè hanc controuerſiam,& alias quæ cum hæreticis diſceptantur,tractauit Illuſtriſſimus Card.Bellarminus, vir optimè ſcriptis ſuis de Catholica Eccleſia meritus, nec ſolùm doctrina,ſed etiam integritate vitæ atque innocentia, ſingularique pietate ac religione toti lucens Eccleſiæ.

Card. Bellarminus.

Nobis in præſentia nec Patrum teſtimonia referre, 182.
nec pleniorem huius controuerſiæ tractatum facere viſum eſt,ne, quod veteri prouerbio vetatur, actum agere,alieno præſertim loco,videamur.Illud tantùm in hac diſputatione indicare lectori voluimus,ſemper Eccleſiam catholicam intellexiſſe, illis Domini verbis,*Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*,ſignificatum eſſe, maximam authoritatem & poteſtatem à Domino datam fuiſſe Petro & ſucceſſoribus eius in vniuerſam Eccleſiā, circa omnia quæ ad fidei & morum doctrinam pertinent.Sanè cōſuetudo fuit in Eccleſia catholica, nūquam admittendi appellationem in cauſis Fidei à Romana ſede:quo argumēto probat Gelaſius Papa ſedem Apoſtolicam de omni Eccleſia iudicare,ipſam verò nullius ſubeſſe iudicio. Mos etiā fuit antiquus, vt qui defecerant à recta fide & obedientia Eccleſiæ Romanæ, non antè reconciliatio eis concederetur, quàm profiterentur ſub certa quadam verborum formula,in ſede Apoſt. infallibilem atque indefectibilem eſſe rectæ fidei doctrinam ; & vt qui huius ſedis iudicio non acquieſcebant, decretis non parebant, iuſſis non obediebant, eiúſque priuilegia tollere conabantur, ſchiſmatici,& hæretici haberentur. Hanc cōfeſſionis normam præſcripſit Bonifacius II. in epiſtola ad Eulaliū Carthaginienſem Epiſcopū: eandē Ormiſda Papa miſit ad Epiſcopos Hiſpaniarū, & Adrianus dedit ad octauam ſynodum Generalem: hanc

Gelaſius.

Bonifacius II.

Ormiſda.

Adrianus.

hanc Ioannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus pro- *Ioannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus.*
feſſus eſt, cum Eccleſia Conſtantinopolitana Roma-
næ, à qua authore Achatio defecerat, vniretur.

183. Illud porrò *confirma fratres tuos*, non ſolùm pertinet *Quid ſit confirmare fratres ſuos.*
ad Chriſtianorum confirmationem in fide, ſed etiam
ad peccatorum hominum conſolationem & confir-
mationem in ſpe impetrandi per pœnitentiam à Do-
mino veniam, & redeundi ad gratiam eius. Ob hoc
enim ſicut apparet, inquit Leo ſerm. 9. de Paſſione Do-
mini; B. Petrus hæſitare permiſſus eſt, vt in Eccleſiæ *Cur permiſerit Deus B. Petrum labi.*
Principe remedium pœnitentiæ conderetur: & nemo
auderet de ſua virtute confidere, quando mutabilita-
tis periculum nec B. Petrus potuiſſet euadere. Hac ipſa
de re ſcripſit Theophylactus in Marci cap. 14. hoc *Theophyl.*
modo: Permiſit Deus (Petrum in illud peccatum labi)
ſingulari quadam diſpenſatione, ne extolleretur, & vt
compateretur labentibus, à ſe ipſo eruditus quanta ſit
humana imbecillitas & fragilitas. Idem Lucæ cap. 22.
ſic ait, In tantum malum Petrus metu correptus, & pa-
rum à Domino derelictus, propter temeritatem per-
uenit, vt doceatur, vt & ipſe facilis ſit ad dandam alijs
veniam: pertinacior enim erat, & niſi ſic fuiſſet
correctus, alijs veniam non dediſſet
manens in ſua moroſitate.

***

Digitized by Google

in me eſt? Verba quæ ego loquor vobis, à me ipſo non
loquor: Pater autem in me manens, ipſe facit opera.
**Noncreditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* 11.
**Alioquin propter opera ipſa credite. Amen amen* 12.
dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, &
ipſe faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Pa-
*trem vado. * Et quodcumque petieritis Patrem in* 13.
nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Fi-
*lio. * Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciã.* 14.
** Si diligitis me: mandata mea ſeruate.* Et ego ro-* 15.
gabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt 16.
*maneat vobiſcum in æternum, * Spiritum veritatis,* 17.
quem mundus non poteſt accipere, quia non videt
eum, nec ſcit eum, vos autem cognoſcetis eum: quia
apud vos manebit & in vobis erit. Non relinquam* 18.
vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicum: &* 19.
mundus me iam non videt. Vos autem videtis me,
quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoſ-* 20.
cetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego
*in vobis. * Qui habet mandata mea, & ſeruat ea,* 21.
ille eſt, qui diligit me. Qui autẽ diligit me, diligetur
à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei
meipſum. Dicit ei Iudas, non ille Iſcariotes: Do-* 22.
mine, quid factũ eſt, quia manifeſtaturus es nobis te-
ipſum, & non mundo? Reſpondit Ieſus, & dixit ei:*
Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & Pa- 23.
ter meus diliget eum, & ad eum veniemus, & man-
ſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſer-* 24.
mones meos non ſeruat. Et ſermonem quem audiſtis

25. *non eſt meus: ſed eius, qui miſit me, Patris.* * *Hæc*
26. *locutus ſum vobis, apud vos manens.* * *Paraclitus*
autem Spiritus ſanctus, quē mittet Pater in nomi-
ne meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis om-
27. *nia, quæcumque dixero vobis.* * *Pacem relinquo vo-*
bis, pacem meam do vobis: nō quomodo mundus dat,
ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formi-
28. *det.* * *Audiſtis quia ego dixi vobis: Vado, & venio*
ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtiq. quia vado
29. *ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* * *Et nunc dixi*
vobis priùſquàm fiat: vt cùm factum fuerit credatis.
30. * *Iam non multa loquar vobiſcum. venit enim prin-*
ceps mundi huius, & in me non habet quidquam.
31. * *Sed vt cognoſcat mundus quia diligo Pa-*
trem, & ſicut mandatum dedit mi-
hi Pater, ſic facio. Surgite ea-
mus hinc.

IN

IN CAPVT DECIMVM-QVARTVM, ET IN SERMONEM DOMINI POST COENAM,

Diſputationes Quadraginta.

PRIMA DISPVTATIO.

Super argumento, ſiue materia ſermonis Domini poſt cœnam.

1. ETSI omnia Domini noſtri dicta, omnéſque ſermones, admirandi & venerandi ſunt; is tamen ſermo quem poſt vltimam cœnam & ante paſſionem ſuam, cum diſcipulis ſuis nouiſſimum habuit, diuinam eius ſapientiam & charitatem expreſſiùs & magnificentiùs vſquequaque oſtendit. Nec is profectò videtur à quoquam legi poſſe ſine magna commotione animi & ad dilectionem Dei & proximi, & ad humilitatis & patientiæ, & aliarum Chriſtianarum virtutum ſtudium & cultum inflammatione. Hunc autem ſermonem maxima ex parte Chriſtus habuit cum diſcipulis, idq; narratur à Ioanne in hoc capite decimoquarto & aliis duobus ſequentibus; extrema verò ſermonis pars quæ in decimoſeptimo capite commemoratur, ad Deum Patrem refertur; quem Chriſtus rogat, vt diſcipulos ſuos à malis ſeruet, ſuíſque cœleſtibus bonis augeat; in primis verò vt eos in mutua dilectione & concordia

conſeruet. Eſt porrò hic Domini ſermo partim conſolatorius, partim exhortatorius, partim etiā moralis & propheticus; ad hæc enim capita reuocari omnia poſſunt quæ in hoc ſermone continentur. Conſolatur enim Chriſtus diſcipulos ſuos ingēti triſtitia & timore conſternatos, eo quòd ab eo audiſſent, ab vno eorum ipſum traditum iri ad necē, & quòd eum Petrus negaturus eſſet, & quòd ipſi ſcandalizandi omnes in eo eſſent, & quòd ipſe abiturus eſſet atque eos derelicturus, & quòd ipſos multa & atrocia mala & pericula manerent. Quatuor verò modis Chriſtus eos conſolatur: Primò indicat, paratas eſſe ipſis in cœlo manſiones, id autem eſt, prædeſtinatos à Deo ipſos eſſe ad cœleſtis, æternæque felicitatis poſſeſſionem. Deinde conſolatur eos promiſſione venturi ſuper eos ſpiritus ſancti, à quo maximis & bonis & gaudiis cumulandi erant: ad hæc, promittens ſe iterum ad eos venturum, & aſſumpturum eos in cœlum, vt ſecum perpetuò maneant, & vitam viuant immortalem & beatam. Poſtremò, conſolatur eos affirmans breuem fore triſtitiam eorum, eamque conſequuturum gaudium ſempiternum; & mala quæ pro nomine ipſius perpeſſuri erant in terris, immenſis, æterniſque bonis in cœlo eſſe compenſanda. Secunda pars ſermonis continet exhortationem eorum ad ſuæ doctrinæ & præceptorum obſeruantiam, ad humilitatis & patientiæ & mutuæ dilectionis ſtudium. Tertia pars ſermonis moralis eſt, partim etiam prophetica: multa enim continet moralia documenta, quæ ad formationem morum & virtutum exercitationem pertinent; quibus nonnullæ inſeruntur atque immiſcentur prædictiones eorum, quæ & ipſis atque eorum poſteris, & Iudæis, & ipſi Diabolo euentura erant. Nobis in animo

mo eſt non perſequi omnia quæ in hoc ſermone Domini copioſe, doctéque tractari poſſent; ſed aliquot duntaxat inſigniores Domini ſententias quæ in hoc ſermone, tanquam in cœlo ſtellæ lucent, diligenter explicare. Harum verò ſententiarũ prima illa hoc loco tractabitur, quę eſt in principio huius capitis decimi quarti: *In domo Patris mei mãſiones multæ ſunt.*

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

In domo Patris manſiones multæ ſunt. VERS. 2.

Exponitur primò illud. *In domo Patris mei.*

2. HOc Domini dictum valebat multum ad conſolandos diſcipulos, eóſque omni turbatione ac timore liberandos: hinc enim intelligebant, paratas eſſe ſibi beatas in cœlis manſiones, ad quas per Chriſtum ipſi aliquando eſſent perducendi. Vocabulo *domus* in præſentia ſignificatur vel ipſa gloria ſempiternæ fœlicitatis in clara Dei viſione, eiúſque fruitione conſiſtens; vel ſupremum cœlum appellatum à Theologis Empyreum, quod eſt domicilium beatarum mentium; vel fœlix illa ſocietas, quæ triumphans Eccleſia nominatur. Sicut autem hoc loco cœleſtis gloria ſignificatur nomine Domus, ita & alibi ſignificatur nomine ciuitatis. Paulus enim in Epiſtola ad Hæbreos cap. 12. ait: *Acceſſiſtis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentes, Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Hæc autem cœleſtis ciuitas magnificis verbis deſcribitur in libr. Tobiæ capit. 13. & Apocalypſis 21.

Quid hoc loco ſignificetur nomine Domus.

Cœleſtis Beatorum ſocietas cur dicatur ciuitas.

ſub imagine vrbis Hieruſalem. Appellatur autem ciuitas, propter diſtinctionem graduum, diſtributionem honorum & præmiorum, communicationem munerum, participationem publicorum bonorum, & propter mutuam inter ſe beatorum notitiam, & dilectionem,& concordiam. Appellatur quoque regnum, quòd illa politia cœleſtis ſit perfecta monarchia habens vnum regem Chriſtum, & propter eius regni nobilitatem, opulentiam, amplitudinem, magnificentiam, & potentiam: cuius regni præſtantia pluribus in pſalmis deſcribitur à Dauide, vt in Pſalmo 2.44.71.109.144. Luculenter autem à Daniele cap. 2. & 7. Appellatur verò & regnum cœlorum, & regnum Dei, & regnum Patris, & regnum Chriſti, & regnum ſanctorum.

Cur appelletur Regnum.

Cur hoc loco dicatur domus.

Hoc autem loco nominatur domus,ad ſignificandum mutuam omnium beatorum inter ſe notitiam, & ipſius Dei, mutuámque inter ſe familiaritatem & concordiam, qualis videlicet inter domeſticos eſſe ſolet.Et quia triplex vſus corporalis domus excellenter ſit in illa domo cœleſti;præſtat enim nobis domus corporalis vt commodè vitam agamus, vt tutò & ſecure viuamus,vt bona noſtra cuſtodiamus ne ab aliis auferantur nobis, vel ne incuſtodita diſſipentur, & pereant nobis.Huius cœleſtis domus tres ſunt partes, fundamentum,parietes,tectum,quibus ſignificantur tria illa quæ ſunt in cœleſti fœlicitate, Dei viſio, & Comprehenſio ſiue poſſeſſio, & Fruitio: vel pro fundamento eſt æternitas beatæ vitæ,pro parietibus eſt ſublimitas gloriæ, pro tecto eſt ſecuritas beatitudinis. Amplitudo huius domus à Baruch deſcribitur illis verbis: *O Iſraël, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius; magnus eſt, & non habet finem, excelſus* 3.

Triplex vtilitas & vſus corporalis domus.

Cœleſtis domus, fundamentum, parietes, & tectum.

Locus Baruch 4.

celſus & immenſus. De huius domus eximia pulchritudine & decore, de gloria & opulentia, de abundantia bonorum eius, & indeficientis voluptatis ac iucunditatis copia, veriſſimè dici poſſunt multa quæ dixit Dauid de domo Dei, dixit, & in Pſalmis eius leguntur, cuiuſmodi ſunt illa: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Gloria & diuitiæ in domo eius. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini: Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus.* *Pſalm. 25. Pſalm. 111. Pſalm. 35. Pſalm. 83. Pſalm. 26. Pſalm. 121.*

4. Sed cur gloria illa cœleſtis appellatur domus Patris? Quatuor ob cauſas: primò vt ſignificetur amplitudo & magnificentia cœleſtis domus, quæ talis & tanta eſt, qualis & quanta decet maieſtatem Dei Patris, cuius vt cecinit Dauid, *Eleuata eſt magnificentia ſuper cœlos.* Deinde, vt ex eo intelligatur quanto Deus honore dignetur ſeruos ſuos, quos non iubet recipi in domum Angeli vel Archangeli vel Seraphini, quod fuiſſet illis tamen ſatis honorificum; ſed in domum ſuam, in menſam ſuam, in beatitudinem ſuam, in gaudium ſuum. *Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Ad hæc, ſi manſiones fœlicitatis noſtræ ſunt in domo Patris Chriſti, non eſt igitur mirandum, ſi Chriſtus vadat parare nobis locum; facilè enim quicquid voluerit perficiet in domo Patris ſui: & Moyſes quidem tanquam fidelis ſeruus verſabatur in domo Dei, vt ait Paulus; Chriſtus autem tamquam filius vnigenitus dominatur in domo Dei patris ſui. Præterea, vt libenter ſeruiamus Chriſto: ſi enim dignè ſer- *Cur dicatur domus Patris, quatuor cauſæ. Pſalm. 8. Matth. 25. Ad Hebræos 3. Num. 12.*

uiuerimus filio, erimus in domo Patris eius honorati, quidquid enim fit in obſequium & honorem filij, id Pater tanquam ſibi factum, egregiè remuneratur. *Ioan. 12.* Quò ſpectant illa: *Siquis mihi miniſtrauerit, honorificabit* *Ioan. 17.* *eum Pater meus qui in cœlis eſt: Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.*

TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vers. 2. *Manſiones multæ ſunt.*

Duæ cauſæ cur fœlicitas æterna dicatur manſio. CVR illa cœleſtis & æterna fœlicitas appellatur manſio? Duas ob cauſas. Primò, quia vltimus terminus ad quem tendit humanus appetitus, eſt illa fœlicitas, extra quam nulla in re alia plenè conquieſcere poteſt, ſicut in ſolo centro quod eſt vltimus terminus motus lapidis, naturaliter manet & conquieſcit lapis: Creaſti nos Domine ad te, ait *Auguſtinus.* quodam loco Auguſtinus, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Deinde, poſſeſſio illius *Inſignis differentia præſentis vitæ noſtræ, atque illius vitæ quæ futura eſt in cœlis.* fœlicitatis dicitur manſio, vt ſignificetur differentia præſentis vitæ, atque illius cœleſtis & æternæ: hæc enim præſens vita noſtra non manet, ſed perpetuò labitur & fluit; eſt enim tanquam ventus tranſiens, vmbra fugiens, fumus deficiens, aqua dilabens, flos egrediens, móxque inareſcens, vapor & nubes breui apparens, citóque euaneſcens, tanquam labentis horologium arenæ, & candela ardens quæ ſua paula- *Ad Hebr. vlt.* tim luce conſumitur. Non habemus hîc manentem ciuitatem,

ciuitatem, ſed futuram inquirimus: in hac vita nec diuitiæ manent, neque honores; neque voluptates: tranſit mundus,& concupiſcentia eius.At cœleſtis illa fœlicitas verè dicitur manſio, quia eſt ſempiterna; æternitas autem eſt quaſi vnum nunc,ſemper ſtans & manens,& fœlicitas illa deſcribitur,ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Ibi ſunt omnia bona, ibi ſunt pura bona, ibi ſunt permanentia, & æterna bona.

1. Ioan. 2.

Boëtius de conſolatione philoſophica.

6. Sequitur illud *Multæ ſunt.* Non eſt vnius menſuræ, neque æqualis gloriæ fœlicitas omnium beatorum, ſed ſicut fuere diſparia eorum in terris merita, ita erunt in cœlis inæqualia præmia. Nam æqualem eſſe omnium iuſtorum & gratiam & gloriam, hæreſis fuit Iouiniani à ſancto Hieronymo confutata in li.2.contra ipſum: quæ manifeſtè refellitur, nō ſolùm his Domini verbis, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt:* ſed etiam illa parabola Euangelica eorum qui accepta talenta multipliarunt,alij plus,alij minus,& à Domino remunerati ſunt, alij minori, alij maiori præmio: hoc etiam confirmat & illa parabola ſeminis in terram iacti & proferentis fructum, alium triceſimum, alium ſexageſimum,alium centeſimum:& Paulus docet diuerſam fore ſanctorum gloriam, ſicut diuerſa eſt claritas Solis & Lunæ,& ſtellarum.

Diſparem eſſe gloriã beatorum.

Matth. 25.

Matth. 13.

1. ad Corinthios 15.

7. Vna eſt gloria omnium beatorum deſignata per vnum illum denarium quem paterfamilias pro mercede reddidit laborantibus in vinea ſua; eſt inquam vna ſeptem modis; primò, obiectiuè, quia beatitudinis omnium obiectum eſt vnum, ipſe Deus. Deinde,ſubiectiuè, quia omnes potentiæ animæ, & poſt reſurrectionem,etiã ipſum corpus, in omnibus beatis glorificatur. Tum,ratione durationis, quia omnium

Quomodo gloria omnium beatorum vt & vna, & multiplex.

Matt. 20.

Gloriam omniũ beatorum eſſe vnã ſeptem modis.

beatorum ſimiliter æterna eſt gloria. Ad hæc, ratione ſecuritatis, & certitudinis de nunquam amittenda illa gloria. Omnes item beati ſimiliter pleni & contenti & ſatiati ſunt ea gloria quam habent, cuius rei exemplum eſſe poteſt in vaſis, aliis maioribus, aliis autem minoribus ex eodem fonte aquam habentibus, & omnibus ſimiliter plenis vſque ad ſummum. Præterea, vna eſt beatitudo omnium ratione priuationis omnium malorum, quæ ſimiliter in omnibus beatis eſt. Poſtremò, ratione communicationis gaudij omnium, cuiuſlibet enim beati gaudium eſt

Auguſtinus. aliorum omnium commune. Videat Lector B. Auguſtinum, in tractatu 67. in Ioannem hæc ipſa quæ nunc tractamus verba Domini explanantem, & de diuerſis beatorum in cœlo manſionibus & de communicatione gaudiorum præclarè diſſerentem, & inter alia ſcribentem hæc, *1. Ioan. 4.* Quia Deus charitas eſt, per charitatem fit, vt quod habent ſinguli beati, hoc commune ſit omnibus; ſic enim quiſque etiam ipſe habet, cùm amat in altero, quod ipſe non habet. Non erit itaque ibi aliqua inuidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas charitatis.

Illa porrò cœleſtis gloria in beatis eſt multiplex 8.
Cauſa diuerſitatis & diſparitatis gloriæ beatorum. & diſpar propter diuerſitatem meritorum: & propter maius vel minus lumen gloriæ, & magis minúſve perfectam eſſentiæ Dei viſionem; alij enim clariùs quàm alij Deum vident, & plura in eo vident, & ardentiùs eum amant, & ſuauiùs eo fruuntur. Differunt autem beati non ſolùm ſecundum gloriam eſſentialem, vt dictum eſt, ſed etiam ſecundum gloriam accidentalem; eſt enim in quibuſdam beatis peculiaris quædam gloria accidentalis quæ non eſt in aliis, ſicut eſt peculiaris quædam gloria &

ria & Martyrum, & Virginum, & Doctorum. Conſona ijs quæ diximus Beatus Gregorius in lib. 4. Moralium cap. vltimo ſuper illis verbis Iob. *Paruus & magnus ibi ſunt.* ſcribit his verbis; Quia in hac vita nobis eſt diſcretio operum, erit in illa procul dubio diſcretio dignitatum; vt quo hîc alius alium merito ſuperat, illic alius aliũ retributione tranſcẽdat. Vnde in Euangelio Dominus dixit, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Sed in eiſdem multis manſionibus erit aliquo modo ipſa retributionum diuerſitas conſors; quia tãta vis amoris in illa pace nos ſociat, vt quod in ſe quiſque non acceperit, hoc ſe accepiſſe in alio exultet. Vnde & non æquè laborantes in vinea, æquè cuncti denarium ſortiuntur. Et quidem apud Patrem manſiones multæ ſunt, & tamen eundem denarium diſpares laboratores accipiunt, quia vna cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamuis non vna ſit omnibus ſublimitas vitæ. Hæc Gregorius. Illæ porrò in domo Patris manſiones, paratæ ſunt ſanctis à Deo ab æterno per eorũ prædeſtinationem ad vitam æternam & vniuſcuiuſque eorum ad talem & tantum gloriæ gradum. Paratæ ſunt etiam à Chriſto Domino per meritum ſuæ paſſionis, qua meruit nobis gratiam vocationis, & iuſtificationis, & perſeuerantiæ vſque in finem. Parantur quoque à nobis, quia nos diuinæ gratiæ cooperando facimus bona opera, quibus in cæleſtes illas manſiones recipi meremur.

Gregorius. *Iob.* 3.

Matth. 20.

Quomodo manſiones illa in domo Patris paratæ ſint ſanctis.

VV

QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 6. *Dicit ei Ieſus, Ego ſum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem niſi per me.*

CVM dixiſſet Ieſus diſcipulis ſuis, *Quò ego va-* 9.
do ſcitis, & viam ſcitis. Thomas dixit ei, *Domi-*
ne, neſcimus quò vadis, & quomodo poſſumus viã
ſcire? Hoc Thomæ dictum admirationis & ignoran-
tiæ plenum, refellens Dominus dixit, *Ego ſum via, &*
veritas, & vita. Fuit Chriſtus nobis via ratione doctri-
næ quam tradidit; ratione cõuerſationis & vitæ cuius
præclara nobis imitanda reliquit exempla; ratione
paſſionis & mortis, per quam peccatum & mortem
deſtruens, facultatem nobis eundi ad cælum prome-
ruit; denique ratione reſurrectionis & aſcenſionis ſuæ
in cælum, quod in ipſo præceſſit tanquam in capite,
idem quoque in nobis aliquando conſecuturum eſſe
præmonſtrans, ſimúlque promittens: ſi tamen doctri-
nam eius amplectamur, ſi conuerſationem imitemur,
ſi paſſionis & mortis eius meritum participemus.

Quatuor modis Chriſtum fuiſſe nobis viã.

Illud autem quod ſequitur, *Veritas & vita*, poſſet 10.
intelligi adiectum eſſe ad declarandum qualis via ſit
Chriſtus: ſunt enim viæ fallaces & mortiferæ, quæ du-
cunt homines ad errores & ad interitum, *eſt enim via*
(*inquit Salomon*) *quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autem*
eius deducunt ad mortẽ. Chriſtus verò eſt via vera & ve-
rax, & viuifica, vtpote certam veritatis cognitionem
præbens, & ad æternam vitam perducẽs. Quapropter
Dominus ipſe dixit, *Qui ſequitur me, non ambulat in tene-*
bris

Qualis via ſit Chriſtus, declarari eo quod ſequitur, veritas & vita. *Prou. 14.*

Ioann. 8.

bris, tenebras appellans falſas doctrinas, erroréſque opinionum, *ſed habebit lumen vitæ*, lumen inquam non ſolùm illuminâs & manifeſtâs res homini: ſed etiâ viuificans ipſum hominẽ; ſicut lux ſolis nô ſolùm illuminat viſû hominis manifeſtâs ei res viſibiles, ſed ipſum etiam corpus hominis fouet atque viuificat. Vel fortaſſe Chriſtus appellans ſe viam, veritatem & vitam, ſignificare voluit ſe & viam eſſe quam ingredi debet homo, & vltimum eſſe terminum ad quem iſta via perducit hominem. Nam Chriſtus qua homo, erat via: per Chriſti namque documenta, & exempla, & merita itur & peruenitur ad vltimum finem hominis. Quà verò Chriſtus eſt Deus, vltimus terminus & finis eſt, is autem eſt veritas & vita: duo enim hæc omnium maximè homo expetit, verum ſcire, & ſemper ac beatè viuere: & fœlicitas ſuprema hominis conſiſtit in perfecta Dei cognitione ſiue viſione, quæ eſt prima & ſumma veritas & vita; ipſum nanque intelligere, vt ſcripſit Ariſt. ſupremus eſt gradus vitæ. Sanè, non agi hoc loco de qualicunque via & veritate & vita, ſed de ſingulari quadam & eximia & diuina, ſatis indicat Græca lectio huius loci, quæ ſingulis illarum trium vocum præpoſitum habet articulum, ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, ἡ ζωή.

Quomodo Chriſtus ſit & via, & terminus via.

Ariſtoteles l. 2. de Anima.

11. Sed videamus, quemadmodum Sancti Patres hæc ipſa Domini verba interpretati ſunt. Cyrillus hunc locum explanâs, ponit hanc quæſtionem, Cùm Chriſtus ſit lux, & ſapientia, & potentia, alíjſque ſplendidis & glorioſis nominibus appelletur in Scriptura; cur præcipuè his tribus nominibus inſigniri & appellari voluit: Ad ſuam ipſe quæſtionem ita reſpondet: Propterea Dominus tûc tria hæc de ſe dixit, quòd per ea côſequi poſſumus cæleſtes in domo Patris manſiones

Cyrillus li. 9. in Ioannem ca. 33.

Chriſtum eſſe viam, & veritatẽ & vitam quomodo interpretati ſint Patres.

Digitized by Google

de quibus paulò antè dixerat: Eſt enim Chriſtus via in qua per bonas virtutũ actiones ex charitate profectas ambulare debemus: eſt veritas cui nos per fidẽ inhærere oportet: eſt vita in quã ſpem & deſideriũ noſtrũ erigere debemus. Vel aliter, Veritas pertinet ad fidẽ, cuius obiectum eſt: Vita pertinet ad fidem, cuius ipſa fructus & præmium eſt: Via ſpem denotat iſta conſequendi; nam per Chriſtum & veritatem cognouimus, & conſequendi vitam æternam potentes facti ſumus.

B. Leo. Non eſt diſſimile quod ſcribit B. Leo in ſermone 2. de Reſurrectione, Eſt, inquit, Dominus noſter via ſanctæ conuerſationis, veritas doctrinæ diuinæ, vita beatitudinis ſempiternæ. Eodem ſpectat illud quod ſcripſit

Bernardus. Sanctus Bernardus in ſermone ſecundo de Aſcenſione Domini, hanc ipſam tractans ſententiam: Sequamur, inquit, Domine, te, per te, ad te; Tu enim es via, veritas, & vita. Via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.

Baſilius. Sanctus verò Baſilius in libro de ſpiritu ſancto ca. 8. Chriſtum dici viam, hunc in modum interpretatur, Quoties Dominus appellatur via, ad ſublimiorem intelligentiam animum erigamus: per viam enim intelligere oportet ſeriem & ordinem per opera iuſtitiæ, perque illuminationẽ ſcientiæ ducentem nos ad legitimum profectũ, ſemper ad anteriora feſtinãtes, & ad

Ad Philip. 13. ea quæ reſtant noſmet ipſos extendẽtes, donec perueniamus ad beatum finem, qui eſt Dei cognitio, quam Dominus per ſeſe credentibus in ipſum elargietur. Reuera enim bona eſt via, & omnis exorbitationis atque erroris neſcia Dominus Ieſus, ad Patrem qui verè bonus eſt perducens. *Nemo* (inquit ipſe) *venit ad*

Ambroſ. *Patrem niſi per me.* Sic Baſilius. B. etiam Ambroſius ſub finem eius libri quem de bono mortis edidit, ſuper hac

hac hac ipſa Domini ſententia hæc ſcribit, Sequimur te Domine Ieſu, ſed vt ſequamur, tu nos accerſi; tu enim es via, veritas & vita, id eſt, poſſibilitas, fides, & præmium. Dirige nos quaſi via, illumina quaſi veritas, viuifica quaſi vita: pande nobis illud verè bonum tuum, in quo mouemur, ſumus, & viuimus; mouemur quaſi in via, ſumus tanquam in veritate, viuimus quaſi in vita æterna. Hactenus Ambroſius. *Act.17.*

QVINTA DISPVTATIO.

Ponitur amplior eorumdem verborum Domini explicatio, & declarantur illa proximè ſequentia verba: Nemo venit ad Patrem niſi per me.

13. SED nos etiam pluribus aliis modis hæc verba Domini enarremus, quò pleniorem atque illuſtriorem expoſitionē lectori tradamus. Primò: Ego ſum via incipientium, Veritas proficientium, Vita perfectorum. Secundò: Via per quam omnes ambulare debēt qui ſalui eſſe cupiunt: Veritas, in cuius contemplatione verſantur & exercentur perfecti: Vita, qua fruuntur Beati. Tertiò: via ducens ad ſalutē animi, morborúmq; animi curationem: Veritas, lucens in tenebris & in vmbra mortis, omnes animis noxios & mortiferos errores diſcutiēs: Vita, paſcens & ſatians, & omnino explens appetitum hominis; eſt enim beatis lux æterna, requies perpetua, gaudium indeficiens, gloria ſempiterna. Quartò: Ego ſum Via ſanctæ vitæ, Egò ſum Veritas ſalutaris do- *Octo aliæ eorundem verborū interpretationes.*

ctrinæ, Ego ſum Vita fœlicitatis æternę. Quintò: Ego ſum Via dirigens in me credentem, Ego ſum Veritas non fruſtrans nec fallens in me ſperantem, Ego ſum vita ſine fine beatificās mihi ſeruientē. Sextò: Ego ſum Via per quam ambulans, ex omnibus malis euades; Ego ſum Veritas cui credens, ab omni errore liberaberis, & quæ tibi à me promiſſa ſunt conſequeris; Ego ſum Vita cuius particeps, nec mortis nec vllius mali metu afficieris. Septimò ſi ego ſum Via, nō indiges igitur alio duce, ſi ſum Veritas, non indiges alio magiſtro & doctore, ſi ſum Vita, non opus habes alio ſaluatore. Octauò: ego ſum Via non errans, Veritas non fallens, Vita non deficiēs, ſed ſemper beata. Moyſes quidē & Prophetæ indicarunt & prænuntiarunt rectam viam, ſinceram veritatem, & bonā verámque vitam: at Dominus Ieſus eſt illa ipſa via, & veritas, & vita. Extra Chriſtum viæ ſunt obliquæ, fallaces, periculoſæ, mortiferæ. Cōſideret Lector quales viæ ſint per quas ambulant auari, ambitioſi, voluptuoſi, aliíque vani & væſani amatores huius mundi: quàm ſint viæ difficiles & laborioſæ, quàm tortuoſæ, quàm intutæ, quàm aſperæ, quàm fallaces, quàm lubricæ ad lapſum & præcipitium. Hoc etiam ipſi qui per eas vias ambularunt, confitentur illis verbis quæ referuntur in libro Sapientiæ cap. 5. *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ, lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.*

Extra Chriſtum quales ſint viæ.

Locus Sap. cap. 5.

14. Quod autem poſt ſupradictā verba proximè Dominus adiunxit; *Nemo venit ad Patrem niſi per me*, declarat, quemadmodum ipſe ſit via, & quis eius viæ terminus ſit, peruenire videlicet ad Patrem. Dupliciter autem intelligi poteſt, per Chriſtum iri ad Patrem: Primò

Tribus modis per Chriſtum perueniri ad Patrem.

mò, quia cum ipſe ſit filius naturalis Dei Patris, & figura ſubſtantiæ eius, cognito ipſo etiam neceſſe eſt Patrem cognoſci, ſicut ipſe dixit. *Qui videt me, videt & Patrem.* Deinde, quia, vt ſupra Ioannes ſcripſit, *Deũ nemo vidit vnquam, vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Chriſtus enim & copioſam, & explicatam, & luculentam Dei Patris cognitionem hominibus tradidit. *Manifeſtaui* (dixit ipſe) *nomen tuum hominibus.* Denique, ad viſionem Dei Patris perueniri non poteſt niſi per Chriſtum, id autem eſt, niſi eius doctrinæ credendo, niſi vitam & conuerſationem imitando, niſi paſſionis & mortis eius virtutem & merita participando. Ante Chriſti aduentum tria homines ab acceſſu ad Deum abſterrebant, Ignorantia ipſius Dei, Conſcientia ſcelerum ſuorum, etiam ipſa Lex Moyſis, quæ nobis Deum ſeueriſſimum iudicem, & acerrimũ peccatorum vindicem oſtendebat. Chriſtus autem Dei erga nos charitatem manifeſtans, deletíſque peccatis noſtris eum nobis reconcilians atque propitians, nec quaſi iudicem, ſed tanquam benigniſſimum Patrem nobis exhibens, ad eum nos fidenter, & alacriter fecit accedere.

Ad Heb. 10.

Ioan. 1.

Ioan. 17.

Ante Chriſti aduentũ tria homines abſterrebant ab acceſſu ad Deum, quæ per Chriſtũ ſublata ſunt.

SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Ver.9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.*

Quomodo Chriſtus ſit vera & perfecta imago Dei Patris.

GRÆCE hoc loco verbum videndi vtroque 15.
in loco legitur in præterito tempore, nec eſt illa cõiunctio, &, ſic enim habet lectio Græca: *Qui vidit me, vidit Patrem.* Quod autem hîc dicitur, viſo Chriſto, etiam videri Patrem; non eſt intelligendum de viſione corporali, Deus enim Pater eſt incorporeus; nec de viſione intellectuali quæ mentis intelligentia naturalique ratione comparari poteſt, cognitio enim Chriſti vt eſt verus Dei filius, ducens in cognitionẽ Dei Patris eſt omnino ſupernaturalis: Sed hoc Chriſti dictum intelligendum eſt de viſione ſiue cognitione ſpirituali, quæ per Dei reuelationem, & illuminationem Spiritus ſancti, id autem eſt, per lumen fidei, contingit homini, multóque magis id verum eſt de viſione beatifica, de qua tamen hoc loco non eſt locutus Dominus. Pluribus autem modis interpretari licet, viſo Chriſto etiam videri Deum Patrem. Primò, propter vnitatem naturæ diuinæ quæ prorſus eadem eſt in Filio & in Patre, ſicut ipſe dixit, *Ego & Pater vnum ſumus.* Secundò, ratione verbi intellectualis quod eſt expreſſa imago rei intellectæ, Chriſtus autem æternum & naturale verbum eſt Dei Patris, ob idque viua imago eius perfectè repræſentans ipſum. Tertiò,

Sex modis intelligi poſſe, viſo Chriſto videri etiam Patrem.

Ioan.10.

Tertiò, ratione filiationis; cùm enim Chriſtus ſit verus & naturalis filius Dei, eſt conſubſtantialis Patri; quoniam autem omnia quæ ſunt in Patre idem re ipſa ſunt cum eius ſubſtantia, Chriſtus habens in ſe ſubſtantiam Patris, ſimul etiam habet omnia quæ ſunt in Patre; hinc autem neceſſariò efficitur, vt viſo Chriſto, etiam Pater videatur. Quartò, ratione doctrinæ Chriſti, quæ doctrina ducebat homines ad claram & diſtinctam & copioſam Dei Patris cognitionem: Chriſtus enim docuit homines Deum habere filium ex ipſo naturaliter & ab æterno genitum, & ipſi conſubſtantialem ac prorſus æqualem: Manifeſtauit etiam hominibus Dei Patris conſilium & decretum mittendi Filium ſuum in terras, & per eum ſaluandi & beatificandi genus humanum. Demonſtrauit quoque hominibus Dei Patris omnipotentiam, infinitam ſapientiam, miſericordiam, iuſtitiam, & inæſtimabilem erga homines charitatem atque benignitatem. Viſo itaque Chriſto, id eſt, cognita eius doctrina etiam videtur & cognoſcitur Deus Pater. Quintò, mores & virtutes & ſanctitas vitæ Chriſti manifeſtabant hominibus Deum Patrem; nam qualem eſſe videbant Chriſtum, nempe plenum ſapientiæ atque omnis gratiæ, & in omnibus perfectum virtutibus; talem cogitare & credere debebant eſſe Deum Patrem ipſius. Sextò, ad hoc ipſum conferebat contemplatio inſignum operum & miraculorum quæ faciebat Chriſtus, per ea probans, Deum Patrem in ipſo manentem ea opera facere. Quam ob cauſam Nicodemus dixit ei, *Scimus quia veniſti à Deo Magiſter; nemo enim* *Ioann. 3.* *poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Et ipſe Dominus dixit: *Pater in me manens, ipſe facit* *Ioann. 14.*

Digitized by Google

opera:non creditis quia ego in Patre,& Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Explicantur tres cauſæ, ob quas Chriſtus dicitur,& eſt vera & perfecta imago Dei Patris.

TRIBVS porrò de cauſis Chriſtus veriſſimè 16.
dicitur eſſe perfecta imago Dei Patris. Primò, quia Chriſtus habens vnam & eandem naturam & ſubſtantiam atque Pater & omnia quæ in ipſo Patre ſunt, ſunt enim re ipſa idem cum ſubſtantia Patris, perfectiſſimè repræſentat ipſum Patrem. Dupliciter autem vna res poteſt eſſe imago alius rei; vel ſubſtantialiter, ſicut Regis imago eſt filius eius, hæc enim imago in eadem natura & ſubſtantia expreſſa eſt,& hac ratione Chriſtus eſt imago Dei. Vel vna res eſt imago alius rei accidentaliter, cuiuſmodi eſt imago Regis expreſſa in moneta aurea vel argentea, ſicut Dominus dixit Iudæis loquens de imagine quæ erat in numiſmate, *Cuius eſt imago hæc? dicunt ei, Cæſaris.* Et hac ratione homo dici poteſt eſſe imago Dei. Sed non eſt ſatis, vt vnum dicatur imago alterius, eſſe ſecundum ſubſtantiam eius ſimile; Duo enim fratres gemelli ſunt inter ſe ſimiles ſecundum ſubſtantiam, nec tamen vnus dicitur eſſe imago alterius: idémque dici poteſt de duobus ouis quæ ſunt inter ſe ſimillima, nec eſt tamen vnum imago alterius. Eſt itaque præterea neceſſa

Dupliciter vna res poteſt eſſe imago alterius rei.

Matt. 22.

neceſſarium, vt id quod eſt imago alterius, originem habeat ab eo, & id propter quod eſt ſimile eius, acceperit ab ipſo: hanc ob cauſam filius verè dicitur imago Patris, Pater autem imago filij verè dici non poteſt.

17. Sed neque hoc ſatis videtur: nam præterea requiritur, vt quod propriè dici debet imago alterius, & ratione ſuæ generationis & productionis ex illo habeat vt ſit eius ſimile; & hoc modo Deus filius eſt verè imago Dei Patris, quia ex vi ſuæ generationis ex illo, & ex eo quod eſt verbum intellectuale eius, habet quod ſit eius ſimillimus. At verò Spiritus ſanctus, licet prorſus eandem habeat ſubſtantiam diuinam atque Filius, & Pater & eam habeat à Filio & à Patre, à quibus ſcilicet procedit, ideóque vtriúſque ſit quàm ſimillimus; propriè tamen loquendo non dicitur imago Filij vel Patris, quia ſimilitudinem eorum non habet ex vi ſuæ productionis; non enim generatur ab illis, ſed ſpiratur; nec procedit ab illis vt verbum intellectuale quod eſt ſimilitudo rei intellectæ, ſed vt amor qui per ſe non eſt ſimilitudo rei amatæ. Quo fit vt nuſquam in ſacra ſcriptura legamus Spiritum ſanctum dici imaginem Filij vel Patris; legimus tamen Filium appellari à B. Paulo imaginem Dei, inuiſibilis, & figuram ſubſtantiæ Patris. Sed quomodo proprium ſit Filij eſſe imaginem Dei Patris, copiosè diſputant Theologi Scholaſtici in primo ſentent. Diſtinct. 28. & B. Thomas in prima part. quæſt. 35. *Ad Coloſſenſes 1. Ad Hebraos 1.*

18. Non me fugit, & à Sancto Baſilio in libro quinto aduerſus Eunomium, & à Damaſceno in libro primo de fide Orthodoxa, & à ſancto Athanaſio in poſteriori Epiſtola quam ſcripſit ad Serapionem, *Baſilius. Damaſcenus. Athanaſius.*

An Spiritus ſanctus propriè dici queat imago filij Dei.

Spiritum ſanctum appellari imaginem Filij Dei; ſed equidem credo, ſanctos iſtos Patres id dixiſſe non ſecundum maximè propriam & profectam imaginis rationem quæ tribus rebus, quas paulò ſuprà declarauimus, conſtare debet; tertia namque & vltima res minimè conuenit Spiritui ſancto, vt oſtendimus. Sed quia Spiritui ſancto conueniunt priores duæ res quæ conſtituunt rationem imaginis; nam & habet ſimilitudinem ſubſtantialē Filij, & ab ipſo habet ſubſtantiam, propter quam eſt ſimilis ei; idcirco ſupradicti Patres appellarunt Spiritum ſanctum imaginem Filij Dei. Et verba quidem Athanaſij ſunt huiuſmodi. Sicut Filius eſt imago Patris, ita Spiritus ſanctus eſt imago Filij. Scriptum enim à Paulo eſt: *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* Sic Athanaſius. Putat itaque Athanaſius per imaginem Filij Paulum intellexiſſe Spiritum ſanctum: ſed non ita eſt, ſcriptura enim appellat ſanctos conformes non Spiritui ſancto, ſed Filio Dei, quem nempe Deus Pater propoſuit quaſi perfectiſſimam imaginem & exemplar, cui aſſimilari & conformari deberent omnes Sancti & Electi. Super illa verò ſententia Pauli quam citauit Athanaſius, nos copiosè diſſeruimus in ſecundo Tomo ſelectarum noſtrarum Diſputationum qui eſt in Epiſt. ad Romanos in Diſputatione vigeſimaprima, in Caput octauum Epiſtolæ ad Romanos.

Ad Ro. 8.

OCTA

OCTAVA DISPVTATIO.

Quomodo ex illis Domini verbis, *Qui videt me, videt & Patrem:* Et ex eo quod Chriſtus in ſcriptura dicitur imago Dei inuiſibilis & figura ſubſtantiæ Patris probauerint ſancti Patres aduerſus Arrianos, Chriſtum non eſſe creaturam, ſed eſſe verum Deum conſubſtantialem & æqualem Deo Patri.

19. RECTE profectò cùm alij Patres, tum præcipuè Cyrillus in Ioannem lib. 9. cap. 37. ex illis Domini verbis. *Qui videt me, videt & Patrem*, argumentantur aduerſus blaſphemiam Arrianorum, Chriſtum non eſſe creaturam, ſed verum eſſe Deum conſubſtātialem & æqualem Deo Patri. Tanta etenim eſt creaturæ diuerſitas à Dei ſubſtantia & maieſtate, vt planè falſum ſit, viſa creatura videri pariter etiam Deum. Maxima verò diuerſitas quæ eſt inter creaturam & Deum, nouem ex rebus cognoſci & perpendi poteſt. Deus etenim ſempiternus eſt; nulla verò creatura eſt, quæ ſemper fuerit; ſed omnis creatura initium aliquod habuit ſuæ durationis. Deus infinitæ perfectionis & virtutis eſt; omnis verò creatura vt naturam, ita perfectionem & virtutem habet determinatam. Deus naturaliter & ſubſtantialiter eſt omnino perfectus; humanæ autem & Angelicæ creaturæ ſumma & vltima perfectio eſt ei accidentalis, & ex gratuito tantùm Dei munere. Deus omnino ſimpliciſſimus eſt; nam eius ſubſtantia, &

Cyrillus.

Diuerſitatem creaturæ à Deo cognoſci ex nouē rebus.

exiſtentia, & operatio, omníſque perfectio prorſus idem re ipſa ſunt inter ſe; omnis autem creatura multiplicem habet compoſitionem, habet enim vel compoſitionem ſubſtantialem, vel certè accidentalem. Deus tantùm ex ſe & in ſe beatiſſimus eſt; omnis autem creatura, quæ capax beatitudinis eſt, extra ſe, & ab alio, id autem eſt, tantùm à Deo & in Deo beatificatur. Deus eſt omnino independens ab alio; omnis verò creatura & in productione ſua, & in conſeruatione, & in operatione, & in perfectione neceſſariò pendet à Deo. Deus eſt omnino immutabilis, ſempérque atque omnino idem permanens; creatura verò eſt multiplici variationi & mutationi ſubiecta. Deus eſt omnipotens, & omniſciens, & à ſe tantùm comprehenſibilis; creaturæ autem & potentia, & ſcientia, & comprehenſibilitas ad certum gradum & menſuram contracta & determinata eſt. Omnis denique creatura, ſi comparetur cum Deo, prope nihil eſt. Scriptum eſt enim apud Iſaiam cap. 40. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* Et in lib. Sapientiæ cap. 11. *Tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani quæ deſcendit in terram.*

Ex ſupradictis neceſſariò, euidentérque concluditur, nullam creaturam eſſe poſſe talem Dei imagi- 20.
nem, vt ea viſa & cognita, neceſſe ſit pariter etiam videri & cognoſci Deum. Cùm enim tam diuerſæ, quin etiam oppoſitæ ſint proprietates Dei & creaturæ, quas paulò antè percenſuimus, quomodo ſi Chriſtus
Ioann. 14. eſſet creatura, verum eſſet quod ipſe dixit, *Qui videt me, videt & Patrem*: Quoniam itaque Chriſtus expreſsè ac perfectè repræſentat Deum Patrem, idcirco ap-
Locus Sapien. 7. pellatur in Scriptura, *Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula*

ne macula maieſtatis Dei, & imago bonitatis illius, à Paulo quoque appellatur. *Imago Dei inuiſibilis, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* *Ad Colo. 1. Ad Heb. 1.*

NONA DISPVTATIO.

Ad confirmationem eius quod dictum eſt, Viſo Chriſto videri etiam Deum Patrem, & quod Chriſtus eſt perfecta imago Dei, aliquot valde memorabiles & illuſtres Patrum ſententiæ afferuntur.

HYLARIVS in libr. de Synodis ita ſcri- *Hylarius.*
21. bit; Si Filius eſt imago Patris; neceſſe eſt diſtinctas eſſe perſonas Patris & Filij, quia nihil ſui eſt imago. Neceſſe item eſt, indifferentem eſſe vtriuſque ſubſtantiam, alioquin non eſſet Filius perfecta imago ſubſtantiæ Patris. Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus initium, tolle dolores, & omnem humanam infirmitatem, omnis filius ſecundum naturalem natiuitatem æqualis Patris eſt, quia eſt ſimilitudo naturæ. Idem Hylarius in lib. 7. de Trinitate, Sola, inquit, natiuitas Filij creditur non impropriè per ſimilitudinem Patri æqualis. Quicquid autem extra ipſum eſt, cum contumelia illi coæquatur: ſi enim aliquid quod extra ipſum eſt, poteſt reperiri ei ſimile ac eiuſdem virtutis, amiſit priuilegium Dei ſub conſortio coæqualis: iámque non erit Deus vnus, à quo non ſit indifferens Deus alius. At verò non habet contumeliam proprietatis æqualitas: quia ſuum eſt, quod ſui ſimile eſt: & ex ſe eſt, quod ſibi ad ſimilitudinem comparatur: nec extra ſe eſt, quod quæ ſua ſunt poteſt: &

Digitized by Google

profectus dignitatis eſt, parem genuiſſe poteſtatem, nec alienaſſe naturam. Et in lib. 9. de Trinitate, Filius & imago eſt Patris authoris ſui, & veritas; quia perfecta natiuitas perfectam imaginem præſtat; & plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitans, naturalem obtinet veritatem. Et in lib. x. Nos prædicamus, Chriſtum viuentis naturæ eſſe viuentem imaginem, & conſignatam naturaliter Dei in Deo formam; vſque adeo indifferentis poteſtatis & generis, vt in eo nec opus, nec ſermo, nec viſus alienus ſit à Patre. Sed cùm naturaliter in ſe habeat authoris ſui imago naturam, per naturalem quoque imaginem ſuam author & operatus & viſus, & loquutus ſit. Et in libro 11. de Trinitate, Chriſtum credimus Deum viuentis Dei viuam imaginem, & beatæ naturæ pleniſſimam formam, & innaſcibilis ſubſtantiæ vnigenitam natiuitatem. Quæ niſi perfectam paternæ beatitudinis habeat formam, & abſolutam naturæ totius referat ſpeciem, non eſt in imaginis veritate. Potens eſt Pater, ſed ſi infirmus eſt Filius, iam non eſt imago potentis. Bonus eſt Pater, ſed ſi in diuerſi generis bonitate Filius eſt, boni imaginē mali natura non reddit. Ineffabilis Pater eſt, ſi Filium ſermo complectitur, extra imaginem inenarrabilis naturæ eſt natura narrabilis. Verus Deus eſt Pater, ſi Filius in Dei falſitate eſt, iam non eſt veri Dei imago, qui falſus Deus eſt. Non ex parte imaginem, nec ex portione formam Dei eſſe Chriſtum Apoſtolus prædicat, ſed imaginem eſſe inuiſibilis, & formam Dei eſſe loquitur.

Ad Coloſ. 1. *Ad Phil. 2.*

Greg. Nazianz. Gregorius Nazianzenus in li. 4. ſiue in oratione 4. 22. de Theologia hæc ſcribit, Chriſtus appellatur imago Patris, tum quia ſit eiuſdē naturæ atq; Pater, tū quod ipſe ſit à Patre, non autem ab ipſo Pater. Hæc enim eſt na

eſt natura imaginis, vt princeps exemplar vnde ducitur, referat. Tametſi plus hîc reperimus: in aliis enim rebus mobilis rei immobilis eſt imago, hic autem viuentis viua quoque imago eſt. Sanè maior hîc ſimilitudo, quàm fuit in Seth ipſius Adæ, & quàm in quauis prole ſui ſit genitoris. Talis enim ſimplicium rerũ natura eſt, vt nõ partim eas ſimiles eſſe, & partim diſsimiles patiatur; ſed totam totius formam reddat, imò eaſdem magis quàm ſimiles.

23 Ambroſius ſuper Lucæ cap. 22. ſic ait ſolus Chriſtus eſt plena imago Dei propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis vnitatem. Iuſtus autem homo ad imaginem Dei eſt, ſi propter imitandam diuinæ cõuerſationis ſimilitudinem, mundum hũc Dei cognitione contemnat. Idem Ambroſius in lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 2. Imaginem eſſe Chriſtum Patris Apoſtolus dicit, & Arrius dicit, ipſum eſſe diſsimilem Patris. Cur imago, ſi ſimilitudinem nõ habet? In ſuis picturis & imaginibus nolunt homines videri diſsimiles, & Arrius diſsimilem eſſe contẽdit in Filio Patrem; quaſi impotens ſit Pater, qui ſimilem ſui filium generare non potuerit. Prophetæ dicunt, *In lumine tuo videbimus lumen*: ſcriptura dicit, *Splendor eſt lucis æternæ, ſpeculum ſine macula Maieſtatis Dei, imago bonitatis illius.* Vide, quanta dicantur de Filio, Splendor dicitur, quòd claritas paternæ lucis in Filio ſit. Speculum ſine macula vocatur, quòd Pater videatur in Filio. Imago bonitatis appellatur, quòd non corpus in corpore, ſed virtus Dei Patris in Filio tota cernatur. Imago docet eum non eſſe diſſimilem, Character expreſſum eſſe ſignificat, ſplendor ſignat æternum. Imago autem non vultus corporalis, non fucis compoſita, nõn cera ficta, non metallo aut lapide exculpta: ſed ſim-

Ambroſius

Pſalm. 35.

Sapient. 7.

plex de Deo, egreſſa de Patre, expreſſa de fonte. Per hanc imaginem Philippo Dominus Patrem ſuum demonſtrauit dicens: *Philippe, qui me videt, videt & Patrem; & quomodo tu dicis, Oſtende nobis Patrem?* Vides, quam imaginem dicat? Imago iſta veritas eſt; Imago iſta iuſtitia eſt, Imago iſta Dei virtus eſt. Nec eſt imago muta, quia Verbum eſt; nec irrationalis, quia Sapientia eſt; neque inanis, quia virtus eſt; nec vacua, quia Vita eſt; nec mortua, quia Reſurrectio eſt. Et cętera quæ deinceps ſubdit Ambroſius.

Ioann.14.

Auguſtinus in lib. contra ſerm. Arrianorũ cap. 26. 24
Totius inquit bonitatis, ſapientiæ, & virtutis Patris viua, vera, propria, & condigna imago Filius eſt. Eo ipſo igitur quod imago Patris eſt Filius, virtus eius & ſapientia eſt: Imago autem plena atque perfecta, non ab illo ex nihilo facta, ſed de illo genita, nihil minus habet quàm ille cuius eſt imago: Patris quippe imago ſumma, id eſt ita ſimilis, vt in ea diſſimile aliquid non ſit, Filius eſt vnigenitus. Idem Auguſtinus in lib. 7. de Trinitate cap. vlt. ſcribit Chriſtum dici imaginem Dei, ſed non ad imaginem Dei; hominem verò dici & imaginem Dei, & ad imaginem Dei. Illud enim, ad imaginem, ſignificat imperfectam ſimilitudinem & expreſſionem eius cuius dicitur imago; Chriſtus dicitur tantùm imago Dei, quia perfectè exprimit id cuius eſt imago, ipſiq; coæquatur. Nam vt idem Auguſtinus ait in lib. 6. de Trinitate cap. vlt. Imago, ſi perfectè implet id cuius eſt imago, ipſa coęquatur ei: Et homo quidē dicitur imago S. Trinitatis, ſicut in creatione eius dictum eſt, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Chriſtus autem non eſt imago niſi ſolius Dei Patris.

Auguſtinus.

Geneſis 1.

DECI

DECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Non creditis,quia ego in Patre, & Pater in me eſt? verba quæ ego loquor vobis,à me ipſo non loquor; Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Verſ. 10.

25 HIs verbis probat Dominus quod Paulò antè dixerat, *Qui videt me, videt & Patrem.* Huius enim ſententiæ probatio eſt, quòd Pater eſt in Filio,& Filius in Patre.Hoc autem dicto ſimul & diſtinctio perſonæ Patris &Filij,& vtriuſque vna,eadémque ſubſtantia denotatur:nam & nihil eſſe in ſeipſo verè dici poteſt,& quæ diuerſam habent naturã in ſe inuicem eſſe,ſi propriè loquamur,dici nequeũt. Quòd autem Pater eſſet in Filio, & Filius in Patre, probat à Domino ex verbis & operibus ipſius: nam quæ Chriſtus loquebatur & operabatur, ea quoque ſimul Pater & in Chriſto & per Chriſtum loquebatur & operabatur. Oratio itaque Domini hoc loco ſic explenda & abſoluẽda,& Verba quæ ego loquor vobis,à me ipſo non loquor, ſed Pater in me manẽs ea ipſa verba loquitur:& opera quæ ego facio, à me ipſo non facio, ſed Pater in me manens ea opera facit. Quemadmodum autem intelligendum ſit,Chriſtum nihil ex ſe ipſo loquutum & operatum eſſe, diligenter explicatum à nobis eſt in primo tomo noſtrarũ Diſputationum in Euangelium B. Ioannis ſuper illis verbis quæ ſunt in quinto capite, *Non poſſum ego à me ipſo facere quicquam.* Satis autẽ eſt hoc loco ſcire,poſſe id dupliciter intelligi: vel enim iſtis verbis

Digitized by Google

ſignificatur origo Filij à Patre, ſicut enim Filius habebat ſubſtantiam à Patre, & non à ſe ipſo, ita nec à ſe ipſo loquebatur & operabatur quidquam, ſed à Patre loquendi & operandi poteſtatem habebat. Vel iſtis verbis ſignificatur, Chriſtum, quia erat homo, non ex ſuo ſenſu & arbitrio finxiſſe doctrinam quam tradebat hominibus, nec ſua naturali poteſtate mirabilia opera feciſſe, ſed Deo Patre ipſum docente, & mouente, & iuuante.

Ponitur & ſoluitur obiectio. Sed objiciat fortaſſe quiſpiam, etiam prophetus dicere ſolitos fuiſſe, ſe quæ loquerentur aut præciperent Iudæis, non à ſeipſis loqui vel præcipere, ſed Deo eos ad ſic loquendum incitante; nec ſua, ſed diuina poteſtate miracula facere; Nec tamen ex eo concludi poterat, Prophetas fuiſſe conſubſtantiales Deo Patri, ita, vt viſis ipſis, etiam Deus Pater perfectè videretur, quod ſanè Chriſtus iſtis verbis de ſe probare voluit. Sed reſpondendum eſt, vim argumentationis & probationis Chriſti in eo eſſe, Deum locutum & operatum eſſe per Chriſtum tanquam Patrem per ſuum verũ & naturalem & vnigenitũ Filium; id enim ipſe verbis ſuis docebat, & ad id probandum & perſuadendum hominibus miracula faciebat. Per Prophetas autem loquebatur & operabatur tanquam Dominus per ſeruos ſuos, & tanquam Deus per ſuas creaturas; neque enim vllus Prophetarum dixit ſe verum eſſe Filium Dei, & vnum cũ eo & coæternum ei; neque ad id probandum & perſuadendum vllum fecit miraculum. Videat ſuper hoc lector luculẽtam Cyrilli ſententiam lib. 9. in Ioannem cap. 37. Sed age, exponamus quomodo verum ſit, Patrẽ eſſe in Filio, & Filium in Patre. Declarat hoc ſimúlque probat *B. Thom.* Beatus Thomas prima Parte, quæſtione 42. artic. 5. paucis 26. 27.

paucis hiſce verbis,in Patre &Filio tria ſunt,Eſſentia, Relatio, & Origo, & ſecundum quodlibet iſtorum, Filius eſt in Patre,& Pater in Filio. Secundum eſſentiam quidem,quia cùm Pater ſit ſua eſſentia,& hanc eandem,totámque dederit Filio, neceſſe eſt propter vnitatem eſſentiæ & Patrem in Filio,& Filium eſſe in Patre. Secundum relationem autem, quia in ijs quæ opponuntur inter ſe relatiuè, vnum neceſſariò eſt in conceptu & intellectu alterius. Secundum originem verò,quia proceſſio Verbi intelligibilis non eſt aliquid extra illum à quo procedit,ſed manet in dicente: id etiam quod verbo dicitur, in verbo ipſo continetur. Hactenus oratio & doctrina fuit Beati Thomæ. His adde, Patrem eſſe in Filio tanquam in perfectiſſima ſui imagine.Filium autem in Patre tanquam in archetippo;& quia quicquid Pater habet, dedit Filio, & quidquid Filius habet, continet in ſe Pater. Denique,quia Pater & Filius ſe inuicem perfectiſſimè cognoſcunt & amant; cognitum autem eſt in cognoſcente,& amans eſt in amato.

28. Sed aliquis fortaſſe nobis obiiciat,Ariſt.in quarto lib. Phyſic.text. 23. omnes modos, quibus vna res dicitur eſſe in alia, diligenter expoſuiſſe: ad eorum autem nullum referri poſſe eum modum, quo Pater eſt in Filio, & Filius in Patre, propter eandem videlicet & indifferentem vtriuſque ſubſtantiam. Sunt autem octo modi, quos illic recenſet Ariſtoteles, quibus vnum dicitur eſſe in alio: vt Pars in Toto, Totum in Parte,Species in Genere,Genus in Specie: forma in materia: Res in Rege & omnino in primo mouente:eſſe in Bono & in fine: ſed omniũ maximè propriè dicitur eſſe aliquid in loco. Sed reſpondendum eſt, Ariſtotelem eos duntaxat modos expoſuiſ- *Ariſtoteles.*

ſe,qui ſunt in rebus creatis per potentiam naturæ, & qui naturali modo ac ratione inueniri, & in hominū notitiam cadere poſſunt. Ac verò modus quo Pater eſt in Filio,& Filius in Patre ſingularis vnicus, & planè diuinus eſt omnem creatæ naturæ vim & poteſtatem,omnémque & humanam & Angelicam naturalem intelligentiam longiſsimè ſuperans.

VNDECIMA DISPVTATIO.

Ad maiorem confirmationem, & illuſtrationem ſupradictæ ſententiæ Domini, *Pater in me eſt,& ego in Patre*,referuntur aliquot perinſignes Patrum ſententiæ.

Hilarius. HILARIVS Lib. 3. de Trinitate, ſic ait, Affert pleriſque obſcuritatem ſermo Domini,cùm dicit,*Ego in Patre,& Pater in me eſt*.Nec immeritò;natura enim intelligentiæ humanæ rationem dicti huius non capit; nec exemplum aliquod rebus diuinis comparatio humana præſtabit:ſed quod non eſt intelligibile homini, Deo poſsibile eſt. Cognoſcendum itaque nobis eſt illud, *Ego in Patre, & Pater in me eſt*: Si tamen comprehēdere hoc ita vt eſt,valebimus:vt quod natura rerum pati non poſſe æſtimatur,id diuinæ veritatis ratio conſequatur.Patrem igitur in Filio, & Filium in Patre eſſe, plenitudo diuinitatis in vtroque perfecta eſt.Quod enim eſt in Patre ingenito,id ipsū eſt in Filio genito, alter ab altero, & vterque vnum: is videlicet qui eſt genitus nihil habens quod non ſit etiam 29

etiam in eo à quo eſt genitus. Non duo vnus, ſed alius in alio, quia non eſt aliud in vtroque, vt vnum ſit in fide noſtra vterque, non vnus; nec eundem vtrumque, neque aliud confitemur, quia Deum ex Deo natum, nec eundem natiuitas, nec aliud eſſe permittit. Idem Hilarius in lib. 8. de Trinitate, vna, inquit, fides eſt, Patrem in Filio, & Filium in Patre per inſeparabilis naturæ vnitatem confiteri; non confuſam, ſed indiſcretam, non permixtam, ſed indifferentem, non cohærentem, ſed exiſtentem, neque inconſummatã, ſed perfectam. Natiuitas enim eſt, non diuiſio; Filius eſt, non adoptio; Deus eſt, non creatio. Neque alterius generis Deus eſt, ſed Pater & Filius vnum ſunt; non innouata eſt natura naſcendo, vt ab originis ſuæ proprietate ſit aliena. Idem lib. 9. de Trinitate ſic ait, Credendus eſt Pater in Filio & Filius in Patre per naturæ vnitatem, per virtutis poteſtatem, per honoris æqualitatem, per natiuitatis generationem. Nã vt ipſe Hilarius ſcribit in lib. de Synodis, Pater non poteſt alienæ à ſe ac diſſimilis ſubſtantiæ Pater dici, quia natiuitas perfecta non habet diſſidentem originalis ſubſtantiæ diuerſitatem.

30 Adiungam Hilario ſanctum Bernardum, cuius in ſermone V. ſuper verbis Iſaiæ diſertiſſima hæc ſententia eſt, Commẽdant nobis ſacræ litteræ Chriſtum Dominum & ex Patre, & in Patre, & cum Patre, & à Patre, & pro Patre, & etiam ſub Patre. Quod dicitur ex Patre, ineffabilis eſt natiuitas. Quod in Patre, conſubſtãtialis vnitas. Quod cum Patre, æqualitas maieſtatis. Ex Patre naſcens, cum Patre ſedens, in Patre cubans. Nam ſponſa Cantic. 1. non tantùm cupiebat ſponſum videre ſedentem, ſed etiam vbi cubaret ſibi flagitat indicari: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi*

Bernardus.

Quomodo Ch. dicatur in ſcriptura ex Patre, in Patre, cum Patre, à Patre, pro Patre, ſub Patre, & quodã modo ſine Patre.

Ioann.1. *cubes in meridie.* Sed & Ioannes ſcripſit, *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Ego* (inquit Dominus)
Ioann.14. *in Patre, & Pater in me eſt.* Non potuit expreſſiùs ſubſtantiæ vnitas commendari; vbi enim vterque in altero, nihil quaſi exteriùs licet, nihil interiùs cogitari, ſed ſimpliciſſimam magis credi neceſſe eſt in ambobus ſubſtantiæ vnitatem. Sicut igitur conſeſſus Filij cum Patre maieſtatem eius indicat, ſic cubatio eius in ſinu Patris, deliciari eum in bonis & ſuauitatibus Patris denotat. Verùm tria hæc ex Patre, cum Patre, in Patre, æterna ſunt; quatuor alia quæ ſequuntur, temporalia. Nam quod dicitur, à Patre, ambulantem ſignificat, & ad myſterium incarnationis pertinet, ſi-
Ioann.16. cut ipſe dixit: *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Pro Patre, Zelum gloriæ paternæ deſignat: quapropter ipſe dicebat, ſe non veniſſe vt quæreret gloriam ſuam,
Ioan.8. nec vt faceret voluntatem ſuam, ſed eius qui miſerat
Ioan.6. & alibi. illum. Sub Patre, quia propter aſſumptæ naturæ noſtræ humilitatem, minor Patre factus erat, ſicut ipſe
Ioan.14. AdPhil.2 dixit, *Pater maior me eſt*, & factus eſt obediens Patri vſque ad mortem crucis. Dicerene audebimus quòd aliquando fuerit etiam ſine Patre? Nemo id præſu-
Matt.27. meret, ſi non prior ipſe dixiſſet. *Deus meus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Quaſi quædam enim ibi derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta neceſſitate virtutis exhibitio, nulla oſtenſio maieſtatis. Habemus itaque Chriſtum ex Patre naſcentem, in Patre cubantē, cum Patre ſedentem, à Patre ambulantem, pro Patre ſtantem, ſub Patre pendentem, ſine Patre quodammodo morientem.

DVODE

DVODECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Amen Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. VERS.12.

31. SIGNIFICARE voluit Chriſtus his verbis, diuinitatem ſuam non ſolùm cognoſci debere examinandis operibus quæ faciebat ipſe, ſed etiam ex operibus quæ poſtea in nomine & poteſtate ipſius facturi erant credentes in eum; quippe qui facturi erant non modò ſimilia iis quæ fecerat Chriſtus, ſed etiam maiora, id autem manifeſtum erat futurum diuinitatis Chriſti teſtimonium. Sed ex his Domini verbis duplex, minimè hîc ſilētio inuoluenda, quæſtio exiſtit; & altera quidem eſt, Quomodo intelligendum ſit, eos qui credituri erant in Chriſtum, facturos fuiſſe opera & miracula quæ fecerat Chriſtus; cùm ſatis manifeſtum ſit ex ſacris & Eccleſiaſticis hiſtoriis, plurimos credentium in Chriſtum ea miracula non feciſſe; & à quibus ea facta ſunt, non in omni tempore eſſe facta. Altera verò quæſtio eſt, quî fieri poſſit, vt credentes in Chriſtum maiora facerent opera quàm ipſe fecerat: quid enim maius fieri potuit Illuminatione cæci nati, Multiplicatione panum, Ambulatione ſuper aquas maris, Reſuſcitatione mortuorum? *Duplex quæſtio.*

Quadruplex ratio reſpondendi ad priorem quæſtionem. Ad priorem quæſtionem quadruplicem reſpondendi rationem reperio apud ſcriptores. Quidam dixerunt, Chriſtum hîc non eſſe locutum de operibus miraculorum, ſed de operibus virtutum; credentes enim in Chriſtum facturi erant opera virtutum ſimilia iis quæ Chriſtus fecerat, id autem eſt, imitaturos Chriſti humilitatem, patientiam, manſuetudinem, pietatem erga Deum, & miſericordiam erga proximum. Sed præterquam quòd communis eſt Doctorum ſententia, Chriſtum hoc loco de operibus miraculorum locutum eſſe; illud ſanè iſtam reſponſionem euidenter excludit quod proximè ſubiungitur, *& maiora horum faciet.* Quis enim auſit dicere, vllum ſanctorum maiora virtutum opera feciſſe quàm Chriſtum? cùm etiam illi qui fuere ſanctiſſimi, & in virtutibus, & in virtutum operibus, ſupra quàm æſtimari queat, inferiores Chriſto fuerint. 32.

Prima reſponſio refellitur.

Alij reſpondent, Chriſtum eſſe loquutum de credituris in eum non in omni futuro tempore Eccleſiæ, ſed tantùm in tempore primitiuæ Eccleſiæ; tunc enim paſſim à Chriſtianis & plurima & maxima fiebant miracula. Vel iſtud Domini dictum eſſe intelligendum non de omnibus credentibus, ſed de certis quibuſdam perſonis quæ habebant gratiam faciendi miracula, quæ gratia etiã in tempore Eccleſiæ primitiuæ non erat in omnibus credentibus, vt diſputat B.Paulus in epiſtola ad Romanos, & in priori epiſtola ad Corinthios. Verum quia Chriſtus indefinitè dixit, *Qui credit in me*, non videtur eius ſententia ad certum aliquod tempus, vel certum hominum genus coarctari debere. Præſertim autem cùm ſimiles aliæ propoſi 33.

Refellitur ſecunda reſponſio.

poſitiones in ſcriptura æquiualeant propoſitionibus vniuerſalibus, vt ſunt illæ; *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum: Qui amat animam ſuam, perdet eam: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* *Matth. 16. Ioann. 12. Mar. vlt. Ioann. 8.*

34. Sunt etiam qui putent, hæc Chriſti verba eſſe intelligenda de miraculis non corporaliter peragendis, ſed de miris operibus & miraculis quæ ſpiritualiter facturi erant Chriſtiani: ad eum ſcilicet modum quo B. Gregorius in homilia 29. in Euangelia explanans illa Domini verba quæ ſunt apud Marcum cap. vltimo. *Signa eos qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, Serpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, ait, iſta ſigna in principio Eccleſiæ facta eſſe corporaliter, vt per ea miracula multitudo hominum ad fidem Chriſti adduceretur, & in ea confirmaretur. Poſtea non fuiſſe opus iſtis miraculis corporalibus, ſed alia ſpiritualia quæ illis proportione reſpondent, ſemper facta eſſe in Eccleſia per ſacerdotes & per bonos Chriſtianos. Quid autem ſit ſpiritualiter loqui nouis linguis, ſerpentes tollere, mortiferum bibere ſine detrimento, & imponendo manus ægrotis, ſanare eos, declarat eo loco Gregorius. Et hæc ſpiritualia miracula præſtantiora ſunt, inquit Gregorius, illis corporalibus, quoniam per illa corporalia ſanantur hominum corpora, per hæc ſpiritualia ſanantur animæ; & illa quidem facere poſſunt etiam improbi, hæc verò non niſi boni & ſancti. Quo itaque modo Gregorius dixit ſpiritaliter accipienda eſſe illa ſigna quæ dixerat Dominus, eodem modo dicunt iſti eſſe in- *B. Gregorius.*

terpretandum quod hoc loco dixit Dominus, *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* At enim verò, iam ſuprà oſtenſum eſt, Dominum hîc locutum eſſe de operibus & miraculis corporalibus, clariſſimum eſſe tum ex contextu verborum Domini, & ex vi argumentationis eius, tum ex communi Patrum ſententia.

Refellitur 3. reſponſio.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

Explicatur quarta ratio reſpondendi ad ſupradictam quæſtionem, quæ videtur aliis probabilior.

PLANA & ſatis probabilis ad ſupradictam quæſtionem reſponſio eſt huiuſmodi: Chriſtum illis ſuis verbis ſignificare voluiſſe, inæſtimabilem Chriſtianæ fidei vim & efficacitatem; per quam ſcilicet, vbi opus fuerit, non ſolùm qualia Chriſtus fecit miracula, ſed etiam inſigniora fieri poſſint. Hoc ſanè confirmant multa quæ leguntur in hiſtoria Euangelica, vt eſt illud Marci capit. 9. *Omnia poſſibilia ſunt credenti*; & illud Matthæi capit. 17. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Et illud eiuſdem capit. 21. *Si habueritis fidem, & non hæſitaueritis, non ſolùm de ficulnea hac, ſed & ſi monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet: & omnia quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis.* Et illud Lucæ cap. 17. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, diceretis huic arbori moro, Eradicare, & tranſplantare in mare, & obediret vobis.* Et Paulus idem ſignifi- 35.

Quanta ſit vis & efficacitas fidei Chriſti.

ſignificauit in priori epiſtola ad Corinthios capit. 13. ſcribens, *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam &c.* Hoc autem quod toties dictum eſt de tranſlatione montium ex vno loco in alium locum per fidem facta, feciſſe Beatum Gregorium, cognomento Thaumaturgum, in Eccleſiaſticis hiſtoriis proditum eſt.

Gregorius Neocæſarienſis.

Magnifica profectò & luculenta eſt illa B. Pauli oratio, qua fidem prædicans veterum ſanctorum ait, *Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.*

Ad Hebræos ca. 11.

Hanc porrò tantam vim & potentiam habet ſemper fides Chriſtiana, ſed eam non ſemper exerit neque ad effectum ducit. Id verò quatuor ob cauſas euenire poteſt; vel ob exiguam & infirmam hominum fidem, quapropter Dominus his quorum cauſa facturus erat miracula, dicere ſolebat vt crederent quòd ipſe poſſet facere quod petebant; & illud *Fides tua te ſaluum fecit.*

Cur non omni tempore multa & inſignia fiãt miracula, quatuor redduntur cauſæ.

Vel propter indignitatem & irreuerentiam petentium miracula, ſicut de ſuis ciuibus Nazaræis dixit Dominus.

Luce 4.

Vel propter defectum eorum qui facturi ſunt miracula, defectum dico non ſolùm in fide, ſed etiam in aliis quibuſdam rebus quæ concurrere debent ad effectionem miraculi, ſicut Dominus diſcipulis ſuis, qui ex quibuſdam hominibus Dæmonia eiicere non potuerant dixit, *Hoc genus non eiicitur niſi in ieiunio & oratione.*

Matth. 17. Mar. 9. Luce 9.

Vel denique, quia non omni tempore idonea & iuſta ſeſe offert occaſio miracula petendi à Deo, & efficiendi.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

Quomodo intelligendum ſit, eos qui credituri erant in Christum, facturos eſſe maiora opera & miracula, quàm fecerat Chriſtus.

HÆC Domini ſententia tribus modis de- 36.
clarari poſſet. Primò, Dicuntur alij maio-
ra facturi miracula miraculis Chriſti, ſe-
cundum exiſtimationem hominum: multi
Matth. 12. & 16. enim quædam, licet reuera ſint minora, quia tamen
rara, inſolita, & inaudita ſunt, magis admirantur &
prædicant; quocirca Iudæi ſigna de cœlo petebant,
quòd hæc rariora eſſent & mirabiliora hominibus
viderentur. Et hominum opinione maius videbatur,
ægros ſanari ad vmbram Petri quàm Chriſti verbo
Act. & tactu. Deinde, poſſunt intelligi fore maiora non
quidem qualitate ac præſtantia miraculorum, ſed
numero & multitudine; tres enim duntaxat mor-
Matth. 9. Lucæ 7. Ioan. 11. tuos ad vitam reuocatos à Domino legimus in hiſto-
ria Euangelica; à quibuſdam verò ſanctis plures
fuiſſe ad vitam excitatos in probatis hiſtoriis tradi-
tum eſt. Ad hæc, poſſunt intelligi maiora fore mira-
cula, ipſo effectu, & fructu, & inæſtimabili vtilitate
quæ miracula aliorum conſecutura erat. Chriſtus
enim ſuis miraculis paucos traxit ad fidem ſuam:
Apoſtoli verò innumerabiles gentes miraculis ſuis
ad fidem.

ad fidem Chriſti conuerterunt: ſcitum profectò eſt illud Auguſtini, totius mundi ad Chriſtum conuerſionem per Apoſtolos & alios factam, omnium miraculorum maximum eſſe miraculum.

37. Obſeruandum eſt, Dominum dixiſſe, *opera quæ ego facio*, & non, (quæ ego feci) vt ſignificaret ſe loqui de operibus quæ factus ipſe homo faciebat coram hominibus; non autem de operibus quæ fecerat ipſe manens Deus apud Deum Patrem, vt fuit creatio Mundi & Angelorum, nulli enim eiuſmodi miracula faciendi poteſtatem dedit. Hoc ipſum ſenſit Cyrillus hæc ſcribens in libr. 9. in Ioannem capit. *Cyrillus.* 41. Nullus putet, quoniam Filius Dei cœlos, ſolem, & Lunam, & ſtellas, Angelorúmque multitudinem produxit, maiora his facere per gratiam conceſſurum ſe ſeruis ſuis; non enim ad hæc intentio dicentis extenditur; ſed ad ea tantùm quæ ad vtilitatem hominum, & ſanctificationis humanæ menſuram reſpiciebant: atque idcirco dixit; *Quæ ego facio*, vt de iis quæ coram Apoſtolis fecerat, ſe loqui oſtenderet. Ex quo ſimul & illud ſignificatur propterea ipſum maiora non feciſſe, quia maiora faciendi occaſio non fuiſſet.

38. Quod autem proximè ſequitur, *Quia ego ad Patrem vado, & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*, continet rationem, cur mirum videri non debeat, Apoſtolos & alios Chriſti diſcipulos maiora opera facturos eſſe quàm Chriſtus fecerat; ratio autem eſt huiuſmodi. Ego, inquit Chriſtus, dum in terris fui per me ipſum feci miracula, nec feci quanta maxima facere poteram, quia tempus illud fuit humi-

Digitized by Google

liationis meę potius quàm glorificationis. Nunc verò diſcedens à terris, & aſcendens cœlum ad dexteram Dei Patris conſeſſurus, ab eo ſuper omnia exaltandus & glorificandus ſum; meúmque nomen & Patris mei per vniuerſum orbem terrarum clarificandum eſt; hæc verò tanta Patris & mea gloria per ſeruos meos declaranda & comprobanda erit per plura & maiora miracula, quæ ipſi tamen facient in nomine meo & in poteſtate mea; plura, inquam, & maiora miracula quàm ego feci dum in terris humilis verſatus ſum, cui tempori tanta claritas & gloria miraculorum non fuiſſet conueniens. Itaque daturus ſum ſeruis meis poteſtatem faciendi qualiacunque & quantacunque miracula, cùm id opus fuerit, & ipſi hoc petierint à Patre in nomine meo. Et hoc ſignificant illa Domini verba, *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*

DECIMA QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis;

VERS. 15. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate,*
VERS. 16. *Et ego rogabo Patrem; & alium Paracletum dabit vobis.*

Diſputatur de nomine Paracleti.

MOESTOS admodum diſcipulos ob Domini diſceſſum, dupliciter ipſe fuerat antè conſolatus; Tum dicens, paratas eis in cœlo eſſe 39.
man-

manſiones, ad quas aſſumendi eſſent, & in eis immortales & beati ſemper manſuri cum Domino. Tum quòd à Chriſto abſente præſtantiora ipſi munera accepturi eſſent, quàm ab eo præſente accepiſſent; & facturi eſſent maiora opera quàm Chriſtus feciſſet. Nunc verò tertiam ipſis & ingentem promittit conſolationem, dicens datum ipſis iri Spiritum ſanctum à quo quantam ipſi percepturi eſſent doctrinæ & conſolationis gratiam, non obſcurè ſignificauit appellans eum Paracletum, & ſpiritum veritatis. Maximè verò idonea & efficax humani animi præparatio ad Spiritum ſanctum accipiendum, eſt dilectio Dei, & obſeruatio mandatorum eius. Quamobrem Dominus hoc loco dixit: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate; & ego rogabo Patrē, & alium Paracletū dabit vobis.* Quaſi diceret, Veſtrum erga me amorem nolo declarari à vobis iſto mœrore & triſtitia quam præ vobis fertis ob meum diſceſſum, ſed obſeruatione mandatorum quæ dedi vobis. Ea verò mandata fuere duo præcipua, alterum quidem credendi in nomine eius; alterum verò diligendi ſe inuicem; hoc enim expreſſè ſcripſit B. Ioannes in prima ſua Epiſt. cap. 3. illis verbis, *Hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alterutrum.*

Quæ ſit optima præparatio ad accipiendum Spiritū ſanctum.

40. Sed planè declarãdum eſt, cur Spiritus ſanctus appelletur Paracletus. Vox græca Παράκλητος, ſignificat conſolatorem & aduocatum, ducitur enim à verbo Παρακαλέω, quod ſignificat cōſolari, & obſecrare ſiue intercedere pro alio, vel patrocinari. Videtur autē hoc loco nomen Paracletus, præcipuè conſolatorem ſignificare; hæc enim verba Dominus diſcipulis ſuis dixit ad eos conſolandos, qui ob diſceſſum eius admodum mœſti & triſtes erant. Quanquam verbum

De ſignificatione nominis Paracletus.

Παρακαλέω frequentius vſurpatur pro aduocare, vel obſecrare pro alio vel patrocinari, quàm pro cõſolari: & Ioannes in prima ſua epiſtola cap.2. ſcripſit, *Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum*, vbi pro nomine *aduocatũ*, græcè eſt, Παράκλητον.

Quomodo Spiritus ſanctus appelletur aduocatus.

Dicitur autem Spiritus ſanctus aduocatus non propriè. aduocare enim & obſecrare eſt minoris apud maiorem, ob idque de Chriſto propter aſſumptam ab eo naturam humanam dici poteſt, de Spiritu autem ſancto dici propriè non poteſt. Dicitur itaque Spiritus ſanctus aduocatus & obſecrator non propriè, ſed efficiẽter, quia facit nos efficaciter obſecrare Deum, & ab eo poſtulare atque impetrare quæ neceſſaria nobis ſunt ad ſalutem: ſic profectò B. Paulus in Epiſt. ad Romanos, cap.8. illud ſcripſit: *Nam nos quod oremus, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Fuerit porrò admodum conueniens per nomen 41.
Paracleti hoc loco interpretari & conſolatorem, & aduocatum, & alia quæ huius vocis notioni ſubiecta ſunt. Etenim vni illi voci græcæ, Παράκλητος, non eſt apud latinos vnum aliquod vocabulum plenè & vſquequaque reſpondens: niſi fortè illud ſit vocabulum Patroni, eſt enim Patroni ſuggerere clięti, quæ profutura ei ſunt, cunctantẽ promouere, diffidentẽ animare, nutantẽ confirmare, mœrentẽ conſolari denique pro eius bono apud alios diligẽtem & ſollicitum eſſe. Ob hæc igitur omnia dictus eſt Paracletus, ſic enim interpretatur eam vocem Euthymius. Alium, inquit, Paracletum tanquam me, hoc eſt, admonitorem & præceptorem in certaminibus virtutum, ſolatium & ſubſidium in afflictionibus.

Euthym.

Sanè, ſi Paracletus poſt abſceſſum Chriſti præſtaturus erat diſcipulis eius, quod

quod ipſe præſtiterat eis præſens; Chriſtus autem non tantùm conſolabatur diſcipulos ſuos, ſed etiam doctrina erudiebat, miraculis confirmabat, conſiliis & monitis inſtruebat & regebat, graui & ſalubri correctione errores eorum detegebat atque corrigebat, imbecillitatem eorum roborabat, periclitantes ſeruabat, à malis & inſidiis defendebat, denique ſua eos apud Patrem interceſſione iuuabat. Ergo Paracletus omnia iſta diſcipulis Chriſti præſtare debebat; & quidem abundantiùs atque illuſtriùs quòd Chriſtus glorioſus in cœlis ad dexteram Patris reſidens, maiora, & admirabiliora miniſterio diſcipulorum ſuorum facturus erat, oſtendens, omnem ſe in cœlo & in terris poteſtatem habere, & nomen quod eſt ſuper omne nomen. Sed nos omiſſis aliis ſignificationibus iſtius vocis, Paracletus, eam tantùm ſignificationem qua per iſtud nomen ſignificatur, Conſolator, ſubtiliùs & enucleatiùs tractemus. *Ad Philip. 2.*

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

Quemadmodum Spiritus ſanctus ſit conſolator hominum.

42. QVEMADMODVM Spiritus ſanctus ſit fidelium conſolator, paucis, ſed admodum ſignificantibus & illuſtribus verbis declaratur in quodam hymno qui de Spiritu ſancto canitur in Eccleſia, in quo ſic eſt, *Veni Pater pauperum, Veni dator munerum; Veni lumen cordium; Conſolator optime, Dulcis hoſpes animæ, Dulce refrigerium, In labore requies, In æſtu temperies, In fletu ſolatium.* Et paulò poſt indi-

cat quemadmodum Spiritus ſanctus conſoletur homines per ea quæ in eorum animis ingenti cum eorum vtilitate atque iucunditate operatur, dicens, *Laua quod eſt ſordidum, Riga quod eſt aridum, Sana quod eſt ſaucium. Flecte quod eſt rigidum, Foue quod eſt frigidum; Rege quod eſt deuium.* Quaſi diceret, Quàm eſt iucundum ſordido penitus lauari & mundari, & arido rigari, & ſaucio ſanari, & frigeſcenti calefieri, & erranti ad rectam viam reduci, tam eſt ſuauis & iucundus in hominis animum Spiritus ſancti aduentus & gratia. A Spiritu enim ſancto (inquit Beatus Leo in ſermone primo Pentecoſtes) eſt inuocatio Patris, ab ipſo ſunt lacrymæ pœnitentium, ab ipſo ſunt gemitus ſupplicantium, per quem omnis Eccleſia ſanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur, inſpirator fidei, doctor ſcientiæ, fons dilectionis, ſignaculum caſtitatis, & totius cauſa virtutis.

B. Leo.

De quinque rebus quarum ſimilitudine oſtenditur ſpiritualis vtilitas & iucunditas quàm in hominũ animis efficit ſpiritus ſanctus.

Hoc etiam cognoſci poteſt ex quinque rebus ſub 43.
quarum ſimilitudine Spiritus hic diuinus voluit ſe mundo manifeſtare, ſunt autem, Ignis, Ventus, Aqua, Columba, & Lingua, è quibus rebus plurimæ ac maximæ vtilitates atque voluptates permanant ad hominem. Ignis delectat plurimum illuminando, calefaciendo, purgando, multáque conficiendo in victum, & cultum, & remedium humanæ vitæ. Triplex porrò quaſi ſpecies ignis traditur à Platone in Timæo, carbo ignitus, & flamma, & lux. Conſimili ratione triplex ſancti Spiritus gratiæ munus & gradus diſtingui poſſet, vt in incipientibus ſit gratia inchoata tanquam carbo ignitus, in proficientibus ſit prouecta gratia quaſi flamma; in perfectis verò, maximè

Ignis.

Plato.

Triplex ſpecies ignis.

maximè autem in beatis, ſit conſummata gratia tanquam lux puriſſima.

44. Venti ſimilitudine rectè inſinuatur virtus Spiritus *Ventus.* ſancti; ventus enim nauiganti iucundiſſimus eſt, ſi ſecũdus fuerit, ad optatũ nauigationis portũ perducẽs. Ventus etiam, ſi frigidus ſit, caleſcenti, æſtuantíque homini gratiſſimus accidit. Quid quod ſine perflatu venti, quæ in terris naſcuntur & verſantur, plantæ & animalia conſeruari non poſſent? Lingua porrò ho- *Lingua.* minis à Spiritu Sancto erudita, quam idem Spiritus mouet ad loquendum, & in loquendo regit eam atque moderatur, magnam vim habet conſolandi, iuuandique homines, docendo ſcilicet ignorantes, mœſtos conſolando, animando trepidos, cunctantes, hæſitantéſque incitando, roborando infirmos, aduerſarios expugnando, ac demum in Eccleſia diuinas laudes vna cum multis cõcelebrando. Audi Lector quid in Canticis ſponſus dicat de lingua ſponſæ. *Fauus di-* *Cantic.4.* *ſtillans labia tua ſponſa, lac & mel ſub lingua tua.* Et in lib. Eccleſiaſtici cap.40. ſcriptum eſt, *Tibia & pſalterium* *Locus Eccleſ.ca. 40.* *ſuauem faciunt melodiam, ſed ſuper vtraque, lingua ſuauis.* Aquæ item ſimilitudine interdum deſignatur in ſcri- *Aqua.* ptura Spiritus ſancti gratia; ea namque animis iuſtorum ita ſuauis & iucunda eſt, vt eſt ſitienti aqua potari, æſtuanti refrigerari, ſordido lauari & mundari, & aridæ ac ſterili terræ aqua rigari & fœcundari. Denique ſub figura Columbæ voluit Spiritus ſanctus non- *Columba* nunquam hominibus noteſcere, quòd quatuor in *Quatuor* homine ſuauiſſimos operetur effectus ſimiles quatuor *effectus ſpiritus ſimiles.* Columbæ proprietatibus: quatuor dico Columbæ proprietates, Manſuetudinis, Pudicitiæ, Fœcunditatis, *Quatuor* & Gemitus. Columba enim velut gemebunda vo- *proprietates columbæ.* cem mittit, & ſpirituales gemitus & lacrymæ à Spiri-

tu ſancto excitantur in nobis, vt in Dauide, qui dixit,
Pſalm.6. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.*

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

De octo gradibus, per quos in animis hominum conſolatio Spiritus ſancti procedere ſolet.

Exponuntur in hac Diſputatione tres primi gradus.

Primus gradus cõſolationis in vera peccatorum pœnitentia.

PRIMVS gradus eſt conſolationis quam 45.
Spiritus Sanctus tribuit peccatoribus; in quibus ſpiritum pœnitentiæ ſuſcitat, vt eos peccatorum ſuorum pudeat pariter atque pœniteat, accendens in eis deſiderium, ſimúlque ſpem conſequendi veniam, & ad Dei gratiam perueniendi. Hac de re S. Bernardus in Sermone primo de Pentecoſte ita ſcribit, Initium reuertendi ad Deum, pœnitentia eſt, quam ſine dubio Spiritus operatur, non noſter, ſed Dei, idque & certa ratio docet, & confirmat authoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit, ſibi ab igne veniſſe calorem, quem habere non poterat ſine illo? Sic ergo qui priùs iniquitate frigidus erat, ſi ſentiat ſe quodam pœnitentiæ feruore accendi, alium ſibi ſpiritum, qui ſuum arguit & diiudicat, non dubitet aduenisſe. Ille, (inquit Dominus) loquens de Spiritu ſancto, arguet mun

S.Bernard.

Ioann.16.

mundum de peccato. Sed quid prodeſt pœnitere de culpa, & non ſupplicare pro venia? Neceſſe eſt igitur, vt hoc etiam Spiritus operetur dulcedine quadam ſpei replens animam, per quam fiducialiter poſtulet, nihil hæſitans: ipſe enim Spiritus eſt, qui poſtulat pro Sanctis, gemitibus inenarrabilibus. Hæc Bernardus. *Ad Rom.8.*

46. Secundus gradus conſolationis eſt, cùm rite pœnitentibus peccata condonat, & gratiam, atque cœleſtia dona eorum animis infundit, *Charitas enim Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum,* vt ſcripſit Paulus. Hanc verò peccatorum remiſſionem conſequitur mira quies mentis & tranquillitas animi, pax & ſecuritas conſcientiæ, dulciſſimáque conſolatio, detracto ſcilicet grauiſſimo peccatorum onere, de quo dixit Dauid. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me,* repreſſis morſibus conſcientiæ, ſanatíſque peccatorum vulneribus, ad quæ ſpectat illud Dauidis, *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* denique diſcuſſis conſcientiæ terroribus, quibus cruciabatur humanus animus metu diuini iudicij, æterníque ſupplicij formidine. Hoc etiam ſupradicto loco nos ita docet Bernardus, Sicut nos ſanctus Spiritus erigit ad Deum pia quadam fiducia, ita Deum ad nos inclinat pia miſericordia. Et vt ſcias remiſſionem peccatorum ab hoc Spiritu proficiſci, audi quod aliquando audierunt Apoſtoli à Domino: *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* *Secundus gradus in remiſſione peccatorū.* *Ad Rom.5.* *Pſalm.37.* *Ibidem.* *Bernardus.* *Ioan.20.*

47. Tertius gradus cōſolationis, eſt cùm ſeruos Dei Spiritus Sanctus in rebus aduerſis mirabiliter conſolatur, vt eas illi non modò patienti & conſtanti, ſed etiam *Tertius gradus coſolationis in rebus aduerſis.*

alacri & gaudenti animo perferant. Habes huius rei exemplum in Apoſtolis, qui, vt ſcribit Lucas in Act. Apoſt. ante datum eis Spiritum ſanctum, intra domũ incluſi continebantur trepidi ob metum Iudæorum: poſt acceptum verò Spiritum ſanctum, *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Nimirum, facit hic diuinus Spiritus vt virgini dulcis carnalium voluptatum ſit continentia; Religioſo bene ſit onus paupertatis, & ſuaue iugum obedientiæ, & perpetuum ſtudium mortificationis iucũdum; denique Martyri ſuauiora omnibus deliciis ſint acerbiſſima corporis tormenta, & quàm iucundiſſima vita dulcior mors pro Chriſto ſuſcepta.

Quatuor modi, quibus ſeruos Domini cõſolatur Spiritus sãctus in rebus aduerſis.

Sed quomodo Spiritus ſanctus conſolatur ſeruos Dei in rebus aduerſis? Equidem reor, id fieri ab eo quatuor modis. Primò Sanctorum mentibus perſuadendo quæcumque mala & aduerſa eis contingant, accidere ipſis, quòd præcipuè ac ſingulariter amentur à Deo, & per ea mala dirigantur ad æternam felicitatem; & Paulus ait; *Quem enim diligit Dominus caſtigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* (*Ad Hebr. 12.*) Deinde, oſtendens ſicut aurum igni, ita rebus aduerſis puriores & clariores effici ſanctos, & tanquam ſuauiſſimum Deo holocauſtum; ſcriptum enim eſt, *Tanquam aurum in fornace probauit eos Dominus, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit eos.* (*Sap. 3.*) Ad hæc, demonſtrans per iſtiuſmodi malorũ perpeſſiones mirandum in modum glorificari Deum, iuuarique proximum, vt in ſanctis Apoſtolis & martyribus cernere licet. Poſtremò, repræſentans animis iuſtorum magnitudinem, æternitatémque cæleſtium bonorum & gaudiorum, quæ magnis pro Chriſto laboribus & malis defunctos manent in cælis, *Beati,* ait Dominus,

qui

qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſo- *Matth.5.*
rum eſt regnũ cœlorum. Beati eſtis,cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me;gaudete & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

DECIMAOCTAVA DISPVTATIO.

De aliis quatuor gradibus conſolationis Spiritus Sancti.

48 QVARTVS gradus conſolationis,eſt cùm viris in ſtudio, cultúque virtutum longè prouectis Spiritus ſanctus perſuadet interiùs, quòd ipſi ſint filij Dei & hæredes vitæ æternæ,&de numero eorum quos Deus ex omni æternitate prædeſtinauit ad vitam æternam. Et hęc quidẽ perſuaſio Spiritus ſancti in animis ſanctorum aliquando certitudinem quandam tantùm habet moralem,quæ tamen ſufficit pacandæ conſcientiæ, & conſolando animo, excluſa ſuæ damnationis formidine. Paulus ſanè ſcripſit,*Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei;ſi autem filij,& hæredes; hæredes quidem Dei,cohæredes autem Chriſti.* Aliquando verò iſta Spiritus ſancti perſuaſio in animis ſanctorum indubitatam,&,vt ita lo, loquar, infallibilem habet certitudinem ; tunc videlicet cùm ea per diuinam reuelationem facta eſt, qualem habuere Apoſtoli à Domino, cùm dixit eis, *Si abiero, & parauero vobis locum ; iterum venio, & accipiã vos ad me ipſum,vt vbi ſum ego,& vos ſitis. Et rurſum, Ego diſpono vobis,ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.*

Quartus gradus cõſolationis, in teſtimonio conſciẽtiæ Sanctorum ſeruorum ſuorum quòd ipſi ſint filij Dei & hæredes vitæ æternæ.

Ad Ro.8.

Ioan.14.

Luca 22.

Quantopere autem deberet hoc conſolari eos etiam ipſe Dominus oſtendit cùm dixit eis, *In hoc nolite gaudere quòd Spiritus ſubiiciuntur vobis: gaudete autē quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Eodémque ſpectat illud, quod eiſdem Dominus dixit, *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.*

Lucæ.10. *Lucæ.12.*

Quintus gradus conſolationis in donatione gratiarū quæ nominãtur gratiæ gratis datæ.

Quintus gradus conſolationis quo pertinet valetq; 49
plurimùm ad Eccleſiæ Catholicæ, fideliſque populi ædificationem, & confirmationem, atque cõſolationem, eſt effuſio cæleſtium donorū & gratiarū, quas Theologi appellant gratias gratis datas; cuiuſmodi eſt donum linguarum, donum prophetiæ, gratia ſanitatum, virtus miraculorum, & id genus alia, ſuper quibus præclare B. Paulus in prioris epiſtolæ ad Corinthios cap. 12. hunc in modum diſputat, *Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem: Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu; alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituū, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum; Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult.*

Sextus gradus conſolationis in quibuſdam ſanctis qui confirmantur in gratia vſq; ad finem vitæ.

Sextus gradus conſolationis, eſt in illis Sanctis qui 50
ob eximium quoddam diuinę charitatis & benignitatis erga illos priuilegium, tanta Spiritus ſancti gratia implentur & roborantur & continuo protectionis Dei præſidio muniuntur, vt Dei gratia excidere, & in mortale peccatum labi non queant. Cui autem id conceſſum, atque etiam reuelatum à Deo eſt, eum in perpetuis gaudijs & lætitijs ſpiritualibus verſari neceſſe eſt; vt de eo veriſſimè dici queat illud Salomonis ſecura mens, quaſi, *iuge conuiuium* in hoc fœlici ſtatu fuiſſe Apoſtolos poſt acceptum Spiritum ſanctum,

Locus Prouer.15.

ſanctum, non obſcurè intelligitur ex illis verbis quæ Dominus dixit eis; *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Et ante Apoſtolos in iſto fœlici ſtatu fuit Ioannes Baptiſta, & ante iſtos & ſuper iſtos fuit Beatiſſima ſemper Virgo Maria. *Ioan. 14.*

51. Septimus gradus conſolationis continet ſpirituales voluptates & delicias, quibus animos ſeruorum ſuorum Spiritus Sanctus varijs, mirîſque modis recreat & oblectat; idq; facit tripliciter. Primò, reſpectu intellectu eorum, per varias illuſtrationes & interdū etiam veras & manifeſtas reuelationes, patefaciens eis multa diuinarum rerum arcana, vnde illi ſuauiſſimas hauriunt intellectuales voluptates. Deinde, reſpectu memoriæ eorum, ſubinde renouando in eis recordationem inſignium malorum corporalium & ſpiritualium, quibus mirabiliter Deus eos liberauit; quæ recordatio iucundiſſima menti noſtræ accidit: verùm enim eſt quod in quadā ad Lucceium epiſtola ſcripſit Cicero, (Præteritorum malorum ſecura recordatio, magnam affert voluptatem.) Quo etiam ſpectat illud Virgilianum;

Septimus gradus cōſolationis, in ſpiritualibus voluptatibus & deliciis quibus animos ſeruorum ſuorū recreat Spir. ſanctus.

De triplici modo & genere ſpiritualium voluptatū, quibus ſeruos ſuos afficit Spiritus ſanctus.

Cicero.

Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. *Virgilius 1. Æneid.*

Denique, reſpectu voluntatis eorum, purgando eam à terrenis & vitioſis affectibus, quibus ſpiritualis animæ guſtatus vitiatur atque corrumpitur: ab his verò purgata per Spiritum ſanctum voluntas auidè concupiſcit & conſectatur ſpiritualia bona, eiſq; guſtandis mirificè delectatur.

DECIMANONA DISPVTATIO.

Exponitur octauus gradus conſolationis Spiritus ſancti, & referuntur in confirmationem eorum quæ dicta ſunt, præclara quædam Sancti Bernardi verba.

Octauus gradus cõſolationis in morte ſanctorum.

OCTAVVS gradus conſolationis Spiritus ſancti cernitur in morte ſanctorũ; nam quò fidentiùs illi ac lætiùs demigrent ex hac vita, ſolet eos Spiritus ſanctus tribus modis mirabiliter conſolari & confirmare. 52

Tres modi quibus ſanctos conſolatur Spiritus ſanctus in tẽpore mortis eorum.

Primò, efficit in animis eorum certam quandam perſuaſionem, & fiduciam, quòd ipſis à Deo remiſſa ſint peccata, & quòd ipſi in gratia Dei ſint, & quòd per mortem ad æternam & beatam vitam peruenturi ſint. Deinde, tunc eorum mentibus repræſentatur Deus non tanquam ſeuerus peccatorum iudex & vindex, terrens metu exactiſſimi iudicij ſui, æterniq; ſupplicij; ſed tãquam blandiſſimus Dominus, eorum ſeruitutem & labores approbans, & oſtendens iam tempus eſſe, vt requieſcant à laboribus ſuis, eorúmque recipiant mercedem paratam eis in cælo, & illud eis dicens, *Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*; repræſentatur etiam eis tanquam ſuauiſſimus, & benigniſſimus Pater, vocans eos in domum ſuam cæleſtem, vt in ea fœlices maneant in æternum, & capiant hæreditatem diuinam, ad quam ex omni æternitate fuere ab eo prædeſtinati & electi. Poſtremò, Spiritus ſanctus in illo mortis tempore aufert ſeruis ſuis inordinatum huius mundi

Apoc.19. *Matth.25.*

mundi & præſentis vitæ amorem; quinetiam generat in eis faſtidium quoddam & tædium longioris vitæ & manſionis in hoc mundo, tanquam laborioſæ peregrinationis, ęrumnoſíque exilij: Contra verò, ardentem excitat & accendit in eis amorem & deſiderium patriæ cæleſtis, æternorúmque bonorum & gaudiorum, & beatę ſocietatis Angelorum, illiúſque fœliciſſimi ſtatus, in quo beatis omnibus Deus eſt lux æterna, requies perpetua, gaudiũ indeficiens, & gloria ſempiterna. His itaque modis Spiritus ſanctus in tempore mortis vſqueadeo conſolatur & confirmat ſeruos ſuos, vt illi flagrantiſſimè cupiant ex hac vita quàm primùm excedere, & dicant cum Dauide. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Et cum Paulo, *Deſiderium habeo diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

Pſalm. 41.

Ad Phil. 1.

53 Cæterùm, quæ à nobis de multiplici conſolatione Spiritus ſancti dicta ſunt, ea libet confirmare & illuſtrare dulciſſimis melliflui Bernardi verbis, quæ ſunt in ſecundo eius ſermone de feſto Pentecoſtes; ſic autem ſcribit. Ne de abſentia mea vel murmures vel contriſteris, mittam Spiritum paracletum qui tibi donet Pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen. Pignus ſalutis, vt ipſe Spiritus reddat teſtimonium ſpiritui tuo, quòd filius Dei ſis; qui certiſſima prædeſtinationis tuæ ſigna cordi tuo imprimit & oſtendit, qui donet lætitiam in corde tuo, & de rore cœli ſi non continuè, ſaltem ſæpiſſime mentem tuam impinguet. Robur vitæ, vt quod per naturam tibi eſt impoſſibile per gratiam eius non ſolùm poſſibile, ſed & facile fiat; ita vt in laboribus, in vigilijs, in omnibus obſeruantijs (quæ niſi facinula iſta dulcorentur, prorſus mors in olla appareat) delectabiliter incedas ſicut in omnibus diuitijs. Scientiæ lumen, vt cùm

Bernardus Tria magna bona quæ Spiritus ſanctus tribuit ſeruis ſuis Pignus ſalutis, Robur vitæ & lumen ſcientiæ.

Ad Ro. 8.
4. Reg. c. 4.

Pſal. 118.

Lucæ. 17.

omnia benefeceris, te ſeruum inutilem putes, & quicquid boni in te inueneris, illi tribuas à quo omne bonum eſt, ſine quo non parum aliquid, ſed nihil omnino potes incipere, ne dicam perficere. Sic ergo Spiritus iſte in tribus iſtis te docebit omnia, ſed omnia quæ ad tuam pertinent ſalutem, quia in ipſis eſt plena & abſoluta perfectio. Idem Bernardus in ſerm. 3. de feſto Pentecoſt. ait, Spiritum ſanctum multipliciter dari hominibus, & ad vſum vitæ, & ad virtutem miraculorum, & ad propriam hominis ſalutem, & ad auxilium in dimicatione, & ad ſolatium in tribulatione, & ad feruorem in bona operatione: ſingula verò hæc quemadmodũ Bernardus explicet, videat Lector apud eum. Sanè, per gratiam Spiritus ſancti ſi in homine rectitudo intentionis in omnibus quæ agit, fit munditia & puritas in corde, fit veritas ſemper in ore, fit feruor in bona operatione, fit patientia & conſtãtia in tribulatione, fit denique in obſequio & ſeruitute Dei perſeuerantia vſque in finem: his autem ſex rebus Chriſtiani & ſpiritualis viri perfecta virtus & ſapientia continetur.

Sex res, quib⁹ Chriſtiani, & Spiritualis viri perfectio continetur.

VIGESIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Verſ.16.

Vt maneat vobiſcum in æternum.

DIXERAT Dominus diſcipulis, datum 54
iri eis alium Paracletum, id autem eſt aduocatum, patronum & cõſolatorem: ſed ne illi putarent, Spiritum ſanctum breui tempore futurum in eis, & poſtea diſceſſurum

ab

ab ipſis;continuò adiunxit ſupradicta verba, *Vt maneat vobiſcum in æternum*,oſtédens Spiritus ſancti máſionem in eis fore perpetuam & æternam. Sed illud *Vobiſcum* putant quidam ſignificare non illos tantùm Chriſti Apoſtolos & diſcipulos, ſed vniuerſum cœtum fidelium & ipſam ſanctã Eccleſiam, ſic enim antea dixerat illis. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſæculi.* *Matth. vltim.* Spiritum autem Sanctum perpetuò manere in Eccleſia,octo modis licet intelligere. *Spiritum ſanctum perpetuò manere in Eccleſia octo modis.* Primò,Quantum ad veritatem, & rectitudinem,& integritatem fidei: vera enim & recta, & integra fides Chriſti ſemper & fuit,& eſt, & erit in Catholica Chriſti Eccleſia. *Fides.* Secundò,Quantum ad probitatem morum & ſanctimoniam:non ſolùm quòd *Sanctitas.* eam ſemper EccleſiaChriſti profiteatur & præcipiat, ſed quòd etiam omni tempore aliqui ſint in Eccleſia,qui eam ſanctimoniam ſectentur & colant. Tertiò,Quãtum ad veritatem & firmitatem Verbi Dei, *Verbum Dei.* ſiue in ſacris libris expreſsi,ſiue per cõtinuam in Eccleſia traditionem cuſtoditi. Quartò,Quantum ad *Virtus Sacramentorum.* virtutem ſacramentorum, quæ omni tempore eandem vim & efficaciam gratiæ habẽt.Quintò,Quantum ad gratias gratis datas, quæ licet vno tempore *Gratiæ gratis datæ.* magis quàm alio abundantiores & illuſtriores ſint, nunquam tamẽ in Catholica Eccleſia deſunt. Sextò, *Cultus Dei* Quantum ad verum,& rectum, & ſincerum,purúmque Dei cultum,in ſpiritu nempe ac veritate,ab omníque falſitate ac ſuperſtitione vacuum. *Ioan.4.* Septimò, *Firmitas Eccleſiæ aduerſus hoſtes eius.* Quantum ad ſtabilitatem & firmitatem Eccleſiæ Chriſti aduerſus omnes eius hoſtes, Paganos dico & Hæreticos, omnéſque Diaboli artes & vires. Stat enim fixum & immobile illud Chriſti oraculum & promiſſum. *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* *Matth.16.*

Duratio Christianæ legis & religionis & Ecclesiæ vſque in finem ſæculi.

Matth. vltimo.

Octauò, Quantum ad Chriſtianæ fidei & religionis, & ipſius Eccleſiæ durationem vſque ad finem ſæculi; non enim alia lex & religio, non alia ſacramenta, non alia morum diſciplina, vllo poſt tempore tradenda eſt à Deo, quàm quæ à Chriſto Eccleſiæ ſuæ tradita eſt, vt liquidò cognoſcere licet ex illis Chriſti verbis, *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.*

Probabilior interpretatio illius Vobiſcũ.

55 Et hæc quidem dicta ſint, ſi illud *vobiſcum* interpretari libeat cœtum fidelium & ipſam Chriſti Eccleſiam. At enim præſtat, illa verba *vt maneat vobiſcum in æternum* nõ in commune de vniuerſo fidelium cœtu & Eccleſia interpretari, ſed propriè de ipſis Apoſtolis, quibuſcum tunc ſermocinabatur Dominus; id enim & Chriſti propoſitio, & ſententiæ verborum eius, & ijs quæ antoceſſerunt, & quæ deinceps proximè ſequuntur, magis conſentaneum videtur. Significatur itaque illis verbis, venturum ad Apoſtolos Spiritum ſanctum, & futurum in eis non ad breue aliquod tempus, ſed perpetuò manſurum in ipſis; tantáque eos gratia ſua cumulaturum atque confirmaturum, vt nullum deinceps vnquam in peccatum mortale labi poſſent; quem ſtatum Theologi appellant confirmationem hominis in gratia Dei vſque ad finem. Sciendum autem eſt, omnem creaturam quæ liberi arbitrij compos eſt, natura ſua flexibilem eſſe ad bonum & malum, ideóque nullam eſſe naturaliter impeccabilem; ſed hoc ei dari per gratiã Dei, quæ cùm per ſe ſit ordinis ſupernaturalis, nulli creaturæ poteſt eſſe naturalis.

Nullam creaturam libero arbitrio prædicatã, naturaliter impeccabilẽ eſſe poſſe.

Tres modi, quibus homo per gratiam Dei fieri poteſt impeccabilis.

56 Cæterùm, tripliciter poteſt homo fieri impeccabilis: Primò, Per gratiam diuinæ vnionis hypoſtaticæ, qui ſummus & excellentiſſimus impeccabilitatis in homine

homine modus eſt, ſecūdum quem Homo Chriſtus ſimpliciter & omnino fuit impeccabilis. Altero modo, fit homo impeccabilis per gratiam conſummatam & beatificam, vt ſunt in cœlis beati; qui clarè videntes eſſentiam Dei, in qua omne bonum humana voluntate appetibile illis cernendum & fruendum exhibetur, non poſſunt ei non immobiliter inhærere, nec ab eo poſſunt vnquam auerti. Tertio modo, poteſt homo etiam in hac vita fieri impeccabilis per ſingularem quandam & eximiam Dei gratiam ita ſtabilientis cor hominis, & ita omnes eius potentias & affectus ſub rectæ rationis & legis diuinæ regula continentis, & omnia quæ ad malum incitamenta ſunt ab eo remouentis, contra verò ad bonum incitamenta & inuitamenta ei offerentis, vt non ſinat vnquam prolabi hominem ad peccatum; peccatum dico vel mortale tātùm, vt in Apoſtolis, qui per Spiritum ſanctum confirmati in gratia non poterant peccare mortaliter, poterant tamen venialiter peccare; vel in nullum ſimpliciter peccatum ſiue mortale ſiue veniale, quam confirmationis gratiam habuit Beatiſſima Dei genetrix Maria.

VIGESIMA PRIMA DISPVTATIO

Super illis verbis:

Spiritum veritatis. *Verſ. 16.*

57. MVltis de cauſis Spiritus ſanctus ritè nominari poteſt ſpiritus veritatis. Vel enim ſic appellatus eſt ſecundū phraſim hæbraicam, pro eo quod eſt, Spiritus verax, in omnibus nempe dictis

Octo cauſæ, ob quas Spiritus ſanctus ritè nominari poteſt Spiritus veritatis.

& promiſſis; neq; enim aut ipſe fallit, aut alios fallere poteſt. Vel dictus eſt Spiritus veritatis, quo nouum Teſtamentum diſtingueretur à veteri, vt ait Theophylactus; in veteri enim Teſtamēto Spiritus ſanctus docebat homines per figuras quaſdam, & velut vmbras rerum futurarum: in nouo autem Teſtamento docet homines, reuelata, & aperta, & explicata, & exhibita ipſa rerum veritate. Vel quia docet homines & credere iubet multas ſupernaturales veritates, ad quarum profectò cognitionem humanæ vis intelligentiæ aſpirare non poteſt. Vel quia huiuſmodi veritatibus facit hominem firmiſſimè aſſentiri, & conſtanter inhærere. Vel quia Spiritus ſanctus facit hominem liberè loqui veritatem, & palàm confiteri. Vel quia facit, vt ſecundum veritatem doctrinæ ſuæ & vitam noſtram conformemus, omnéſque actiones dirigamus. Vel quia hic diuinus ſpiritus nos & docet, & facit adorare Deum in ſpiritu & veritate. Vel denique quod faciat nos pro veritate fidei & legis Chriſti mortem, ſi opus fuerit, libenter oppetere, fortitérque perferre.

Ioan.4.

Incredibilis eſt vis & efficacitas ipſius veritatis; veritas enim omnibus à Deo creatis rebus fortior & potentior eſt; ſuper qua re fusè diſputatur in lib. 3. Heſdræ cap. 4. Sed in ſacra Scriptura dicuntur multa & præclara de veritate apud Iſaiam cap. 26. *Aperite portas, & ingredietur gens iuſta, cuſtodiens veritatem.* Apud Ioannem cap. 18. Dominus dixit Pilato: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeā veritati.* Et in hoc ipſo cap. 14. paulò ſuprà dixit Dominus: *Ego ſum via, & veritas, & vita.* Ac licet multi veritatem oderint, & oppugnēt, & quoquo modo eam obſcurare & in profundum demergere conentur, ea 58.

Encomium veritatis.

tamen

tamen ſemper emergit,& extat; non ſecus quàm ſuber, vel pila incluſo aëre tumens in aquas demerſa; & quemadmodum ſol denſis obductus nubibus ad breue tempus deliteſcit,ſed ne tunc quidem ſui ſplẽdoris quicquam amittit & mox diſcuſſis, diſſipatíſque nubibus priorem ſuam claritatem oſtentat omnibus. Veritas igitur nec tempeſtate demergitur,nec tenebris obſcuratur,nec vetuſtate ſeneſcit, nec obliuione deletur, neque vllis ſordibus obſoleſcit, nec vinculis tenetur adſtricta, nec ſeruitute ſubijcitur, nec adulatione molleſcit, nec terrore flectitur, nec morte perimitur.

VIGESIMASECVNDA DISPVTATIO

Super illis verbis:

Quem mundus non poteſt accipere,quia non videt eum,nec ſcit eum. Verſ.17.

59. MVNDI vocabulo in hac Domini ſententia ſignificantur homines rerum mundanarum ſiue bonorum & voluptatum temporalium quæ ſunt in hoc mundo, amatores & curioſi ſectatores;vel mundana potentia & ſapientia tumentes, atque præſidẽtes;vel qui mundano ſenſu & iudicio, tanquam certiſſima & vnica veritatis regula,omnia metiuntur & æſtimant. Iſti, dum ita ânimo ſunt affecti, non ſunt capaces Spiritus ſancti; nempe veriſſimum eſt quod ſcripſit Paulus ad Corinthios, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere* Idémque Paulus dixit in Epi.ad Rom. Locus Pa. ad Cor.2. Ad Ro.8.

Sapientia carnis inimica eſt Deo; legi enim Dei non eſt ſub-
Iacob. 4. *iecta; nec enim poteſt.* Et Iacobus ait, *Quicunque voluerit*
amicus eſſe huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur. Conſi-
1. Ioan. 2. mile eſt illud Ioannis: *Si quis diligit mundum, non eſt cha-*
ritas Patris in eo.

Illis autem verbis: *Quia non videt eum, nec ſcit eum.* 60.
Significatur duplex in homine impedimentum ac-
cipiẽdi Spiritum ſanctum: nam illud, *Non videt eum,*
ſignificat impedimentum in intellectu qui nõ habet
Spiritus ſancti rectam, & firmam, & piam cognitio-
nem: imò eam ſibi oblatam reſpuit & auerſatur. Illud
verò *Nec ſcit eum*, ſignificat impedimentum in vo-
luntate poſitum; nam illum *ſcit* ſignificat hoc loco
non quamlibet ſcientiam, ſed, vt ita loquar, affe-
ctiuam, ſiue ſcientiam approbationis & dilectionis,
1. Ioan. 4. de qua nimirum intelligitur illud Ioannis: *Qui non*
Quæ vitia regnent in mundo. *diligit, non nouit Deum:* Quoniam igitur in mundo hæc
vigent & regnant, Immũditia vitæ, Prauitas morum,
fictio & ſimulatio in verbis & factis, Calliditas &
Aſtutia, Inuidia, Odia, Ambitio, Superbia; & quia, vt
Ioannes dixit, *Omne quod eſt in mundo eſt concupiſcen-*
tia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.
1. Ioan. 2. Et quia *mundus totus in maligno poſitus eſt:* Idcirco Do-
minus dixit, mundum non eſſe capacem Spiritus
ſancti, qui ſupradicta odit, & deſtruit, & illis contra-
ria operatur in eorum animis ad quos venit.

Hoc ipſum quod à nobis ſuper iſtis Domini ver- 61.
S. Baſilius. bis diſputatum eſt, luculenter tractat S. Baſilius in
lib. de Spiritu ſancto cap. 22. ait enim, cùm dicitur
non poſſe mundus capere Spiritum ſanctum, voca-
bulo Mundi, non ſignificari hanc rerum cœleſtium
& ſublunarium vniuerſitatem, ſed homines qui car-
nalem, & impuram, multiſque obnoxiam mutatio-
nibus

nibus vitam degunt, quíque ſenſibus tantùm penſitant veritatem, voluntatem in affectu carnis, tanquam in cœno demerſam gerentes, nec potentes ad ſpirituale lumen veritatis oculos attollere. Putat etiã Baſilius ſignificaſſe hoc Iſaiam illis verbis quę ſunt in cap. 42. *Hæc dicit Dominus Deus creans cælos, & extendens eos, firmans terram, & dans flatum populo qui eſt ſuper eã, & ſpiritum calcantibus eam.* Quibus verbis ſignificatur, eos qui calcarunt terrena, eíſque ſuperiores euaſerunt, dignos fuiſſe dono Spiritus ſancti. *Locus Iſaiæ. cap. 42.*

62. Beatus etiam Gregorius in lib. v. Moralium cap. 19. *Gregorius.* ſuper illis verbis Iob cap. 4. *Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum,* ita ſcribit, Abſconditum verbum audire, eſt locutionem Spiritus ſancti corde concipere, quæ profectò ſciri non poteſt, niſi à quo haberi poteſt; vnde Dominus de hac abſcondita locutione dixit, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, quem mundus non poteſt accipere.* Sicut enim Spiritus ſanctus in ſemetipſo inuiſibilis eſt, ita omnem quem repleuerit, ad deſideranda inuiſibilia accendit. Et quoniam mundana corda ſola viſibilia diligũt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda inuiſibilia non aſſurgit: ſæculares enim mentes quanto ſe foris per deſideria magis dilatant, tanto magis ad receptionem illius ſpiritus, ſinum cordis anguſtant. Et quia perpauci ſunt, qui à deſideriorum carnalium ſorde purgati ad perceptionem ſancti Spiritus hac ipſa purgatione dilatantur; propterea verbum hoc abſconditum dicitur: namque illud à paucis in corde percipitur, quod à maxima hominum parte neſcitur. Hæc Gregorius.

DISPVTATIONES

Super illis verbis:

Verſ. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

VIGESIMATERTIA DISPVTATIO

Super illis verbis:

Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit.

Cur obſeruatio ſermonum Dei certum ſit ſignum veræ dilectionis Dei; & quid ſit ſeruare ſermones, ſiue mandata Dei, ſecundum explanationem S. Bernar. & B. Thomæ.

FREQVENTER Dominus dilectionē Dei commendat hominibus, quòd ea ſit totius legis & prophetiæ cõſumatio, atque omnis Chriſtianæ diſciplinæ perfectio. Ne quis verò aut ſe ipſe deciperet, aut falleret alios ſimulatione dilectionis Dei, certiſsimum Dominus tradit ſignum eius dilectionis quam ipſe præſcribit, & exigit, ac remuneratur mandatorum Dei obſeruationem. Supra enim dixit, *Si diligitis me, mandata mea ſeruate*: & rurſus, *Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.* Et hoc loco: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*, & paulò poſt, *Qui non diligit me: ſermones meos non ſeruat.* Et infrà cap. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis.* 63.

Verùm

64 Verùm ſuper illis verbis in huius Diſputationis titulo propoſitis: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*, nonnullas quæſtiones tractare volumus, vt ampliorem & illuſtriorem iſtorum Domini verborum explicationem faciamus.

Prima quæſtio, Cur obſeruatio præceptorum Dei, certum veræ dilectionis Dei ſignum haberi debeat. Reſpondeo cauſam huius rei eſſe, quòd ardenter amanti ſolenne & quaſi naturale eſt, quoquo modo poſſit, ei quem amat obſequi & gratificari, nihilque aut facere, aut prætermittere, quo putet animum eius vel tantillum offendi poſſe.

65 Deinde, præcepta Dei ſunt eiuſmodi, vt ea omnia, ſicut oportet, ſine vero Dei amore nemo exequi & implere queat. Sunt enim nonnulla Dei præcepta noſtris interdum emolumentis, & voluptatibus, & honoribus contraria, vt vel his repudiatis & abiectis exequenda ſint Dei præcepta, vel aſpernanda & violanda ſint hæc, vt noſtris cupiditatibus indulgeamus & inſeruiamus. Magnum itaque veri amoris Dei argumentum eſt, poſthabitis, & contemptis quæ nobis chara & pretioſa ſunt, Dei iuſſis obtêperare. Beatus certè Gregorius hoc ipſum nos docet in homilia *S.Gregor.* 30. in Euangelia, tractans hæc ipſa Domini verba in quorum nunc explicatione verſamur, & hunc in modum ſcribens, Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis; nam teſte Ioanne, *Qui dicit ſe diligere Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* *1.Ioan.2.* Verè enim diligimus Deum, ſi propter mandata eius à noſtris nos voluptatibus coarctamus: nam qui adhuc per illicita deſideria diffluit, profectò Deum non amat, quia ei in ſua voluntate contradicit. Nemo igitur ſibi credat de dilectione Dei, quicquid ſibi animus ſine re-

operis atteſtatione reſponderit. De amore cõditoris lingua,mens,& vita requirantur,nũquam Dei amor otioſus eſt; operatur magna ſi eſt; ſi operari renuit, amor non eſt.Hactenus ex ſancto Gregorio.

Altera quæſtio eſt ſuper illis verbis:*ſermonem meum* 66.
ſeruabit. Quid ſit ſermonem vel ſermones Domini
S.Bernardus. ſeruare. Hoc diſertè S. Bernardus explicat in ſermone quinto de aduentu Domini, ita ſcribens; Primò ſeruare oportet ſermones Dei in corde ſuo; ſicut di-
Pſal. 118. xit Propheta: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Et de eo laudatur Beatiſſima Virgo Maria,
Luca 2. quia *Conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Verùm non ſatis eſt memoria ſeruare, ſed ita ſerua ſermonem Dei, quomodo meliùs ſeruare potes cibum corporis tui;nam & ille panis viuus eſt,& cibus mentis. Panis terrenus dum in arca eſt, à fure tolli poteſt, à mure corrodi, à vetuſtate corrumpi; ſed ſi comederis illum,nihil horum timeas. Beati qui ſic cuſtodiunt verbum Dei:Ergo traijciatur in viſcera
Eſai. 55. animæ tuæ,tranſeat in affectiones tuas & in mores tuos,comede bonum, & delectabitur in craſsitudi-
Pſal. 101. ne anima tua,Ne obliuiſcaris comedere panem tuũ,
Pſal. 62. ne exareſcat cor tuum, ſed adipe & pinguedine repleatur anima tua Si ita verbũ Dei ſeruaueris, haud dubium quin ab eo ſerueris.Hæc Bernardus.

S.Thom. Hoc ipſum paulò diſtinctiùs & pleniùs enarrat 67.
B.Thomas in commentario huius loci;Quidam inquit,habent mandata Dei in aure,libenter ea & diligenter audientes:ſed hoc non ſufficit,niſi ea ſeruent
Ad Ro. 2. opere,quia *Non auditores legis,ſed factores iuſtificabuntur.* Alij ſeruant ea in corde ſuo, frequenter recordãtes & retractantes, ſecundum illud: *In corde meo ab-*
Pſalm.118. *ſconde eloquia tua.* Sed hoc non eſt ſatis niſi ea ſeruen-

tur

tur opere, ſecundum illud: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Pſal.110. Nonnulli ea ſeruant in ore, libenter ea docendo alios, & frequenter, & iucundè loquendo de eis, ſicut Dauid dixit: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo.* Pſal.118. Verùm neque hoc ſine opere ſufficit; Dominus enim dixit: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum.* Matth.5. Qui enim dicunt, & non faciunt, vituperantur à Domino. Matth.23. Denique nonnulli ea ſeruant opere, ſed ad aliquod tantùm tempus, & non perſeueranter vſque ad finem; cùm tamen à Domino dictum ſit: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Matth.24. Præclara itaque eſt illa Beati Auguſtini ſententia, Qui habet in memoria, & ſeruat in vita; Qui habet in ſermonibus, & ſeruat in moribus; Qui habet audiendo, & ſeruat faciendo; Qui habet faciendo, & ſeruat perſeuerando, ipſe eſt qui diligit me. Auguſtinus.

VIGESIMA QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Vers.23.

68. PAVLO ſuprà dixerat, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Iſtis autem vtriuſque loci verbis indicatur multiplex & ingens fructus quem fert dilectio Dei quæ cum obſeruatione mandatorum eius coniuncta eſt. Quintuplex autem fructus commemoratur à Domino: Primus fru- *Quintuplex fructus veræ dilectionis Dei.*

Digitized by Google

ctus eſt aduentus Paracleti, & manſio eius, ſic enim paulò ante dixit: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis.* Secundus fructus eſt diligi à Patre & à Filio; ipſe enim dixit, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum,* nec qualibet dilectione, ſed perfectiſſima, ea nempe quæ eſt dilectio amicitiæ. Paulò enim pòſt Dominus dixit Apoſtolis: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis.* Tertius fructus eſt aduentus Patris & Filij ad eos qui diligunt Chriſtum, & mandata eius ſeruant. Quartus fructus eſt manſio eorum in illis, ſicut Dominus dixit: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Quintus denique fructus ſignificatur illis verbis: *Et manifeſtabo ei me ipſum.*

Quæſtio, An quia nos diligimus Deũ, vtq; Deus diligat nos.

Sed quærendum eſt, Quomodo dicatur hoc loco, 69. ſi quis diligat Deum, & ſeruet mandata eius, fore vt Deus diligat eum, quaſi priùs ſit nos diligere Deum, quàm diligi à Deo, & quaſi nos diligendo Deum, & ſeruando mandata eius, mereamur diligi à Deo. Sed contrà ſe res habet; prius enim eſt nos diligi à Deo, quàm vt nos diligamus Deum; Deus enim diligendo nos, donat nobis id quo eum diligamus, & mandata eius ſeruemus vt oportet; ſic enim ſcripſit, quem Chriſtus dilexit Ioannes: *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Ad hanc quæ- (1. *Ioan.* 4.)

Reſponſio ad quæſtionem.

ſtionem ita reſpondendum eſt: ſimpliciter & abſolutè priùs eſt nos diligi à Deo, quàm vt nos diligamus Deum; Deus enim miſericordia ſua præuenit nos, vnde initium fit omnium bonorum in nobis; gratia verò illa præueniens, effectus eſt diuinæ dilectionis erga nos: nam ſi ex nobis cogitare de Deo

non poſſumus tanquam ex nobis, ſed ad id auxilio Dei indigemus, vt ſcripſit Apoſtolus, quanto minus poterimus ex nobis diligere Deum vt oportet? ſed quantum ad certos quoſdam effectus diuinæ dilectionis, prius eſt, vt nos diligamus Deum, quàm vt ab eo diligamur, id autem eſt, vt ſingulares quoſdam & inſignes dilectionis eius effectus conſequi mereamur; cuiuſmodi ſunt, Plenior Spiritus ſancti receptio, Frequentior mentis illuminatio, Vberior & altior cœleſtium & diuinarum rerum cognitio, ſuauior Spiritus conſolatio, Maior in gratia confirmatio, & aduerſus grauiores Diaboli, & Mundi, & Carnis tentationes præualens animi corroboratio: Tunc enim Deus noua quadam ratione diligere aliquem dicitur, cùm nouo eum vel ampliori beneficio afficit. Quapropter cùm Dominus dixiſſet: *Et ego diligam eum*, mox declarat, qualis eſſet futura ea dilectio ſubiungens: *Et manifeſtabo ei me ipſum*, id autem eſt, pleniorem, apertiorem, ſublimiorem, & ſuauiorem ei cognitionem mei præbebo. *2. ad Cor. 3.*

70. Annotauit Beatus Thomas, dupliciter poſſe aliquem diligi ab alio, vel ſecundũ quid, vel ſimpliciter: ſecundum quid, quando vult ei aliquod bonũ particulare; ſimpliciter verò, quãdo vult ei omne bonum. Deus quippe omnia ab ipſo cauſata diligit ſecundum quid, quia omni creaturæ vult aliquod bonum, etiam ipſis Dæmonibus, vt ſcilicet viuant, & intelligant, & ſint, quæ ſunt quædam bona. Simpliciter autem diligit illos, quibus vult omne bonũ, vt ſcilicet habeant ipſum Deũ; quẽ habere, eſt habere ipſam veritatem, Deus enim veritas eſt. Sed veritas tũc habetur quando cognoſcitur; illos ergo ſimpliciter diligit, quibus manifeſtat ſeipſum qui eſt veritas: & hoc eſt quod *Quomodo Deus & diligat omnes, & non diligat omnes. B. Thomas.*

Digitized by Google

dixit Dominus: *Et manifeſtabo ei me ipſum.* Scilicet in futuro per gloriam, quod eſt vltimus futuræ beatitudinis effectus. Hæc ſanctus Thomas.

Nec quolibet genere amoris Deus eos diligit à quibus diligitur, ſed amore amicitiæ dignatus eos & nomine & honore amicorum ſuorum; ipſe enim dixit. *Non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* Et Dauid: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Nihil porrò in ſocietate & conſuetudine hominum vel dulcius vel vtilius eſt amicitia: nempe in ea eſt ſingularis quædam & ſuauis mollitudo & teneritudo amoris: Aſſidua conſuetudo: Intima familiaritas: Communicatio bonorum omnium: Patefactio conſiliorum atque omnium arcanorum: Denique ardens & perpetuum ſtudium & cura ſalutis, honoris, & vtilitatum, omniumque rerum, quæ ex vſu & dignitate amicorum eſſe videantur. 71.

Ioan.15. *Pſalm.138.* *Sex bona amicitiæ.*

VIGESIMA QVINTA
DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS.23. *Et ad eum veniemus.*

TRES Domini ſententiæ, quæ ſunt in verbis eius ſuprà commemoratis, ſeparatim & diligenter explanandæ ſunt; earum prima eſt: *Ad eum veniemus.* Secunda: *Manſionem apud eum faciemus.* Tertia: *Et manifeſtabo ei me ipſum.* Illud verò, *Ad eum veniemus,* Dominus dixit humano more, ad ſimilitudinem videlicet amicorum qui viſere vehementer cupiunt eos quos amant, & apud eos manere. Hic Dei aduentus ad homines & apud eos habitatio ſæpe in ſcriptura 72.

ſcriptura tanquam magnum quoddam, maximéque optandum bonum promittitur, vt per Zachariam cap. 2. *Lauda & lætare Filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui.* Et in Apocalypſi cap. 21. *Et audiui vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Quomodo autem Deus cùm ſit immobilis, & ſit vbique dicatur venire ad hominem, videat lector Auguſtini ſuper hoc diſputationem in Tractatu 76. in Ioannem. *Auguſtinus.*

73. Sed quantum ſit bonum, venire Deum ad hominem & in eo habitare, quis verbis enarrare queat, aut etiam mentis intelligentia conſequi. De diuina Sapientia hæc ſcripta ſunt: *Venerunt omnia bona mihi pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius: infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Et in ca. 8. eiuſdē libri Sapientiæ ſic eſt: *Intrās in domum meam, conquieſcam cum illa, non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, neque tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* Scriptum eſt in lib. 2. Regum cap. 6. Arcam Dei, cùm illata eſſet in domum Obededon, benedixiſſe Dominum domui eius, & omnibus quæ poſſidebat. Chriſtus clauſus vtero matris venit in domum Zachariæ, & Ioannem qui matris in vtero continebatur, eiuſque parentes Spiritu ſancto repleuit. Venit ad nuptias, & aquam conuertit in vinum. Venit domum Zachæi, & illo die ſalus ei domui facta eſt à Deo. Venit domum Archiſynagogi, & filiam eius mortuam reuocauit ad vitam. Denique quocunque & ad quoſcunque ibat, aperiens manum ſuam implebat omnes benedictione.

Quantum & quàm multiplex bonū ferat ſecū Domini aduentus ad hominis animam. *Sapient. 7.* *Luca 2.* *Ioann. 2.* *Luca 19.* *Matth. 9.*

74. Sed cur Chriſtus ad paucos venit? Venit ille quidem ad multos, & pulſat oſtium cordis eorum, ſed *Cur Chriſtus ad paucorum animas veniat.*

quia illi non aperiunt ei,non intrat ad eos:ipſe enim

Apoc. 3.

per Ioannẽ dixit: *Ego ſto ad oſtium,& pulſo;ſi quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam,intrabo ad illum,& cœnabo cum illo,& ipſe mecũ,* Pauci ſunt digni,in quibus Chriſtus habitet:Quidam Domino dixit: *Magiſter,ſequar te quocunq; ieris.* Cui Dominus reſpõdit: *Vulpes foueas habent,& volucres cœli nidos;Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Quæ verba,per ænigma & per parabolam dicta, hanc habent ſentẽtiam, ſecundum interpretationẽ Cyrilli in li. decimo comment. in Ioannẽ c.4. Vulpes & volucres cœli ſignificant immundos ſpiritus,qui ſuperborum hominum, & flagitioſorum,& prudẽtia ſecundum carnẽ præfidentium atque gloriantium corda inhabitant, eáque peſſimis conſiliis & cupiditatibus implent,nullum Chriſto ad manendum in eis locũ relinquentes; id enim ſignificat illud, *filius hominis nõ habet vbi caput ſuũ reclinet.* Quòd ſi quis Princeps aut Rex,inquit Gregorius,venire domum noſtram vellet, quãto ſtudio & diligentia eam mũdare atq; ornare ſtuderemus,& prouidere,ne quid in ea eſſet,quod oculos eius offenderet? Tergat ergo ſordes praui operis,qui Deo præparat domũ mentis.

Luca 9. Locus Lucæ cap.9.

Cyrillus.

Gregorius hom. 30. in Euangelia.

Quid agat Deus in hominis animo, cum ad eum venit. Bernardus.

Sed videamus, quid agat Deus in nobis, cùm ad 75
nos venit.Sanè quàm diſertè hoc S. Bernardus explicat in ſerm. 5. de Aduentu Domini, tractans hunc ipſum locum Ioannis. Veniet,inquit Bernardus,Propheta magnus qui renouabit Hieruſalem,& noua faciet omnia: & in primis faciet, vt ſicut portauimus imaginem terreni Adam, ſic portemus & imaginem cœleſtis. Sicut itaque vetus Adam effuſus eſt per totum hominem, & totum occupauit;ita Chriſtus totum hominem ſanat,mundat,ac renouat.Regnat vetus homo in toto homine,in manu per facinus & flagitium,

Apoc. 21.

1. Cor. 15.

Ioan. 7.

gitium,in ore per arrogantiam & detractioné,in corde per immunditiam & ambitionem. At veniens ad hominẽ Chriſtus delet hæc,cõtraria illis operãs in eo: in manu quidẽ contra facinus,innocentiã;contra flagitium,continentiã:In ore autẽ contra arrogantiam, verbũ confeſſionis;contra detractionẽ,verbum ædificationis.Deniq; in corde cõtra deſideria carnis, caſtitatẽ;contra cupiditatẽ gloriæ tẽporalis,humilitatẽ.

79. Idem Bernardus in ſer.7.Triplex,inquit, generalis eſt humano generi miſeria, dum in regione vmbræ mortis,in infirmitate corporis,in loco tẽtationis verſatur:nam faciles ſumus vt ſeducamur,debiles vt operemur,fragiles vt reſiſtamus. Si diſcernere volumus inter bonum & malum,decipimur:ſi tentamus facere bonum, deficimus: ſi conamur reſiſtere malo,deiicimur & ſuperamur. Neceſſarius igitur eſt Chriſti ad nos aduentus, vt in nobis per fidem habitans illuminet cæcitatem noſtram;& nobiſcum manens adiuuet infirmitatem noſtrã;& pro nobis ſtans fragilitatẽ noſtram protegat, & propugnet pro nobis. Si enim ille fuerit in nobis,quis iã decipiet nos?ſi ille nobiſcũ ſit, quid non poſſimus in eo qui confortat nos?ſi ille pro nobis ſtet,quis cõtra nos?fidelis cõſiliarius eſt,qui nec falli nec fallere queat;fortis auxiliarius,qui nunquam laſſeſcat;patronus efficax,qui & ipſum ſatanã ſub pedibus noſtris velociter cõterat, & omnia eius machinamenta confringat.Nimirũ ipſe Dei eſt ſapiẽtia,cui ſemper in prõptu eſt inſtruere ignorãtes:Ipſe Dei virtus eſt,cui facile ſit deficiẽtes reficere,& eripere periclitantes. Ad hũc ergo tantũ doctorẽ in omni noſtra deliberatione curramus:hunc tam ſtrenuũ adiutorẽ in omni operatione inuocemus: huic tam fido propugnatori in omni noſtra colluctatione cõfidamus.

Triplex humani generis miſeria in præſenti vita ſecundum Bernardum.

Aduentus Domini ad animas noſtras tres ob cauſas neceſſarius.

Philip. 4.

Rom. 8.

Rom. vlt.

1.Cor.1.

Videlicet ad hoc ille venit in mundum, vt habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, & tenebras noſtras illuminaret, & labores leuaret, & pericula propulſaret. Hæc ſanctus Bernardus.

VIGESIMASEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vers. 23. *Et manſionem apud eum faciemus.*

PRopterea Dominus ad illud: *Ad eum veniemus*, proximè adiecit hoc, *Et manſionem apud eum faciemus*: quòd ad multos ipſe venit in quibus non manet, vel quòd ab illis non recipitur, vel quòd receptus breui tempore eum retinent. Ad quoſdam enim venit Chriſtus per fidem, ſed in eis nõ manet, quoniam *ad tempus illi credunt, ſed in tempore tentationis recedunt.* Venit etiã Chriſtus ad aliquos per compunctionẽ; audito enim Dei verbo compunguntur animo, etiam vſque ad profuſionem lacrymarum; ſed non manet in eis Chriſtus, quia mox ad priora ſua peccata reuertuntur ſimiles cani ad vomitum ſuum reuertenti. In electis verò ſuis permanet Chriſtus vel per omnem vitã, vel certè in extremo vitæ, ex qua cum Dei gratia, & digni vita æterna excedunt. Manſionem porrò ſuam in homine ait Chriſtus promereri ab homine per dilectionem & obſeruationem mandatorum eius; poſſet itaque tractari hoc loco illa quæſtio inter veteres & recentiores theologos agitata, An poſſit quiſquã hominum per actũ dilectionis, vel per aliud aliquod opus bonũ promereri, & acquirere ſibi donũ perſeuerantiæ in bono vſque

Matth. 13. · 2. Petr. 2. · Prou.

77.

vſque ad finem: hoc enim loco Dominus nõ obſcurè ſignificat, cauſam meritoriam mãſionis Dei in homine eſſe dilectionem Dei & obſeruationem mandatorum eius. Sed exactam huius quæſtionis explicationem Theologis relinquamus: nos paulò infrà nonnihil de ea dicemus.

78. Sed illud hoc loco animaduertat Lector, aliud eſſe permanere Deum in homine qui diligit ipſum, & ſeruat mandata eius; & aliud eſſe manere hominem & perſeuerare in dilectione Dei & obſeruatione præceptorum eius: illud enim omnino certum & perpetuum eſt; ſemper enim Deus manet in eo qui diligit ipſum, nec vmquam recedit ab homine, quandiu ab eo diligitur; implicat enim contradictionem, Deum diligi ab homine, & ipſum non manere in eo à quo diligitur: homo enim diligit Deum per caritatem, ſed qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus manet in eo, vt ſcripſit Beatus Ioannes in prima ſua epiſtola. At verò permanere hominem & perſeuerare in dilectione Dei, non eſt perpetuum, &, vt ita loquar, indefectibile, propter flexibilitatem videlicet liberi arbitrij ad malum; quo fit, vt poſſit homo à dilectione Dei & obſeruatione mandatorum eius in qua longo tempore permanſit, denique recedere & ad peccandum conuerti. Nec poteſt homo propriè ac dignè mereri perſeuerantiam in bono vſque ad finem; ſed quemadmodum primæ gratiæ donatio gratuita eſt, nec propter vllum hominis meritum propriè dictum, ita & conſeruatio ipſius gratiæ vſque ad finem, donum Dei eſt, meritis dominis nequaquam comparabile; non enim ſicut homo iuſtus per actus virtutum meretur augmentum gratiæ quam acceperit, ita per eos actus me-

1. Ioan. 4.

An perſeuerantia vſque ad finem in bono, ſit meritis hominum comparabilis, an verò donũ ſit Dei planè gratuitum.

reri poteſt donum perſeuerantiæ, vt numquam poſtea excidat gratia Dei, ſed in ea permaneat vſque ad finem. Notum enim eſt, multos qui diu in obſeruatione mandatorum Dei feruentes & perſeuerantes fuerant, multóſque atque illuſtres virtutum actus fecerant, poſtea Dei gratia excidiſſe, & peſſimo fine vitam ſuam terminaſſe.

Non eſt tamen negandum quin per frequentes & 79.
feruentes actus meritorios maiorem gratiæ Dei in nobis conſeruationem promereamur: ſiquidem frequenter & feruenter bene operando augetur & roboratur in nobis gratia, debilitatur concupiſcentia nos ad malum incitans, labefactatur & conuelluntur vitioſi habitus priùs acquiſiti, firmiùs munimur, & fortiores efficimur ad reſiſtẽdum tentationibus Diaboli; deniq; digniores efficimur maiori protectione, firmioribuſq; Dei præſidiis. Bene ergo dixit Dominus: *Si feceritis præcepta mea, manebitis in dilectione mea.*

oan. 15.

Vnde accidat, vt viri etiã iuſtiſſimi & diu, multùmque in ſeruitute Dei exercitati, excidant gratia Dei.

Quod autem non raro vſu veniat, vt viri etiam iuſtiſſimi cadant, & gratiam Dei amittant, dupliciter accidit: primò quidem efficienter ex infirmitate liberi arbitrij, eiúſque ad malum flexibilitate. Id etiam prouenit à Deo permiſſiuè; non enim ſemper Deus dat iuſto homini efficax ſuum auxilium ad reſiſtendum malo, licet ſemper det ſufficiens, ſicut Beatus Petrus in eo tempore quo negauit Chriſtum, non habuit auxilium efficax quo reſiſteret illi tentationi: quibus autem non dat iſtud auxilium, non dat eis iuſtiſſimo ſemper iudicio, licet nobis occulto. Quapropter ſancti frequenter atque obnixè rogant Deum, ne in tentatione deſerat eos, ſed efficaciter ipſos adiuuet, audi lector ardentem Dauidis precationem; *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſaluta*

Matth. 26

Pſal. 26.

ſalutaris meus, & alibi. *Ne derelinquas me Domine Deus, ne diſceſſeris à me; intende in adiutorium meum Deus ſalutis meæ.* Meritò igitur Dominus voluit ſeruos ſuos frequenter dicere illud quod eſt in oratione Dominica, *& ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Quod autem dicitur Deus deſerere hominem iuſtum, non eſt intelligendum, id fieri ab eo per ſubtractionem gratiæ habitualis quæ eſt in homine; non enim hoc facit Deus niſi propter grauem aliquam præcedentem hominis culpam: ſed propterea dicitur deſerere hominem, quia in tentatione non dat ei auxilium efficax quo ei reſiſtat fortiter, eámque vincat. Solet autem Deus quos vult protegere ne cadant, ab eis remouere omnes peccandi occaſiones & incitamenta; vel ſi tentari eos ſinit, abundantiori eos gratia ſua munit & firmat, vt tentationi validè reſiſtant, eámque ſuperent.

Pſal. 37.

Matth. 6.

80. Ceterùm, quibus ſignis, quibúſve experimentis explorare, & cognoſcere poſſimus, Deum manere in nobis, docet nos Beatus Leo in vltimo ſermone de Epiphania hunc in modum ſcribẽs, Qui experiri cupit, an in ipſo Deus habitet, de quo dictum eſt, *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis.* Syncero examine cordis ſui interiora diſcutiat, & ſagaciter quærat, qua humilitate reſiſtat ſuperbiæ, qua beneuolentia obluctetur inuidiæ, quàm non capiatur adulantium linguis, quamq; bonis delectetur alienis: an pro malo non cupiat malum reddere, malitq; inultas obliuiſci iniurias, quàm imaginem & ſimilitudinem ſui conditoris amittere, qui omnes ad ſui cognitionem generalibus incitans donis, *pluit ſuper iuſtos & iniuſtos & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Ac ne in multis laboret ſollicitæ diſcretionis inſpectio, ipſam

B. Leo.

Quibus ſignis cognoſci queat, an Deus per gratiã ſuam maneat in nobis.

Pſal. 67.

Matth. 5.

matrem virtutum omnium charitatem in ſecretis ſuæ mentis inquirat: & ſi in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intente repererit, ita vt etiam inimicis ſuis eadem velit tribui, quæ ſibi optat impendi. Quiſquis huiuſmodi eſt, Deum & rectore & habitatorem ſui eſſe non dubitet: quem tanto magnificen-
1. Cor. 10. Lucæ 17. tiùs recipit, quanto magis non in ſe, ſed in Domino gloriatur. Nimirum quibus dicitur, *Regnum Dei intra*
Rom. 8. *vos eſt*, hi illius aguntur ſpiritu, cuius reguntur imperio. Hæc ſanctus Leo.

VIGESIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vers. 23. *Et manifeſtabo ei me ipſum.*

81.

EX his Domini verbis ſatis apparet, multa eſſe in Chriſto occulta & abſcondita, quæ nulli eſſe nota queant, niſi cui ab ipſo ma-
Iſai. 45. nifeſtata fuerint. Iſaias dixit, *Verè tu es Deus*
Coloſſ. 2. *abſconditus Saluator Iſraël*; & Paulus ad Coloſſenſes ſcripſit, in Chriſto abſconditos eſſe omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Hinc præterea intelligitur, nos diligendo Deum promereri, vt Chriſtus ſeſe no-
Ioan. 14. bis manifeſtet, ipſe enim dixit, *Qui diligit me, diligetur à PATRE meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me*
Epheſ. 3. *ipſum*. Paulus quoque cupiebat Epheſios eſſe in charitate radicatos & fundatos, vt poſſent comprehendere quæ ſit latitudo & longitudo, ſublimitas quoque & profundum; ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charita

charitatem Chriſti. Plus itaque ardens Dei dilectio proficit ad conſequendam ſcientiam rerum diuinarum, quàm multa lectio, aſſidua meditatio, & diligens atque curioſa ſacrarum rerum ſcrutatio. Ergo quia nulli eſt impoſſibile diligere Deum, propterea nulli etiam interclusus eſt aditus ad iſtam Chriſti manifeſtationem, & ad percipiendam Dei ſapientiam. Rectè autem manifeſtatio Chriſti & rerum diuinarum tribuitur merito dilectionis & amoris Dei; hoc enim habet amor, ſi verus & ardens eſt, vt nihil ſuum amanti occultum & celatum eſſe patiatur. Quapropter Dominus dixit diſcipulis ſuis. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* *Ioan. 15.*

VIGESIMA OCTAVA DISPVTATIO.

De multiplici Chriſti manifeſtatione.

83. DVPLEX eſt Chriſti manifeſtatio; altera enim eſt corporalis, altera verò eſt ſpiritualis: & corporalis quidem altera facta eſt in humilitate ad redimendum hominem ab æterna morte, in priori eius in Mundum aduentu, altera verò corporalis manifeſtatio Chriſti fiet cum magna eius maieſtate in poſteriori eius aduentu ad iudicandum hominem: ſed de corporali manifeſtatione Chriſti: nec Chriſtus loquitur hoc loco, nec eſt nobis in præſentia dicendum. Spiritualis autem manifeſtatio Chriſti triplex eſt, & vna quidem imperfecta eſt, quæ ſcilicet fit per fidem tantùm, in his qui fidem

Chriſti habent ſine charitate. Altera ſpiritualis manifeſtatio Chriſti eſt perfectior, quæ fit in iis qui non modò credũt in Chriſtum, ſed etiam ipſum ex charitate diligunt, quibus pleniorẽ & ſuauiorem ſui Chriſtus & myſteriorũ ſuorum, cognitionem præbet. Tertia Chriſti manifeſtatio eſt perfectiſſima, quæ fit in beatis per clarã eſſentiæ ac diuinitatis eius manifeſtationem atque viſionem: & Chriſtus quidem hoc loco non de prima ſpirituali manifeſtatione, ſed de duplici poſteriori loquitur; nos verò ſecũdam tantùm ſpiritualem Chriſti manifeſtationem explicaturi ſumus.

Duplex modus manifeſtationis Chriſti, alter ſpeculatiuus, alter affectiuus.

Manifeſtat ſe Chriſtus iis qui eũ ſincerè & ardenter diligunt, duplici modo, & ſpeculatiuè & affectiuè. 83.

Speculatiua manifeſtatio Chriſti.

Speculatiua Chriſti manifeſtatio fit, cùm demõſtrat ipſe mentibus noſtris quanta in omnibus eius myſteriis, & dictis, & factis, atq; promiſſis ſapientia, potentia, & bonitas luceat; quanta ex illis permanet ad nos vtilitas, voluptas, & gloria. Aperit etiam pulcherrimas rationes & congruentias, propter quas maximè conueniẽs fuit ipſum incarnari, ſic naſci, & ſic inter homines viuere, ſic docere, ſic pati & mori. Per huiuſmodi quoque ſpeculatiuã manifeſtationem interdum pręmonſtrãtur homini quę multis poſt ſęculis futura sũt, nec vllo modo ratione humana prænoſci queunt, ſicut videre licet in ſanctis Prophetis Veteris Teſtamẽti.

Manifeſtatio Chriſti affectiua, quæ eſt ſeptuplex.

Altera Chriſti manifeſtatio & affectiua, quæ in animis ardenter eum diligẽtium varios excitat motus & 84. affectus; exempli cauſa, manifeſtatur illis quàm fuit Chriſtus miſericors & benignus erga hominem non ſolùm immerentem, ſed etiam peſſimè de ipſo meritum: hinc ſuſcitatur in hominis animo ſpiritus cõtritionis & lacrymarũ, vehementer dolentis quòd tantum Dominum ſuum tamq; benignum erga ſe toties

& tam

& tam grauiter offenderit. Deinde, manifeſtat homini ſuam Chriſtus patientiam & longanimitatē, quòd tandiu peccata eius diſſimulauerit, impunitatémque conceſſerit, expectans, & variis modis alliciens eum ad pœnitentiā, quin etiam in eo ipſo tempore quo in peccatis erat, multa ei tribuēs beneficia: & ex hac manifeſtatione ingens in homine Dei patiētiæ ac benignitatis exiſtit admiratio. Ad hęc, manifeſtat homini Chriſtus perpetuā erga eum beneficentiā ſuam, nam ex quo eum cōdidit vſque ad eam ipſam diem multis & magnis eum beneficiis cumulauit, nimirū ipſe nos ab vtero vſque matris noſtræ abit, regit & ſuſtentat. Hæc autē manifeſtatio vehementer animū incitat & incēdit ad gratias tāto benefactori aſſiduè agēdas, & vt perpetuò dignè gratus ei ſit, & addictus obſequio eius. Præterea, manifeſtat ſe Chriſtus diligētibus ipſū, demonſtrās quàm ſit ipſe pulcher & amabilis, & vſque quaque perfectus: quę manifeſtatio maiorē in modū incendit animū hominis ad eū laudandū & amandū, ſicut in cāticis canticorū ſponſa oſtēdit ſe vehemēter amoris ſpōſi ardere propter manifeſtatā ſibi inenarrabilē eius pulcritudinem. Docet etiā hominē, quemadmodum omnis actio ſua fuerit hominū inſtructio, & quòd ipſū in virtutibus, in moribus, in cōuerſatione, in actionibus, in paſſionibus, in factis, & dictis imitari debeamus: tāto enim ſanctorū quiſque perfectior eſt quanto eſt Chriſto ſimilior. His accedit, quòd Chriſtus inter alia quæ manifeſtat homini, eſt illud, quàm ſint incomprehenſibilia iudicia eius, cùm in aliis rebus, tum præcipuè in electione ac reprobatione hominum nō modò ſingulorum, ſed etiam gentium atque populorum: quo fit, vt ſancti ſeruiant Domino in timore, & exultent ei cum tremore, & vt cum

Cant. 5. *Pſal. 2.* *Philip. 2.*

metu & tremore operentur ſalutem ſuam.

Poſtremò, manifeſtat Chriſtus quanta ſint bona 85.
& gaudia quæ in cœlis præparauit ipſe timentibus &
1. Cor. 2. diligentibus ipſum, & præ illis quàm paruipenden-
Eſa. 64. da & pro nihilo habenda ſint omnia terrena bona.
Sanè, Dauid cùm quaſi primoribus tantùm labiis
prægustaſſet dulcedinem bonorum cœleſtium, tene-
re ſe non potuit quin admirabundus exclamaret,
Pſal. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam ab-
ſcondiſti timentibus te?* Ex qua manifeſtatione accidit
homini ingens faſtidium rerum terrenarum & bo-
norum temporalium, tædiúmque præſentis vitæ;
Contrà verò animus eius incenditur deſiderio viden-
dendi Chriſtum, & cœleſtibus, æterníſque bonis po-
tiundi. Huc ſupradictâ itaque ſeptuplici manifeſta-
tione Chriſti palàm fit, quantum bonum ſit, quantó-
que ſtudio à nobis expetendum, vt Chriſtus in præ-
ſenti etiam vita ſe nobis ſpiritualiter manifeſtet.

Super illis verbis:

VERS. 25. *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens;*
VERS. 26. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.*

VIGESIMANONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Paraclitus autem Spiritus ſanctus.

Cur tertia perſona Diuina nominetur Spiritus ſanctus.

CVR tertia perſona diuina nominetur Para- 86.
clitus, ſupra copioſè declaratum à nobis eſt,
nunc,

explicare oportet cur ea perſona appelletur Spiritus Sanctus; cùm nomen Spiritus æqualiter conueniat omnibus perſonis diuinis: Pater enim, & Spiritus eſt & ſanctus, & item Filius.

Sciendum eſt, quod latinè dicitur Spiritus, græcè appellari πνεῦμα, quæ vox ſignificat ventum ſpirantem & flantem; & quia ventus inter res corporeas minimè videtur corporeus; & quia eſt inuiſibilis, ideo transfertur hoc nomen ad res verè incorporeas, & dicitur de Deo & de Angelis & de anima, quæ ſic latinè dicta eſt, quaſi ἄνεμος, ideſt, ventus. Verùm qua ratione Spiritus dicitur à ſpirando, ea ratione ſpecialiter id nomen tribuitur tertiæ perſonæ diuinæ, quòd eo modo quodam ſpirationis procedat à Patre & Filio; procedit enim ab illis tamquam amor vtriuſque; amor autem velut ſpiratur. ſicut enim ſpiratione aër mouetur & impellitur aliò, ita amor inclinat & mouet voluntatem erga rem vel perſonam amatam: & hæc ſit prima ratio cur tertiæ perſonæ diuinæ approprietur nomen Spiritus. Secunda ratio: tertia perſona diuina nominatur Spiritus, quòd ei præcipuè tribuitur in ſacra ſcriptura mentes hominum afflare atque inſpirare, eáſque ad bene viuendum, benéque agendum mouere atque impellere; cuius rei illud perilluſtre eſt argumentum; quod in die Pentecoſtes in quo Spiritus ſanctus copioſiſſimè, modóque admirabili datus eſt Apoſtolis, datus eis fuerit cum ſono tanquam ſpiritus vehemētis replētis totam domū in qua erant Apoſtoli; & in exordio mundi adūbrata eſt vis eius, cùm ſcripſit Moſes, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, vel ſicut Hebræa ſonant, fouebat & viuificabat aquas; inſtar videlicet Gallinæ incubantis, & fœtu atq; calore ſuo viuificātis oua. *Gen.1.*

cedit à Filio qui os Domini appellatur in Scriptura. Sanè Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem dare volens diſcipulis Spiritum ſanctum, inſufflauit in eos, dicens, *Accipite Spiritum ſanctum.* Dauid etiam cecinit; *Verbo* *Ioann.*20. *Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus* *Pſalm.*32. *eorum.* Huius diuini Spiritus potentiam quodammo- *Gen.*7. do adumbrauit Spiritus ille qui aquas diluuij ſiccauit, *Exod.*14. & ille qui tranſitum Hebræis per mare rubrum præbuit, & qui oſſa mortua quæ in Spiritu vidit Ezechiel *Ezech.* 37. in vnum compoſuit atque compegit, & vita ſenſúque ac motu donauit; ille etiam Spiritus qui rapiebat prophetas ad percipiendas viſiones diuinas; & ille Spiritus qui rapuit Eliam in cœlum, & qui afflans men- 1.*Reg.*10. tem Eliſæi prophetam fecit, & qui in Saulem inua- *Reg.*2. *Ibid.* dens mutauit eum in alium virum, & prophetare fecit, & qui irruens in Samſonem tantum ei robur tri- *Iud.*14. buit, vt Leonem manibus ſuis dilaceraret, & vincu- *Ibid.*15. & la quibus tenebatur adſtrictus, maxima facilitate di- 16. rumperet. Diuinus itaque Spiritus cœleſti ſuo flatu duodecim Apoſtolos, tamquam duodecim fiſtulas organi eccleſiaſtici implens, tam magnum & ſuauem edere ſonum fecit, vt per omnem terrarum orbem exaudiretur, eiúſque vi ac ſuauitate capti hòmines vndique traherentur ad Chriſtum: plus enim Apoſtoli prædicatione ſua effecerunt atque præſtite- *Rom.*10. runt, quàm quod de Orpheo, & Amphiarao & Am- *Pſal.*18. phione mentiti ſunt Poetæ. Quemadmodum itaque flatu accenditur, amplificatur, breuíque longè ac latè diffunditur ignis vt multa citò corripiat atque incendat, ita per Spiritum ſanctum ignis caritatis in nobis accenditur, & ad alios etiam inflammandos diffunditur. Cur igitur tertia perſona diuina dicta ſit Spiritus ſanctus apparet ex his quæ dicta ſunt.

FFF 2

TRIGESIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.

Quid ſignificet, Spiritum ſanctũ mitti in nomine Chriſti, quatuor modis declaratur.

SPIRITVM ſanctum mittendum fuiſſe ad 90.
Apoſtolos in nomine Chriſti, quatuor modis poteſt intelligi. Primò, vt illud *in nomine meo*, idem ſignificet atque loco meo & mei vice, vt quod ego præſens vobis præſtabam, id me abſente præſtet ille vobis copioſè ac luculentè. Deinde, *in nomine meo* ſignificare poteſt idem atque, in gratiam meam; nam ego rogabo Patrem vt mittat vobis hunc Spiritum, & Pater in meam gratiam, ſiue vt mihi gratificetur, mittet illum. Ad hæc, illud *in nomine meo* ſignificare poteſt, ad manifeſtandum per totum orbem terrarum & glorificandum nomen meum; nam ipſe Dominus de hoc Spiritu infra dicet, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Poteſt denique illud *in nomine meo* inſinuare originem & proceſſionem Spiritus ſancti à Patre per filium; procedit enim Spiritus ſanctus à Patre per Filium, ſiue quod idem eſt, à Patre & Filio, tamquam vnico ſuæ productionis principio.

Ioan. 16.

Sed perpendamus illa verba. *Ille vos docebit omnia,* 91.
& ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Licet Chriſtus omnia quæ à Patre acceperat denuntianda & notificanda Apoſtolis, iam eis denuntiauerat & manifeſtauerat, ſicut ipſe dixit eis. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis,* erant tamen alia permulta

Ioan. 15.

multa eis manifeſtanda; quorum ipſi eo tempore idonei auditores non erant, futuri autem erant idonei ad ea percipienda poſt datum ipſis Spiritum ſanctum. *Multa habeo* (dixit eis Dominus) *vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò, cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* *Ioan.16.* Quin etiam illa ipſa quæ à Domino cùm in terris fuit audierant Apoſtoli, partim non intellexerant, partim obliti fuerant: ſignificat itaque his verbis Dominus miſſum iri ad eos Spiritum ſanctum, qui & quæ non audierant, doceret eos, & quæ audierant, ſed non intellexerant, vel obliti fuerant, declararet eis & in memoriam reduceret. Illud enim *ſuggeret* gręcè eſt, ὑπομνήσει, id eſt commonefaciet, & in memoriam reuocabit: illud autem *dixero vobis*, græcè eſt præteritum, εἶπον, id eſt, dixi.

TRIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

Quo modo intelligendum ſit, Spiritum ſanctum docuiſſe Apoſtolos omnia, & quas res docuerit eos, & quibus modis docuerit.

92. NON docuit Spiritus ſanctus Apoſtolos omnia, ſimpliciter & abſolutè loquendo: non enim docuit eos omnes ſcientias ſpeculatiuas, neque omnes artes tam liberales quàm mechanicas: ſed docuit eos omnia quæ pertinebant ad do-

ctrinam Fidei, & quæ conferebant ad Eccleſiæ Chriſti fundationem, inſtructionem, amplificationem, defenſionem, atque conſeruationem; & quæ ad Spiritualem hominum, æternámque ſalutem procurandam & comparandam conducebant. Quæ autem docet Spiritus ſanctus ea omnia ſunt vera, ſunt vtilia, ſunt etiam magna in parte ſupernaturalia. Nec ſolùm Spiritus ſanctus docet hominis mentem ad intelligendum, ſed voluntatem quoque incendit ad amandum, & virtutem, robúrque animi præſtat ad exequendum & perficiendum quod fieri oportet. Hic diuinus Spiritus docuit Apoſtolos nouas condere ſcripturas ſine vllo errore, qui vel ex ignoratione vel ex incogitantia & incuria, vel ex obliuione poſſet accidere. Hic Spiritus docuit eos iam condi[illegible] veteris Teſtamenti ſcripturas, ſicut oportebat, intelligere atque interpretari. Hic docuit Euangelium Mundo vtiliter & efficaciter prædicare, & ſupernaturalia fidei myſteria omnium gentium hominibus perſuadere, & doctrinam Chriſti aduerſus omnes eius oppugnatores fortiter defendere. Hic docuit eos Eccleſias vbicumque terrarum fundare, erudire, gubernare, & ſalutaria eis præcepta, inſtituta, & documenta vel ſcripto vel traditione relinquere.

Quas res Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt, quæ nõ ſunt in ſacris ſcripturis expreſſa.

Enim verò Apoſtoli Spiritus ſancti magiſterio do- 93.
cti & inſtinctu eius incitati, multa Eccleſiæ tradide-
runt quæ non ſunt expreſsè in ſacris litteris & libris
prodita. huius generis fuerunt, Quatuor ordines mi-
nores, obſeruantia ieiunii quadrageſimalis, Ieiunium
quatuor temporum, ſymbolum Fidei, Baptiſma par-
uulorum, Conſecratio Virginum, Profeſſio monaſti-
cæ vitæ, Acceſſio hominum in Templis, Venera-
tio imaginum, Sanctorum inuocatio, Perpetua Dei-
paræ

paræ Mariæ virginitas, Mutatio Sabbati in diem Dominicum, & quæ Sacramenta non ſint iteranda: docuit etiam Poteſtatem eſſe in Eccleſia, cùm opus eſt, diſſoluendi vota, remittendi iuramenta, & matrimonia non conſummata dirimendi, & Indulgentias fidelibus impartiendi.

94. Omnia porro quæ dicta ſunt, Spiritus S. docuit Apoſtolos ſine humano magiſterio, ſine vlla inflatione, & elatione animi, quia licet ſcientia inflet, caritas *1.Cor.8.* tamen, quæ diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum ædificat. Docuit etiam illos ſine vllo eorum labore, & ſine mora temporis, nam vt ait Am- *Rom.5.* broſius, neſcit tarda molimina, Spiritus ſancti gratia. *Ambroſ. lib.1.in Lucam.* Quo factum eſt, vt Apoſtoli ſtatim vt repleti ſunt Spiritu ſancto, loqui cœperint variis linguis magnalia Dei: quod bene perpendens Beatus Leo in ſerm.1.de *Act.2.* Feſto Pentecoſte, O quàm velox, inquit, eſt ſermo ſapientiæ, & vbi Deus magiſter eſt, quam citò diſcitur quod docetur! Non eſt adhibita interpretatio ad audiendum, non conſuetudo ad vſum, non tempus ad ſtudium: ſed ſpirante vbi voluit Spiritu veritatis, propriè ſingularum gentium voces factæ ſunt in Eccleſiæ ore communes. Sanctus quoque Gregorius *S.Greg.* in homilia trigeſima in Euangelia hæc ipſa Domini verba, in quorum nunc explicatione verſamur, tractans, affirmat Spiritum ſanctum non ſolùm docere omnia quæ per ſe docet ipſe homines ſine hominum miniſterio, ſed eorum etiam principalem eſſe doctorem quæ per homines docentur; ſic autem ſcribit: Niſi Spiritus ſanctus cordi adſit audientis ocioſus eſt ſermo doctoris. Nemo igitur docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit; quia niſi intus ſit qui doceat, doctoris lingua exterius in

vacuum laborat. Ecce vnam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen omnes pariter ſenſũ auditę vocis percipitis: cùm ergo vox diſpar non ſit, cur in cordibus veſtris diſpar eſt eiuſdem vocis intelligentia, niſi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, eſt magiſter interior, qui de vocis intelligentia quoſdam ſpecialiter docet? Sic ille.

TRIGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat ego do vobis.*

HAc etiam ratione, præter quinque alias ſupra 95. expoſitas, Dominus mœſtos de ſuo diſceſſu Apoſtolos conſolatur; ait enim ſe pacem eis ſuã relinquere & dare, eſt enim dulce nomen pacis, & dulciſſima eius poſſeſſio, præſertim autem ſi vera ſit & diuturna pax, quanto magis ſi fuerit æterna? Aptiſſimè verò Dominus poſt Spiritus ſancti promiſſionem dedit promiſſionem ſuæ pacis, hæc enim Spiritus ſancti præſentiam conſequitur, & Paulus inter pri- *Ad Gal. 5.* mos & principales fructus Spiritus ſancti numerat pacem. *Fructus*, inquit, *Spiritus eſt, Charitas, Gaudium, Pax &c.* Eſt itaque horum verborum hæc ſententia: Etſi à vobis breui diſceſſurus ſum, relinquo tamen vobis pacem meam, per quam fiet, vt vos etiam in maximis mundi aduerſitatibus, hominúmque perſequutionibus placida mente, tranquillóque animo conſiſtatis.

Triplex interpretatio illorum verborum, Non quomodo mundus dat, ego do vobis.

Euthym.

96. Illorum autem verborum, *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*, triplex apud huius Euangelij explanatores reperitur interpretatio. Euthymius putat nõ comparari his verbis pacem Chriſti cum pacę mundi, ſed comparari qualitatem doni Chriſti cum qualitate donorum mundi. mundus enim corporales diuitias & honores atque voluptates dare poteſt, veram autem pacem, quam conſequitur quies animi, & tranquillitas conſcientiæ, & ſincerum mentis gaudium largiri non poteſt. At Chriſtus dat veram pacem, omnibus illis mundi donis & bonis longè optabiliorem atque præſtabiliorem. Caietanus verò exiſtimat, his Domini verbis ſignificari differentiam pacis Chriſti & mundi, non quidem ſecundum qualitatem vtriuſque pacis, ſed ſecundum modum quo Chriſtus & mundus dât pacem ſuâ hominibus. Differentia verò modi quo pax datur à Chriſto & à mundo, in eo eſt, quòd mundus dat pacem hominibus ita vt ſine vlla moleſtia & perturbatione bonis temporalibus perfruantur. Chriſtus autem ita dat pacem hominibus, vt illi per gratiam reconciliati Deo, & tranquillitatem conſcientiæ, animíque quietem adepti contemnant bona temporalia, & malis & aduerſis quæ contingunt eis, quin etiam ipſa morte lætentur. Adde quòd mundus non poteſt dare pacem hominibus perpetuam, ſemperque manſuram, niſi optando & precando: Chriſtus verò pacem ſuam efficit in animis noſtris, eámque perpetuò & in æternum conſeruare poteſt.

Caietan.

Tertia interpretatio, quæ probatur autori.

97. Sed planior eſt, ob idque probabilior interpretatio eorum qui arbitrantur, his Chriſti verbis deſignari differentiam pacis Chriſti & pacis mundi; hæc autem multiplex eſt differentia. Primò, pax mundi ſæpe

Quintuplex differentia pacis Chriſti, & pacis mundi.

non eſt vera, ſed adumbrata tantùm, & ſimulata, inani nomine ac ſpecie pacis fallens: pax verò Chriſti eſt vera, ſincera, expreſſa, & ſolida. Deinde; pax mundi tantùm eſſe poteſt corporalis & externa, pax Chriſti potiſſimum eſt interna & ſpiritualis. Tum, pax mundi eſt breuis, & in ea ipſa breuitate volubilis atque inſtabilis; pax Chriſti, quantum in ipſa eſt, æterna eſt atque immutabilis. Ad hæc, per mundi pacem pacificantur homines inter ſe ſecundum externā quandam & corporalem pacificationem; per Chriſti pacem pacificantur homines cum Deo, & in ipſis hominibus pacificantur inordinati affectus & motus animi, vt rectæ rationi non ſint rebelles, ſed eius imperio ſubiecti. Denique pax mundi plerumque cum vitijs & ſceleribus hominum coniuncta eſt; pax Chriſti omnia vitia excludit, & ex hominum animis exterminat. Præclarum itaque, maximéque hominibus optādum eſt munus hoc pacis, quam Chriſtus ex hoc mundo abiturus, atque moriturus quaſi teſtamento legauit Apoſtolis ſuis. Hæc porrò Chriſti pax inchoatè tantùm & imperfectè habetur in hac vita, propter perpetuam carnis aduerſus ſpiritum rebellionem, de qua diſputat Paulus in Epiſtola ad Romanos, & in ea quam ſcripſit ad Galatas: inter homines quoque etiam iuſtiſſimos & ſanctiſſimos, dum in mortali hoc corpore vitam degunt ſæpe voluntatum & ſententiarum eſt diſcordia, vt duorum Apoſtolorum Pauli & Barnabæ exemplo manifeſtum eſt. Actorum decimoquinto capite. His rebus & alijs quæ perfectioni pacis in hac vita obſtare poſſunt, quia nullus in altera vita locus erit, propterea ibi pleniſſima & ſecuriſſima & nunquam deſitura pace gaudebunt beati. Gregorius certè in homilia trigeſima in Euan

Ad Rom. 7. Ad Galat. 5.

Gregor.

Euangelia illud *Pacem relinquo vobis*, refert ad pacem quæ in hac vita haberi poteſt, illud verò *Pacem meam do vobis*, refert ad pacem quæ in illa fælici & æterna vita perfectiſſimè habetur à beatis.

TRIGESIMATERTIA DISPVTATIO.

Explicatur diſtinctè qualis ſit pax Chriſti, & qualis ſit pax mundi.

98. QVONIAM Dominus hiſce verbis ſuis ſignificauit duplicem eſſe pacem, alteram quidem ſuam, quæ eſt vera & bona pax, alteram verò mundi, quæ nec vera eſt nec bona pax; de vtraque pace paulò diſtinctiùs & latiùs hoc loco diſſerendum eſt. Pax Chriſti tria bona præſtat homini: primò quidem reconciliationem & pacificationem hominis cum Deo, ſublato nimirum peccato quod hominem facit inimicum Dei & obnoxium eius vindictæ, & donatâ gratiâ per quam fit homo gratus Deo & amicus eius. Deinde, pax Chriſti præſtat homini tranquillitatem animi, & quietem, atque ſecuritatem conſcientiæ, omniúmque interiorum animi affectuũ & motuum pacationem & moderationem; hoc autem oritur ex remiſſione peccatorum, & offenſæ Dei remotione, & reſtitutione hominis in gratiam & amicitiam Dei. Poſtremò, pax Chriſti facit conſenſionem hominum & concordiam inter ſe, idque ex duobus prioribus bonis exiſtit: non enim vllius hominis inimicus eſſe poteſt, qui verus eſt amicus Dei, ſimultates verò & inimicitiæ inter homines non aliunde naſcũtur, quàm ex interiori perturbatione animi, & inordi-

Tres effectus quæ sũt tria magna hominũ bona, pacis Christi.

nato ſui amore immodicíſque cupiditatibus, hoc au-
Iac.cap.4. tem confirmat Iacobus Apoſtolus ſuis illis verbis:
Vnde bella & lites in vobis? non-ne ex concupiſcentijs veſtris
Amplum & luculẽtũ pacis Chriſti encomium. *quæ militant in membris veſtris?* Ergo pax Chriſti conti-
net pacem hominis cum Deo,& pacem hominis in ſe
ipſo, & pacem hominis cum aliis hominibus. Et hu-
iuſmodi quidem pacem ſolet Paulus in exordio ſua-
rum epiſtolarum præfari & precari,ſed præmiſſa gra-
tia, ex qua nempe vera hæc pax oritur. Hanc pacem
Iſaiæ 9. prænuntiarunt prophetæ,apud Iſaiam enim inter alia
Pſalm.71. nomina Meſſiæ ponitur hoc, *Princeps pacis*, & Dauid
cecinit de Chriſto,*Orietur in diebus eius iuſtitia,& abun-*
dantia pacis donec auferatur luna. In natiuitate etiam
Luc.2. Chriſti Angeli cecinerunt. *Gloria in excelſis Deo, & in*
terra pax hominibus bonæ voluntatis. Inſignis quoque
laus eſt quam tribuit Dominus paci,quam inter octo
Beatitudines commemorans dixit,*Beati pacifici,quoniã*
Matth.5. *filij Dei vocabuntur.* Hanc pacem Dominus iuſſit Apo-
ſtolos annunciare.*In quamcumque*(inquit)*domum intra-*
Matth.10. *ueritis,dicite,pax huic domui.Ipſe Chriſtus,*(vt dixit Paulus)
eſt pax noſtra,qui fecit vtraque vnũ,& euangelizauit pacem
Ad Eph.2. *iis qui longè fuerant, & pacẽ iis,qui propè.* Et Dominus no-
ſter diſceſſurus ex hac vita,teſtamenti vice pacem re-
liquit ſuis diſcipulis dicens eis,*Pacem relinquo vobis,pa-*
Ioann.14. *cem meam do vobis.* Et ſicut finito diluuio columba re-
Geneſis 8. uerſa eſt ad Arcam Noe ferẽs ore ramum oleæ viren-
tem, ita Chriſtus finito ſuæ paſſionis tempore à mor-
tuis reſurgens primò pacem obtulit Apoſtolis dicens,
Ioann.20. *Pax vobis.* Beatus Paulus declarans quid ſit Regnum
Ad Rom.14. Dei,dixit,eſſe iuſtitiam,& pacem, & gaudium in Spi-
Philipp.ca. vltimo. ritu ſancto: & ſcripſit ad Philippenſes pacem hanc
eſſe humano ſenſu inæſtimabilem.*Et Pax*,inquit,*Dei*
quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & in-
telli

telligentias veſtras in Chriſto Ieſu. Et quid obſecro fuit aliud Apoſtolorum per omnem terrarum orbẽ prædicatio,quam huius diuinæ pacis annuntiatio? ad eos namque refert Paulus illud vaticiniũ Iſaiæ. *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* *Ad Rom. 10. Iſaiæ 52.*
Cæleſtis ciuitas in ſacra ſcriptura appellatur Hieruſalem,quod nomen viſionem pacis ſignificat, quòd ciues eius ciuitatis pleniſſima & ſempiterna pace fruantur.Hac de re ſcripſit copioſè Auguſtinus in lib.19. de Ciuit.Dei cap.11.Ac licet Dauid vir eſſet ſanctus & ſecundum cor Dei,quia tamen vir fuerat bellicoſus, & effuſor ſanguinis,noluit ab eo Deus ædificari templũ, ſed à Salomone qui fuit Rex pacificus. Huc denique pertinet pulcherrimum illud vaticinium Iſaiæ. *Erit opus iuſtitiæ pax,& cultus iuſtitiæ, ſilentium, & ſecuritas in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ,& in requie opulenta.* & hæc quidem ſuper Chriſti pace quæ veriſſima & vtiliſſima pax eſt, curſim à nobis diſputata ſint; ſequitur vt pacem mundi ſuis depictam coloribus ſpectemus. *Auguſt. 1.Reg.13. Act.13. 2.Reg.7.& alibi. Iſaiæ 32.*

99. Pax,quam mundus dat homini,eſt breuis,& inſtabilis,& vana, & doloſa, & fallax,quã diuina ſcriptura multifariam damnat & execratur. De hac .n.Chriſtus dixit,*Non veni pacem mittere, ſed gladium*, & hoc loco dixit Apoſtolis:*Pacem meam do vobis;non quomodo mundus dat,ego do vobis.Impij*,vt ait Iſaias, *quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt,& redundant fluctus eius in conculcationem & lutum: non eſt pax impijs, dicit Dominus Deus.* Et Paulus. *Cum*, inquit, *dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Scitum profectò eſt illud quod ſcriptum eſt de impijs in lib. Sap. cap. 14. *In magno viuentes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.* Noluit Deus Hebræos inire *Quales ſint proprietates & effectus pacis mundi. Matth.10. Ioann.14. Iſaiæ 57. 1.Theſſ.5.*

fœdus,& pacem habere cum ſeptē illis gentibus Chananæorum, quarum terræ poſſeſſionem eis promiſerat. *Si nolueritis*, inquit, *interficere habitatores terræ, qui remanſerint, erunt vobis tanquam claui in oculis & lanceæ in lateribus* : ita Chriſtus non vult nos pacem habere cum ſeptem vitijs capitalibus, ſed perpetuum cum eis bellum gerere, eaque penitus ex animis noſtris exterminare; nempe, ne contingat nobis quod Regi Saul contigit, qui Agag Regi Amalec quem debellauerat, contra Dei præceptum, parcens, & opimam eius prædam reſeruans, & gratiam Dei, & Regnum perdidit. Pax mundi doloſa & fallax eſt, qualis nimirum erat pax quam ſimulabat Ioab erga Abner, & Amaſam, quos interficere volebat, & Tryphon erga Ionatham, & Ptolemæus erga Simonem, denique Iudas erga Chriſtum.

Num.33.

Lib.1. Reg. cap.15.

2.Reg.3.& 20. 1. Machab.13. 1. Machab.16.

TRIGESIMA QVARTA DISPVTATIO.

Ad maiorem eorum quæ de pace Chriſti dicta ſunt explicationem, referuntur aliquot pulcherrimæ SS. Patrum ſententiæ.

B.Dionyſius.

BEATVS Dionyſius Areopagita in lib. de diuinis nominibus cap. 11. multis verbis vtitur ad demonſtrandum, tantum eſſe pacis bonū, & tam late patens, vt omnia quæ à Deo condita ſunt pacem ament, pace conſtent, & pace ſubſiſtant, ſine pace intereant. Sanctus Ambroſius in libro de Iacob Patriar- 100.

B. Ambroſius.

Patriarcha,& de vita beata cap.6.ita ſcribit: Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem & ſtabilitatem, ideo Dominus donum eius perfectioribus reſeruauit dicens.*Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Perfectorum enim eſt non facilè mundanis moueri, non turbari motu,non exagitari ſuſpicione , non terrore concuti,non dolore vexari,ſed quaſi in littore tutiſſimo aduerſum inſurgentes fluctus ſæculariũ procellarũ mentem immobilem , fida ſtatione ſeruare. Hoc firmamẽtum Chriſtianis mentibus Chriſtus inuexit, pacem internam inuehens animis probatorum,vt nõ turbetur cor noſtrum , neque exagitetur animus. Hanc pacem ſuper omnem mentem eſſe Apoſtolus doctor aſſeruit dicens: *Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum,cuſtodiat corda veſtra & ſenſus in Chriſto Ieſu.* Fructus itaque pacis eſt non perturbari in pectore. Denique vita iuſti quieta eſt, iniuſtus autem inquietudinis & perturbationis plenus eſt. Itaque ampliùs ſuis ſuſpicionibus affligitur animus eius,quàm alienis pleriſque verberibus , maioréſque vibices vulnerum in eius animo ſunt, quàm in eorum corpore qui ab aliis verberantur.Grande eſt, aliquem intra ſe tranquillum eſſe,& ſibi conuenire. Foris pax aut Imperatoris ſolicitâ prouidentiâ,aut manu militum quæritur, aut bellorum proſpero cedit euentu,aut internecione aliqua barbarorum , ſi in ſe hoſtili motu arma conuertant. In ea pace , nulla noſtra virtus , ſed euentus eſt, certè gloria pacis illius ad Imperatorẽ refertur;huius autem pacis fructus in nobis eſt,quæ eſt in mẽtibus ſingulorũ quæ tenetur affectibus. Huius pacis maior eſt fructus quo ſpiritalis nequitiæ tentamẽta,quàm quo arma hoſtilia repelluntur. Hæc pax ſublimior , quæ corporalium voluptatum excludit illecebras, pertur-

*Ioan.*14.

*Philip.*4.

Digitized by Google

bationeſque mitigat, quàm ea quæ barbaricos ſedat incurſus: Plus eſt enim clauſo intra te hoſti reſiſtere, quàm remoto. Hactenus Ambroſius.

Auguſt. Encomium pacis. Egregium profectò eſt pacis encomium quod 101. ſcripſit B. Auguſtinus in lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 11. & 12. his fermè verbis: Tantum eſt pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil ſoleat gratius audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil denique poſſit melius inueniri. Sicut nemo eſt qui gaudere nolit, ita nemo eſt qui pacem habere nolit. Nam etiã qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt; ad glorioſam ergo pacem bellando cupiunt peruenire: quid enim aliud eſt victoria, niſi ſubiectio repugnantiũ? quod cùm factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur, & bella etiam ab iis qui virtutem bellicam ſtudent exercere imperando atque pugnando; vnde pacem conſtat belli eſſe optabilem finem: omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum, pacificando. Illi etenim qui pacem in qua ſunt perturbari volunt, non pacem oderunt, ſed eam pro arbitrio ſuo cupiunt commutari; non enim vt ſit pax nolunt, ſed vt ea ſit quam volunt. Denique, etſi per ſeditionem ſe ab aliis ſeparauerint, cum eis ipſis conſpiratis atque coniuratis, niſi qualemcumque pacis ſpeciem teneant, non efficiunt quod intendunt. Quocirca latrones ipſi vt vehementiùs, & tutiùs ceterorum paci ſint infeſti, pacem volũt ſuorũ habere ſociorum. Ipſæ etiam feræ genus proprium quadam pace cuſtodiunt coeundo, gignendo, pariendo, & fœtus ſuos fouendo, atque enutriendo. Quæ enim tigris non filiis ſuis mitis immurmurat, & pacata feritate blanditur? Quis miluus, quantumlibet ſolitarius rapinis circumuolet

non coniugium copulat, nidum congerit, oua confo-
uet, pullos alit; & quaſi cum ſua matrefamilias ſocie-
tatem domeſticam quanta poteſt pace conſeruat? O-
dit ſanè ſuperbus & impius iuſtam pacē Dei, & amat
iniquam pacem ſuam, non amare tamen qualem-
cumque pacem, nullo modo poteſt: nullum quippe
vitium ita contra naturam eſt, vt naturæ deleat etiam
extrema veſtigia. Hactenus Auguſtinus.

102. Idem Auguſtinus in ſerm. quinquageſimoſeptimo *Auguſt.*
de Verbis Domini ſuper multiplici pacis bono breuſ-
ter hunc in modum diſputat: Eſt pax ſerenitas mentis, *Vera pax*
trãquillitas animi, ſimplicitas cordis, amoris vinculũ, *quid ſit, &*
conſortium charitatis. Hæc eſt quæ ſimultates tollit, *quos ha-*
bella compeſcit, comprimit iras, ſuperbos calcat, hu- *beat effe-*
miles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cun- *ctus.*
ctis eſt placita. Non quærit alienum, nihil deputat
ſuũ, docet amare quæ odiſſe non nouit, neſcit extolli,
neſcit inflari. Hanc ergo qui accepit teneat, qui perdi-
dit repetat, qui amiſit exquirat: quoniã qui in ea non
fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæreditatur à Fi-
lio, & nihilominus à Spiritu Sancto alienus efficitur.
Hæc Auguſtinus.

103. Non eſt hoc loco prætermittenda Beati Leonis *S. Leo.*
de præſtantia huius pacis ſententia, quæ ab eo in
Sermone 6. de Natiuitate Domini his verbis ſcripta
eſt, Pax quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis, gene- *Vera pax*
trix vnitatis, requies beatorum, æternitatis habitacu- *quantum*
lum; cuius opus proprium & ſpeciale beneficium eſt, *ſit bonum.*
vt iungat Deo quos ſecernit è mũdo. Ad hoc bonum *Locus ad*
nos incitat Apoſtolus dicens: *Iuſtificati ex fide, pacem ha-* *Rom. 5.*
beamus ad Deum. cuius ſententiæ breuitate, omnium *Quid ſit,*
fere mandatorum Dei continetur effectus, quia vbi *habere pa-*
fuerit veritas pacis, nihil ibi poterit deeſſe virtutis. *cem ad*
Deum.

HHH

Quid eſt autem pacem habere ad Deum, niſi velle quod iubet, & nolle quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos & ſimiles expetunt voluntates, nec vnquam diuerſitas morum ad firmam poteſt venire concordiam, quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent quæ Deo diſplicent, & his appetit delectari quibus illum nouit offendi? Sic B. Leo.

Superioribus de pace ſententijs conſimilis eſt ſen- 104
Bernardus tentia quam habet S. Bernardus in libro de diuerſis moralibus ſententijs, explanans verba illa quæ ſunt in
Triplex pax. pſalmo 65. *Factus eſt in pace locus eius.* Triplex, inquit, pax eſt, ficta, vt in Iuda, inordinata, vt in Adā & Eua,
Matth. 26. denique vera de qua Chriſtus, *Pacem meam do vobis.*
Gen. 30. Hæc eſt in qua Dominus requieſcit, hanc quidam re-
Matth. 13. cipiunt, ſed non retinent tempore tribulationis, alij conſeruant, alij pacem faciunt cum alijs: primi dicūtur pacati, ſecundi dicuntur patientes, tertij pacifici, qui non tantùm cum alijs pacem faciunt, ſed etiam cum his qui pacem oppugnant, quantum in ipſis eſt,
1. Petri 2. pacem conſeruant. Iſti ſunt lapides viui ex quibus templum Dei conſtruitur, lapides, inquam, quadrati ſuperiùs, inferiùs, à dextris, & à ſiniſtris: ſuperiùs, quia diuinæ voluntati ſuam humiliter & prudenter ſubdunt: inferiùs, quia carnem Spiritui ſubiectam temperanter regunt: à dextris, quia bonos iuſtè amplectuntur: à ſiniſtris, quia malos fortiter tolerant. Hæc Bernardus.

***

TRI

TRIGESIMAQVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt. VER. 28.

Quomodo intelligendum ſit illud.

Pater maior me eſt, declaratur ſecundum tres SS. Patrum interpretationes.

105. ISTA Domini verba hanc videntur habere ſententiam. Si ex animo, veréque diligeretis me, non tantopere ob meum à vobis diſceſſum mœrere ac dolere deberetis; quin etiam gaudere vos, mihique gratulari oportebat, quod qui nunc in terris viuo humilis & inglorius, proficiſcar in cælum ad Patrem meum, qui cùm ſit maior quàm ego ſum, maximo ſum ab eo & honore & gloria decorandus, poteſtatéque donandus. Sed illa verba, *Pater maior me eſt*, arripuerunt Arriani putantes in iſtis verbis, validiſſimum eſſe firmamentum ſuæ ſententiæ, qua Chriſtum non eſſe Deo Patri conſubſtantialem, ob idque neque æqualem ei, nec verum Deum eſſe arbitrabantur: hoc enim aiebant euidentiſſimè oſtendi & probari iſtis Domini verbis, *Quia Pater maior me eſt.* Quapropter ſancti Patres qui cum Arrianis diſſerendo vel ſcribendo decertarunt, hoc eorum telum quod in ſpeciem fortiſſimum videbatur, varijs modis repellere ac perfringere conati ſunt.

106. Et porrò iſtorum Domini verborum, *Pater maior me eſt*, triplex eſt apud Patres interpretatio. Prima interpretatio eſt, complurium & imprimis grauiũ Græ-

Digitized by Google

Quomodo Græci Patres intellexerint, Patrem dici maiorem Christo etiã quà ipſe Deus eſt.

corum Patrum,& quorundam etiam Latinorum,qui cenſent,Patrem eſſe dictum maiorem Chriſto, etiam ea ratione qua Chriſtus Deus eſt, non ſanè maiorem eo ſecundum vllam perfectionem, ſed maiorem tantùm authoritate originis vel principij, quia Chriſtus, quidquid eſt à Patre eſt ; Pater autem non eſt à Chriſto;nihil enim accepit ab eo,ſed omnia quæ habet in ſe,habet à ſe;Chriſtus verò omnia quæ habet,à Patre habet. Hac profectò ratione illa Domini verba interpretatus eſt Damaſcenus in libro primo de fide Orthodoxa cap.9.ita ſcribẽs, Si dicimus Patrem principium eſſe Filij, & maiorem eo, non priorem ipſum Filio aut tempore,aut natura oſtendimus ; per ipſum enim fecit & ſæcula;neque ſecundum aliud quodcũque,niſi ſecundum cauſam,hoc eſt,quia Filius ex Patre genitus eſt,non autem Pater ex Filio,& quia Pater naturaliter eſt cauſa Filij , non autem Filius eſt cauſa Patris; quemadmodum non ex luce ignem proficiſci dicere ſolemus,verùm magis ex igne lucem : quando igitur audimus , Patrem eſſe principium Filij , & maiorem eo,cauſam intelligamus.Hęc Damaſcenus.Sed multò antè Damaſcenum , idem Gregorius Nazianzenus ſcriptum reliquerat in lib. 3. & 4.de Theologia his fermè verbis:Pater dicitur maior Filio non ſecundum naturam , ſed ſecundum cauſam, quia nimirum Pater eſt cauſa Filij. Nec placet hoc referri ad aſſumptæ carnis humilitatem; nam vt ita verum ſit Patrem eſſe maiorem Filio, quid tamen magnum aut mirum eſt Deum eſſe maiorem homine , qui etiam ipſis Angelis minor eſt?Hæc Nazianzenus:ad cuius ſententiæ cõfirmationem illud poſſet adijci,comparationem, ſi ritè fiat , non inter ea quæ diuerſæ ſunt naturæ, ſed quæ ſunt eiuſdem fieri oportere,non enim homo dicitur

Damaſ.

Heb.1.

Nazianz.

Græci Patres dicentes Patrem cauſam eſſe Filij,nomen cauſæ pro eodem acceperunt, atque Latini Patres & Theologi nomen Principij.

citur maior piſce, ſed homine; & equus non cane, ſed equo; ſic Deus Pater maior dicitur Chriſto non vt eſt homo, ſed vt eſt Deus & filius Dei.

107 Sanctus Baſilius ſuper eadem interpretatione ac ſententia hunc in modum diſputat in primo libro contra Eunomium, Maius aliquid dicitur alio vel magnitudine, vel tempore, vel potentia, vel dignitate, vel cauſæ authoritate: cùm autem Filius non ſit minor Patre quatuor primis modis, reliquũ eſt Patrem dici maiorem Filio iuxta cauſæ authoritatem. Nam quoniam à Patre principium eſt Filio, iuxta hoc maior eſt Pater velut cauſa & principium. Quapropter & Dominus ſic dixit, *Pater maior me eſt*, eò videlicet quia Pater eſt; Patris autem vox, quid aliud ſignificat quàm cauſam eius qui ex ipſo genitus eſt? Hæc Baſilius. Quòd autem Pater non dicatur maior Chriſto ſecundum aliquam perfectionem vel dignitatem, manifeſtè docet Sacra Scriptura. Non enim intelligi poteſt Patrem maiorem eſſe Chriſto tempore, cùm Paulus dicat per ipſum facta eſſe ſæcula. Non potentia, quia data ipſi eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, & quæcumque Pater facit, ea ſimiliter & ipſe facit. Non ſapientia, cum ſit ipſe ſapientia Dei, & in eo ſint omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ. Non diuitiis, cùm ipſe dicat *Omnia tradita ſibi eſſe à Patre*, Et omnia quæ Pater habet, ipſius eſſe. Non dignitate, cùm omnes ſicut honorificant Patrem, ita Filium honorificare debeant. Relinquitur itaque propterea Patrem dici maiorem Filio, quia eſt principium Filij, & omnia quæ habet Filius, habet à Patre.

Baſilius.

Quot modis vnũ dici poſſit maius alio.

Ad Hebr. 9. Matth. vlt. *Ioan. 5.* 1. *Cor.* 1. *Ad Coloſ.* 2 *Matt.* 11. *Ioannis* 17. *Ioann.* 5.

108. Nec ſolùm Græcis Patribus ſupradicta interpretatio placuit, ſed nonnullis etiam Latinis, Hylarius certè in libr. 9. de Trinitate hæc habet verba, Maior eſt

Pater donantis authoritate, ſed non minor eſt Filius cui vnum & idem eſſe donatur, & cui tantùm Pater donat eſſe quantus ipſe eſt. Maior eſt Pater, dum Pater eſt, ſed non minor eſt Filius, dum Filius eſt, quia natiuitas Filij Patrem conſtituit maiorem, ſed minorem Filium eſſe, natiuitatis natura non patitur. Hæc Hylarius. Eandem interpretationem ponit Auguſtinus in lib. de fide & ſymbolo cap. 9. cuius verba referemus infra in explicatione tertiæ interpretationis. Hanc interpretationem tot, tātorúmque Patrum quos ego maximè colo & veneror, equidem improbare non audeo, nedum contemnere: non diſſimulabo tamen eam mihi non explere animum neque vſquequaque ſatisfacere. Enim verò, licet Pater ratione originis & principij dici queat prior Filio, maior tamen eo, ſi propriè loqui velimus, non videtur dici poſſe. Nempe, magnum & maius, ſi germana & vſitata earum vocum notio penſitetur, propriè ſignificant quantitatem, quantitatem dico vel molis, vel virtutis & perfectionis, non autem denotant prioritatem originis vel principij authoritatem. Quòd autem Chriſtus iſtis verbis non obſcurè ſignificauerit Patrem eſſe maiorem ipſo: non qua Deus ipſe erat, ſed qua homo, paulò infrà oſtendemus.

Auguſtin.

* * *

TRIGE

TRIGESIMASEXTA DISPVTATIO.

Exponuntur duæ aliorum Patrum interpretationes eorumdem illorum Domini verborum, Pater maior me eſt.

109 ALTERA iſtorum Domini verborum interpretatio eſt Chryſoſtomi & Theophylacti, & Euthymij ſuper hoc ipſo Ioannis loco: hi putarunt, iſtud *Pater maior me eſt*, dictum eſſe à Domino non ſecundum veritatem, ſed ſecundum opinionem & exiſtimationem quam eo tempore habēbant de ipſo diſcipuli eius non planè intelligentes æqualem ipſum eſſe Patri propter diuinitatem eius, ſed tanquam hominem tantùm eſſe omnino minorem Patre, vt ſit hæc ſententia iſtorum verborum, gaudere deberetis in eo diſceſſu, quoniam vado ad Patrem, quem vos putatis maiorem eſſe quàm ego, & ideo poterit & me glorificare, & pręſtare quæcumque ego promiſi vobis. Hanc interpretationem ponit etiam Auguſtinus in lib. 1. de Trinitate cap. 9. ita ſcribens, *Quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* hoc autem eſt, Propterea me oportet ire ad Patrem, quia dum me videtis ita, ex hoc quod videtis, exiſtimatis quia minor ſum Patre; atque ita circa creaturam ſuſceptúmque hominis habitum occupati æqualitatem quam cum Patre habeo non intelligetis. Sic Auguſtinus. *Chryſoſt. Theophyl. Euthym.* *Auguſtin.*

110. Sed hæc interpretatio nequaquam probabilis eſſe videtur: non enim eſt credibile Apoſtolos tunc, id autem eſt, in extremo vitæ Chriſti tempore prorſus ignoraſſe Chriſti diuinitatem, & hominem tantùm eſſe, & omnino Patre minorem exiſtimaſſe; quo in er-

Digitized by Google

rore poſtea fuere Arriani, ob eúmque condemnati ſunt ab Eccleſia Catholica. Non itaque veram de Chriſto fidem habuiſſent, putantes illum non eſſe Deum, ſed hominem tantùm: nec fuiſſent in gratia
Hebr.1. Dei, quia ſine vera & recta fide impoſſibile eſt placere Deo. Quomodo igitur Chriſtus appellaſſet eos
Ioann.15. mundos, dicens: *Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis?* quomodo vocaſſet eos amicos dicẽs,
Ibidem. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis?* quomodo ipſe tantopere beati-
Matth.16. ficaſſet Petrum, quia dixerat. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, naturalem eius generationem ex Patre & natiuitatem confeſſus, quæ cõſubſtantialitatem & æqualitatem cum patre neceſſariò coniunctam habet? Quomodo Chriſtus omnia quæ à Patre acceperat, manifeſtauerat Apoſtolis, ſi nullam eis diuinitatis ſuæ notitiam impertiuerat? Si Iudæi ex ſermonibus Chriſti intellexerunt, ipſum dicere ſe Filium Dei & Deum eſſe, & propter hoc interficere eum volebant; quomodo Apoſtoli non id ex publicis & priuatis Chriſti ſermonibus intellexiſſent? ſi Apoſtoli in eo fuiſſent errore, quomodo Chriſtus tamdiu id diſſimulaſſet, & non eum errorem correxiſſet, atque ipſos veritatem ſuæ diuinitatis, quam in primis noſſe & credere oportet, docuiſſet?

Tertia interpretatio eſt, Patrem dictum eſſe maiorem Chriſto non ratione diuinitatis acceptæ à Patre, ſed ratione humanitatis ab ipſo Chriſto aſſũptæ. Hac ratione iſta Domini verba interpretati ſunt Athana- III.
Athanaſ. ſius in Diſputatione contra Arrium coram Probo iudice, & in ſymbolo, in quo Chriſtus dicitur æqualis Patri ſecundum diuinitatem, minor autem Patre ſe-
Ambroſ. cundum humanitatem, & Ambroſius in lib. ſecundo de

de Fide ad Gratianum cap. 4. & Leo magnus in *Ambroſ.*
ſerm. de Pentecoſte, & Auguſtinus ſuper hoc loco *S.Leo.* *Auguſt.*
Ioannis & in lib. 1. de Trinitate & cōtra Maximinum
Epiſcopum Arrianorum: quamquam Auguſtinus in
lib. de Fide & ſymbolo cap. 9. iſtam Domini ſententiam, *Pater maior me eſt*, explanans ait, eam poſſe intelligi de Chriſto tam ratione humanitatis aſſumptæ, quàm diuinitatis à Patre per æternam ex ipſo generationem acceptæ: ſic enim ſcribit, illa quæ ex ipſa ſcriptura hæretici obijciunt contra Chriſti diuinitatem: *Pater maior me eſt*, *Caput Chriſti Deus*, *Tunc & Ioann.14.*
ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia. Et, *Vado ad 1.ad Cor.11.*
Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum 1.ad Corin. 15.
veſtrum: & alia huiuſmodi poſita ſunt partim propter *Ioann. 20.*
adminiſtrationem ſuſcepti hominis; partim propterea quia Filius Patri debet quod eſt, hoc etiam debes Patri quod eidem Patri ęqualis eſt, Pater autem nulli debet quod eſt. Sic Auguſtinus. Sed redeo ad tertiam interpretationem, quæ vt plana & facilis intellectu eſt, ita eſt maximè probabilis; vt mirum non ſit, hanc interpretationem omnibus fermè Latinis Patribus, omnibúſque Theologis plus alijs interpretationibus placitam & probatam fuiſſe. Quod autem Chriſtus minor dictus ſit Patre, nō ratione diuinitatis, ſed ratione humanitatis aſſumptæ, non obſcurè ſignificant ipſa Domini verba, aientis, *Vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* Ea igitur ratione Chriſtus minor erat Patre, qua ratione vadebat ad Patrem; vadebat autem ad Patrem, non vt Deus erat; ſic enim & penitus immobilis, & vbique erat, & ſemper fuerat apud Patrem; ſed vadebat ad Patrem ratione aſſumptæ humanitatis, quam in terris aſſumpſerat, & ad cœlum transferebat. Chriſtus autem

propter aſſumptam humanitatem non ſolùm minor
erat Patre,ſed etiam ſe ipſo, hoc enim indicant ver-
Ad Phi. 2. ba illa Pauli, *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet ipſum exinaniuit, formam ſerui accipiẽs, in ſimilitudinem hominũ factus & habitu inuentus vt homo.* Monet porrò Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 7. & ſequentibus. Tria eſſe in Chriſto conſideranda, quòd ſit verus Deus, quòd ſit Deus ex Deo, quòd ſit verus homo, & ad horum vnum aliquod referre oportet quæ de Chriſto ſcripta ſunt.

Optimum Auguſtini documentũ circa ea quæ dicuntur in Scriptura de Chriſto.

Ioan. 10. Verum Deum indicat illud, *Ego & Pater vnum ſumus,*
Ioa. 5. & 7. Deum ex Deo demonſtrat illud, *Ego à me ipſo non facio quicquam.* Et, *Mea doctrina non eſt mea.* Humanitatem
Ioan. 14. eius oſtendit illud; *Pater maior me eſt.*

TRIGESIMASEPTIMA DISPVTATIO

Super illis verbis:

Verſ. 30. *Iam non multa loquar vobiſcum, venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet*
Verſ. 31. *quicquam. Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio: ſurgite, eamus hinc.*

HIs verbis ſignificat Dominus inſtare 112
iam ſuæ mortis tempus, ob idq́; pauca ſe deinceps cũ ipſis locuturum, mortali videlicet in corpore viuentem, & humano more cum ipſis conuerſantem. Eum verò qui tunc mortem eius vrgeret, diabolum eſſe indicat, qui Iudam & Iudæos ad ipſum comprehen

prehen

prehendum & necandum, eo ipſo tempore incitabat atque inflammabat; id enim planè indicant verba illa, *Venit enim princeps mundi huius*: Illud autem *venit* eſt præſentis temporis, quod vel poſitum eſt pro eo quod mox futurum erat, vel ſumẽdum eſt in ſignificatione præſentis temporis, quaſi diceret, Iam mihi nunc mortem machinatur, inſtigat Pontifices aduerſus me, incitat ſcribas, inflãmat Principes Iudæorum: eius incitatu Iudas huc illuc diſcurſat, ſe Iudæis ducem offerens ad me capiendum: iam comparatur militaris cohors, quæ ad me comprehendendum iam aduolat.

113 Appellat hoc loco Dominus diabolũ, ſicut etiam ſuprà cap. 12. appellauerat Principem mundi huius, ſicut etiam Paulus nominauit eum rectorem mundi, vno vocabulo Græco appellans κοσμοκράτορα, & alio loco vocat Deum huius ſæculi; non quòd ipſe mundi creator aut rector ſit, vt impij Manichæi delirantes aiebant; *Nam*, vt ait Iob, *Quem conſtituit Deus alium ſuper terram? aut quem poſuit ſuper orbem quem fabricatus eſt?* Sed quia mundi huius amatoribus dominatur, qui eum errore idololatriæ quaſi Deũ colunt, vel flagitioſè viuentes ſeſe illi manciparunt. *Ipſe enim*, vt dixit Iob, *eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*.

Ad Eph. 6

Quomodo Diabolus appelletur Princeps mundi.

2. ad. Cor. 4.

Locus Iob cap. 34.

cap. 41.

114 Illud porro quod proximè ſequitur, *Et in me non habet quicquam*, indicat cauſam cur ipſe Chriſtus occidendus eſſet: non enim ea cauſa fuit quòd Diabolus haberet ius aliquod & poteſtatem inferendi mortem Chriſto. Nempe, omnes homines obnoxij ſunt morti, vel naturali morti, propter peccatum originale; vel ciuili, propter ſcelus aliquod contra leges admiſſum; vel quia etiam ſi quis innocens ſit, per vim tamen à potentiori ad mortem adigi poteſt. Chriſtus

Cur omnes homines obnoxij ſint morti, tres cauſæ redduntur.

autem nullum peccatum fecit aut contraxit, & cùm eſſet Filius Dei, id autem eſt, omnipotens, à nullo cogi ad mortem potuit. Cauſa itaque ſuſcipiedæ mortis, & cedendi Diabolico furori, fuit in Chriſto duplex, Dilectio Dei Patris, & mandati eius Obedientia: hoc enim oſtendunt illa quæ proximè ſequũtur verba: *Sed vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite, eamus hinc.* Mandatum autem quod Pater dedit Filio, fuit mandatum de genere humano per mortem ſuam redimendo.

Ambroſ. *Duplex lectio huius loci.* Ambroſius in libro de Fuga ſæculi cap. 4. tractans 15 huc ipſum locum Ioannis, ait, duplicem ſe loci huius lectionem repeiſſe, ideóque duplicem etiam interpretationem eius tradi poſſe: hunc autem in modum ſcribit Ambroſius, Ipſe Dominus in Euangelio dixit: *Venit Princeps mundi huius & in me inuenit nihil:* Quomodo nihil inuenit in eo, in quo plenitudo *Ad Coloſſ. 2.* diuinitatis habitabat corporaliter? de quo virtus *Lucæ 6.* exibat & ſanabat omnes? Quomodo potuit nihil inuenire in ſoliditate virtutis, in vbertate ſapientiæ, in integritate iuſtitiæ? Non ergo Dominus erat vacuus, ſed cæcus & inanis erat Princeps huius mundi, qui neſcit niſi ſua cernere, niſi ſua inuenire, ea quæ Chriſti ſunt, neſcit agnoſcere. Si autem ita locum hunc legamus, vt legunt plerique *Non inuenit in me nihil*, ſic interpretari poterimus; Non inuenit in me malitiã, quia malitia nihil eſt; non inuenit mortem: quomo- *Ad Ro. 4.* do enim mortem inueniret in eo, *Qui viuificat mor-* *Ioan. 1.* *tuos, & vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt?* Non inuenit peccatum in eo, qui abſtulit peccatum mundi: alioqui, quomodo nihil habet, qui omnia habet? & quod plus eſt, omnia habet quæ Pater habet: ſicut ipſe

ipſe dixit *Omnia quæ Pater habet, mea ſunt*, ſic Ambroſius. Sanè Græca verba duplicem habent negationem, hanc enim reddunt ſententiam *Et in me non habet nihil*: ſed more Græcorū duplex ponitur negatio, quò vehementiùs aliquid negetur. Rectè igitur Latinus interpres Græcam ſententiam more Latino exprimens dixit: *Et in me non habet quicquam*. *Matth.11.* *Ioan.17.*

TRIGESIMAOCTAVA DISPVTATIO.

Triplex ponitur illorum verborum *In me non habet quicquam* explicatio: refertur etiam, ſuper eiſdem verbis, memoratu digna B. Gregorij diſputatio.

116 VERBA iſta Domini, *In me non habet quicquam* triplicem recipiunt explanationem, Prima eſt, *In me non habet quicquam*, id eſt, Nihil habet quod ſuū ſit, hoc autē eſt peccatum, quod proprium Diaboli opus eſt, ſicut hic ipſe Ioannes alio loco dixit, Chriſtum veniſſe vt diſſolueret opera Diaboli. Chriſtum autem fuiſſe omnino iuſtum & *1.Ioan.3.* ab omni peccato mundum etiam inimici eius confeſſi & teſtificati ſunt, vt Dæmones, Iudas, Pilatus, Centurio, & alij: Secunda explanatio, *In me non habet quicquam*, id eſt, nullum habet ius nullámque poteſtatem mihi mortem inferendi, tale enim Diaboli ius, ſolo nititur peccato, vt enim ſcripſit Paulus, *Stimulus* *1. Ad Cor. 15.* *mortis peccatum eſt*. In alios itaque homines, quia in *Ad Rom.* Adam peccauerunt, Diabolus mortis habet impe- *5.*

1. Regum cap. 17.

rium. Quemadmodum igitur Gigas ille Goliath omnibus Dei agminibus inſultabũdus exprobrabat, ſed Dauid eo ſuperato opprobrium omne atque dedecus ſuſtulit: ita Chriſtus per mortem ſuam victo Diabolo omne quod habebat mortis imperium, etiam in iuſtos & ſanctos viros, deſtruxit. Tertia explanatio *In me non habet quicquam*, id eſt, quantumcunque nunc ſæuiat aduerſus me, mihi tamen nullatenus præualere poterit, quin etiam quod nunc tanto conatu aduerſum me comparat, id ipſum mihi ad maiorem cedet gloriam: & quia me immerentem atque innocentem occidet, omnium, in quos ius & imperium habebat, poſſeſſionem amittet.

Similitudo Chriſti & Dauid, & Diaboli atque Gigantis Goliath.

Heb. 2.

Ad illuſtriorem horum Domini verborum expli- 117
cationem pertinet præclara ſancti Gregorij diſputatio, quæ legitur in eius homilia trigeſimanona in Euangelia, & his fermè verbis ab eo ſcripta eſt: Cogitandum nobis eſt, quantum nobis erit terribilis hora noſtræ reſolutionis, qui pauor mentis, quanta tunc omnium malorũ memoria, quæ obliuio tranſactæ fœlicitatis, quæ formido & conſideratio iudicis. Quid ergo eſſe nobis de præſentibus ad delectationem debet, quando cunctis ſimiliter tranſeuntibus non valet tranſire quod imminet; quãdo & hoc funditus finitur quod diligitur, & aliud incipitur vbi dolor nunquam finitur? Tunc egrediente anima maligni Spiritus opera ſua requirunt, tunc mala quæ ſuaſerunt replicant, vt ſociam ad tormenta trahant. Sed cur hoc de peruerſa ſolummodo anima dicimus cùm ad electos quoque egredientes veniant, & ſuum in illis, ſi præualeant, aliquid requirant? Vnus tantùm in hominibus extitit qui ante paſſionem ſuam libera voce dixit: *Venit princeps huius mundi, & in me non habet*

Memorabilis ſuper mortis noſtræ conſideratione B. Gregorij diſputatio.

Ioann. 14.

habet quidquam. Quia enim hunc mortalem hominē vidit, ſuum in illo mundi Princeps aliquid inuenire poſſe credidit: ſed ſine vllo peccato à mūdi corruptione exijt, qui ſine peccato in mundum venit. Hoc de ſe contra mundi Principem nec Petrus dicere præſumpſit qui audire meruit, *Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis.* Hoc nec Paulus dicere præſumpſit, qui priuſquàm mortis debitum ſolueret, ad tertij cœli ſecreta peruenit, Hoc nec Ioannes auſus eſt dicere, qui pro amore præcipuo in redemptoris ſui pectore in cœna recubuit. Nam cùm Propheta dicat, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea,* ſine culpa in mundo eſſe non potuit, qui in mundum cum culpa venit. Hinc namque idem Propheta ait; *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Nam vt Ioannes dixit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt.* Conſtat enim quia omnes qui de carnis delectatione concepti ſunt, in eorum proculdubio vel actione, vel locutione, vel cogitatione aliquid ſuum princeps huius mundi habuit. Sed idcirco illos vel poſt rapere vel priùs tenere non potuit, quia eos ille à debitis ſuis eripuit, qui pro nobis ſine debito mortis debitum ſoluit: vt ideo nos ſub iure hoſtis noſtri debita noſtra non teneant, quia pro nobis mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus gratuito reddidit quod non debebat. Qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos à debita animæ morte liberauit. Ait ergo: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Vnde curandum nobis eſt, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quàm rabidus, quàm terribilis ſua in no-

Matth. 16. *2. ad Cor. 12.* *Ioann. 13.* *Pſalm. 50.* *Pſal. 142.* *1. Ioann. 1.* *1. Ioann. 2.*

bis opera requirēs,in die noſtri exitus Princeps huius mundi veniat; ſi etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæſiuit, in quo ſuum inuenire nihil potuit. Quid igitur nos miſeri dicturi,quid acturi ſumus,qui innumera mala commiſimus. Quid requirenti aduerſario, & multa ſua in nobis inuenienti dicemus,niſi ſolum quod nobis & certum refugium & ſolida ſpes, quia vnum cum illo facti ſumus,in quo princeps huius mundi ſuum aliquid re-
Pſalm. 87. quiſiuit,& inuenire minimè potuit, quoniam ſolus eſt inter mortuos liber?& à peccati iam ſeruitio veraci libertate ſoluimur, quia ei qui verè liber eſt vnimur. Conſtat enim,nec negare poſſumus,ſed veraciter fatemur,quia Princeps huius mundi habet in nobis multa;ſed tamen in mortis noſtræ tempore iam nos rapere non valet, quia eius membra effecti ſumus,in quo non habet quidquam. Hæc quidem eſt, quæ hoc loco minimè prætermittenda fuit B. Gregorij ſuper illis Domini verbis; *Et in me non habet quicquam*, Diſputatio.

TRIGESIMANONA DISPVTATIO.

De miſerrima humani generis captiuitate ſub poteſtate Diaboli ante Chriſti aduentum, quæ ſignificata eſt illis verbis, *Venit Princeps mundi huius.*

EX eo quod Dominus appellauit hoc loco Diabolum Principē mundi huius,in- 118
tellexerunt Patres,& doctores Catholici omne genus hominum, propter Adæ pecca

peccatum, quaſi captiuum fuiſſe ſub poteſtate diaboli ante Chriſti aduentum,&per eum fuiſſe iſta captiuitate liberatũ, ad quod etiam indicandum valet parabola illa Domini quam refert Lucas capite XI. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet: ſi autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* Nam, *à quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt*, vt ait Petrus. Dominus autem dixit *Si vos Filius liberauit, verè liberi eritis.* Vbi Auguſtinus & Cyrillus annotarunt, verbum liberandi, cùm tribuitur Chriſto, ſignificare non ſolùm malis eripere, ſed præcipuè ex ſeruitute in libertatem aſſerere. Huc ſpectat illud Pauli: *Qui eripuit vos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ.* Et alio loco dicit Chriſtũ deſtruxiſſe Diabolum qui habebat mortis imperium; *Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.*

Locus Lucæ, cap. 11.
2. Pet. 2.
Ioan. 8.
Auguſtin.
Cyrillus.
Verbum liberandi cũ tribuitur Chriſto quid propriè ſignificet.
Coloſſ. 5.
Ad Heb. 2

119 Petrus Abailardus confeſſus quidem eſt, iſtam de captiuitate humani generis ſub poteſtate Diaboli ſententiam fuiſſe omnium Patrum, & ipſius Eccleſiæ ab Apoſtolis vſque, ſed ei ſententiæ contradicens ipſe negat, Diabolum ius aliquod & poteſtatem in genus hominum vnquam acquiſiuiſſe, nec Filium Dei aſſumpſiſſe carnem humanam, vt hominem à Diaboli poteſtate liberaret. Hunc errorem copioſè, doctéque ac validè confutauit cum iſto Petro diſputans ſanctus Bernardus, quam diſputationem ab eo ſcriptam legimus in epiſtola centenſima nonageſima quam ſcripſit ad Dominum Papam Innocentiũ. At enim etiam infantes, ante vſum rationis, eſſe ſub Diaboli poteſtate demonſtrat Auguſtinus ea con-

Error Petri Abailardi confutatus à S. Bernardo.

Pater donantis authoritate, ſed non minor eſt Filius cui vnum & idem eſſe donatur, & cui tantùm Pater donat eſſe quantus ipſe eſt. Maior eſt Pater, dum Pater eſt, ſed non minor eſt Filius, dum Filius eſt, quia natiuitas Filij Patrem conſtituit maiorem, ſed minorem Filium eſſe, natiuitatis natura non patitur. Hæc Hylarius. Eandem interpretationem ponit Auguſtinus in lib. de fide & ſymbolo cap. 9. cuius verba referemus infra in explicatione tertiæ interpretationis. Hanc interpretationem tot, tātorúmque Patrum quos ego maximè colo & veneror, equidem improbare non audeo, nedum contemnere: non diſſimulabo tamen eam mihi non explere animum neque vſquequaque ſatisfacere. Enim verò, licet Pater ratione originis & principij dici queat prior Filio, maior tamen eo, ſi propriè loqui velimus, non videtur dici poſſe. Nempe, magnum & maius, ſi germana & vſitata earum vocum notio penſitetur, propriè ſignificant quantitatem, quantitatem dico vel molis, vel virtutis & perfectionis, non autem denotant prioritatem originis vel principij authoritatem. Quòd autem Chriſtus iſtis verbis non obſcurè ſignificauerit Patrem eſſe maiorem ipſo: non qua Deus ipſe erat, ſed qua homo, paulò infrà oſtendemus.

Auguſtin.

* * *

TRIGE

Digitized by Google

TRIGESIMASEXTA DISPVTATIO.

Exponuntur duæ aliorum Patrum interpretationes eorumdem illorum Domini verborum, Pater maior me eſt.

109 ALTERA iſtorum Domini verborum interpretatio eſt Chryſoſtomi & Theophylacti, & Euthymij ſuper hoc ipſo Ioannis loco: hi putarunt, iſtud *Pater maior me eſt,* dictum eſſe à Domino non ſecundum veritatem, ſed ſecundum opinionem & exiſtimationem quam eo tempore habebant de ipſo diſcipuli eius non planè intelligentes æqualem ipſum eſſe Patri propter diuinitatem eius, ſed tanquam hominem tantùm eſſe omnino minorem Patre, vt ſit hæc ſententia iſtorum verborum, gaudere deberetis in eo diſceſſu, quoniam vado ad Patrem, quem vos putatis maiorem eſſe quàm ego, & ideo poterit & me glorificare, & prꝙſtare quæcumque ego promiſi vobis. Hanc interpretationem ponit etiam Auguſtinus in lib. 1. de Trinitate cap. 9. ita ſcribens, *Quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* hoc autem eſt, Propterea me oportet ire ad Patrem, quia dum me videtis ita, ex hoc quod videtis, exiſtimatis quia minor ſum Patre; atque ita circa creaturam ſuſceptúmque hominis habitum occupati æqualitatem quam cum Patre habeo non intelligetis. Sic Auguſtinus. *Chryſoſt. Theophyl. Euthym.* *Auguſtin.*

110. Sed hæc interpretatio nequaquam probabilis eſſe videtur: non enim eſt credibile Apoſtolos tunc, id autem eſt, in extremo vitæ Chriſti tempore prorſus ignoraſſe Chriſti diuinitatem, & hominem tantùm eſſe, & omnino Patre minorem exiſtimaſſe; quo in er-

Digitized by Google

rore poſtea fuere Arriani, ob eúmque condemnati ſunt ab Eccleſia Catholica. Non itaque veram de Chriſto fidem habuiſſent, putantes illum non eſſe Deum, ſed hominem tantùm: nec fuiſſent in gratia
Hebr.2. Dei, quia ſine vera & recta fide impoſſibile eſt placere Deo. Quomodo igitur Chriſtus appellaſſet eos
Ioann.15. mundos, dicens: *Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis?* quomodo vocaſſet eos amicos dicés,
Ibidem. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis?* quomodo ipſe tantopere beati-
Matth.16. ficaſſet Petrum, quia dixerat. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, naturalem eius generationem ex Patre & natiuitatem confeſſus, quæ cõſubſtantialitatem & æqualitatem cum patre neceſſariò coniunctam habet? Quomodo Chriſtus omnia quæ à Patre acceperat, manifeſtauerat Apoſtolis, ſi nullam eis diuinitatis ſuæ notitiam impertiuerat? Si Iudæi ex ſermonibus Chriſti intellexerunt, ipſum dicere ſe Filium Dei & Deum eſſe, & propter hoc interficere eum volebant; quomodo Apoſtoli non id ex publicis & priuatis Chriſti ſermonibus intellexiſſent? ſi Apoſtoli in eo fuiſſent errore, quomodo Chriſtus tamdiu id diſſimulaſſet, & non eum errorem correxiſſet, atque ipſos veritatem ſuæ diuinitatis, quam in primis noſſe & credere oportet, docuiſſet?

Tertia interpretatio eſt, Patrem dictum eſſe maiorem Chriſto non ratione diuinitatis acceptæ à Patre, III.
ſed ratione humanitatis ab ipſo Chriſto aſſũptæ. Hac ratione iſta Domini verba interpretati ſunt Athana-
Athanaſ. ſius in Diſputatione contra Arrium coram Probo iudice, & in ſymbolo, in quo Chriſtus dicitur æqualis Patri ſecundum diuinitatem, minor autem Patre ſe-
Ambroſ. cundum humanitatem, & Ambroſius in lib. ſecundo de

de Fide ad Gratianum cap. 4. & Leo magnus in 3. ſerm. de Pentecoſte, & Auguſtinus ſuper hoc loco Ioannis & in lib. 1. de Trinitate & cõtra Maximinum Epiſcopum Arrianorum: quamquam Auguſtinus in lib. de Fide & ſymbolo cap. 9. iſtam Domini ſententiam, *Pater maior me eſt*, explanans ait, eam poſſe intelligi de Chriſto tam ratione humanitatis aſſumptæ, quàm diuinitatis à Patre per æternam ex ipſo generationem acceptæ: ſic enim ſcribit, illa quæ ex ipſa ſcriptura hæretici obijciunt contra Chriſti diuinitatem: *Pater maior me eſt, Caput Chriſti Deus, Tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia.* Et, *Vado ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum:* & alia huiuſmodi poſita ſunt partim propter adminiſtrationem ſuſcepti hominis; partim propterea quia Filius Patri debet quod eſt, hoc etiam debẽs Patri quod eidem Patri ęqualis eſt, Pater autem nulli debet quod eſt. Sic Auguſtinus. Sed redeo ad tertiam interpretationem, quæ vt plana & facilis intellectu eſt, ita eſt maximè probabilis; vt mirum non ſit, hanc interpretationem omnibus fermè Latinis Patribus, omnibúſque Theologis plus alijs interpretationibus placitam & probatam fuiſſe. Quod autem Chriſtus minor dictus ſit Patre, nõ ratione diuinitatis, ſed ratione humanitatis aſſumptæ, non obſcurè ſignificant ipſa Domini verba, aientis, *Vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* Ea igitur ratione Chriſtus minor erat Patre, qua ratione vadebat ad Patrem; vadebat autem ad Patrem, non vt Deus erat; ſic enim & penitus immobilis, & vbique erat, & ſemper fuerat apud Patrem; ſed vadebat ad Patrem ratione aſſumptæ humanitatis, quam in terris aſſumpſerat, & ad cœlum transferebat. Chriſtus autem

Ambroſ. *S. Leo.* *Auguſt.*

Ioann. 14. 1. *ad Cor. 11.* 1. *ad Corin. 15.* *Ioann. 20.*

propter aſſumptam humanitatem non ſolùm minor
erat Patre, ſed etiam ſe ipſo, hoc enim indicant ver-
Ad Phi. 2. ba illa Pauli, *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam ar-
bitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet ipſum exinaniuit,
formam ſerui accipiẽs, in ſimilitudinem hominũ factus & ha-*
Optimum Auguſtini documentũ circa ea quæ dicuntur in Scriptura de Chriſto. *bitu inuentus vt homo.* Monet porrò Auguſtinus lib. 1. de
Trinitate cap. 7. & ſequentibus. Tria eſſe in Chriſto
conſideranda, quòd ſit verus Deus, quòd ſit Deus ex
Deo, quòd ſit verus homo, & ad horum vnum ali-
quod referre oportet quæ de Chriſto ſcripta ſunt.
Ioan. 10. Verum Deum indicat illud, *Ego & Pater vnum ſumus,*
Ioa. 5. & 7. Deum ex Deo demonſtrat illud, *Ego à me ipſo non facio
quicquam.* Et, *Mea doctrina non eſt mea.* Humanitatem
Ioan. 14. eius oſtendit illud; *Pater maior me eſt.*

TRIGESIMASEPTIMA DISPVTATIO

Super illis verbis:

Verſ. 30. *Iam non multa loquar vobiſcum, venit enim
Princeps mundi huius, & in me non habet*
Verſ. 31. *quicquam. Sed vt cognoſcat mundus, quia di-
ligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi
Pater ſic facio: ſurgite, eamus hinc.*

HIs verbis ſignificat Dominus inſtare 112
iam ſuæ mortis tempus, ob idq́; pauca
ſe deinceps cũ ipſis locuturum, mor-
tali videlicet in corpore viuentem, &
humano more cum ipſis conuerſan-
tem. Eum verò qui tunc mortem eius vrgeret, diabo-
lum eſſe indicat, qui Iudam & Iudæos ad ipſum com-
prehen

prehendum & necandum, eo ipſo tempore incitabat atque inflammabat;id enim planè indicant verba illa,*Venit enim princeps mundi huius*:Illud autem *venit* eſt præſentis temporis, quod vel poſitum eſt pro eo quod mox futurum erat, vel ſumẽdum eſt in ſignificatione præſentis temporis,quaſi diceret, Iam mihi nunc mortem machinatur, inſtigat Pontifices aduerſus me,incitat ſcribas, inflãmat Princeps Iudæorum: eius incitatu Iudas huc illuc diſcurſat,ſe Iudæis ducem offerens ad me capiendum: iam comparatur militaris cohors, quæ ad me comprehendendum iam aduolat.

113 Appellat hoc loco Dominus diabolũ, ſicut etiam ſupra cap. 12. appellauerat Principem mundi huius, *Ad Eph.6*
ſicut etiam Paulus nominauit eum rectorem mun- *Quomodo Diabolus*
di, vno vocabulo Græco appellans κοσμοκράτορα, & *appelletur*
alio loco vocat Deum huius ſæculi; non quòd ipſe *Princeps mundi.*
mundi creator aut rector ſit, vt impij Manichæi de- *2. ad. Cor. 4.*
lirantes aiebant;*Nam*,vt ait Iob, *Quem conſtituit Deus* *Locus Iob*
alium ſuper terram? aut quem poſuit ſuper orbem quem fabricatus eſt? *cap.34.*
Sed quia mundi huius amatoribus dominatur,qui eum errore idololatriæ quaſi Deũ colunt, vel flagitioſè viuentes ſeſe illi manciparunt.*Ipſe enim,* *cap.41.*
vt dixit Iob,*eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.*

114 Illud porro quod proximè ſequitur, *Et in me non habet quicquam,*indicat cauſam cur ipſe Chriſtus occidendus eſſet: non enim ea cauſa fuit quòd Diabolus haberet ius aliquod & poteſtatem inferendi mortem Chriſto. Nempe,omnes homines obnoxij ſunt *Cur omnes homines obnoxij ſint*
morti,vel naturali morti,propter peccatum origina- *morti,tres*
le;vel ciuili, propter ſcelus aliquod contra leges ad- *cauſæ red-*
miſſum; vel quia etiam ſi quis innocens ſit,per vim *duntur.*
tamen à potentiori ad mortem adigi poteſt.Chriſtus

autem nullum peccatum fecit aut contraxit, & cùm eſſet Filius Dei, id autem eſt, omnipotens, à nullo cogi ad mortem potuit. Cauſa itaque ſuſcipiẽdæ mortis, & cedendi Diabolico furori, fuit in Chriſto duplex, Dilectio Dei Patris, & mandati eius Obedientia: hoc enim oſtendunt illa quæ proximè ſequũtur verba: *Sed vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite, eamus hinc.* Mandatum autem quod Pater dedit Filio, fuit mandatum de genere humano per mortem ſuam redimendo.

Ambroſ. Duplex lectio huius loci. Ambroſius in libro de Fuga ſæculi cap. 4. tractans 15 huc ipſum locum Ioannis, ait, duplicem ſe loci huius lectionem reperiſſe, ideóque duplicem etiam interpretationem eius tradi poſſe: hunc autem in modum ſcribit Ambroſius, Ipſe Dominus in Euangelio dixit: *Venit Princeps mundi huius & in me inuenit nihil:* Quomodo nihil inuenit in eo, in quo plenitudo *Ad Coloſſ. 2.* diuinitatis habitabat corporaliter? de quo virtus *Lucæ 6.* exibat & ſanabat omnes? Quomodo potuit nihil inuenire in ſoliditate virtutis, in vbertate ſapientiæ, in integritate iuſtitiæ? Non ergo Dominus erat vacuus, ſed cæcus & inanis erat Princeps huius mundi, qui neſcit niſi ſua cernere, niſi ſua inuenire, ea quæ Chriſti ſunt, neſcit agnoſcere. Si autem ita locum hunc legamus, vt legunt plerique *Non inuenit in me nihil*, ſic interpretari poterimus; Non inuenit in me malitiã, quia malitia nihil eſt; non inuenit mortem: quomo- *Ad Ro. 4. Ioan. 1.* do enim mortem inueniret in eo, *Qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt?* Non inuenit peccatum in eo, qui abſtulit peccatum mundi: alioqui, quomodo nihil habet, qui omnia habet? & quod plus eſt, omnia habet quæ Pater habet: ſicut

ipſe dixit *Omnia quæ Pater habet, mea ſunt*, ſic Ambroſius. Sanè Græca verba duplicem habent negationem, hanc enim reddunt ſententiam *Et in me non habet nihil*: ſed more Græcorũ duplex ponitur negatio, quò vehementiùs aliquid negetur. Rectè igitur Latinus interpres Græcam ſententiam more Latino exprimens dixit: *Et in me non habet quicquam.* *Matth.11.* *Ioan.17.*

TRIGESIMAOCTAVA DISPVTATIO.

Triplex ponitur illorum verborum *In me non habet quicquam* explicatio: refertur etiam, ſuper eiſdem verbis, memoratu digna B. Gregorij diſputatio.

116 VERBA iſta Domini, *In me non habet quicquam* triplicem recipiunt explanationem, Prima eſt, *In me non habet quicquam*, ideſt, Nihil habet quod ſuũ ſit, hoc autẽ eſt peccatum, quod proprium Diaboli opus eſt, ſicut hic ipſe Ioannes alio loco dixit, Chriſtum veniſſe vt diſſolueret opera Diaboli. Chriſtum autem fuiſſe omnino iuſtum & *1. Ioan. 3.* ab omni peccato mundum etiam inimici eius confeſſi & teſtificati ſunt, vt Dæmones, Iudas, Pilatus, Centurio, & alij: Secunda explanatio, *In me non habet quicquam*, ideſt, nullum habet ius nullámque poteſtatem mihi mortem inferendi, tale enim Diaboli ius, ſolo nititur peccato, vt enim ſcripſit Paulus; *Stimulus mortis peccatum eſt.* In alios itaque homines, quia in Adam peccauerunt, Diabolus mortis habet impe- *1. Ad Cor. 15.* *Ad Rom. 5.*

1. Regum cap. 17. rium. Quemadmodum igitur Gigas ille Goliath omnibus Dei agminibus inſultabūdus exprobrabat, ſed Dauid eo ſuperato opprobrium omne atque dedecus ſuſtulit: ita Chriſtus per mortem ſuam victo Diabolo omne quod habebat mortis imperium, etiam in iuſtos & ſanctos viros, deſtruxit. Tertia explanatio *In me non habet quicquam*, id eſt, quantumcunque nunc ſæuiat aduerſus me, mihi tamen nullatenus præualere poterit, quin etiam quod nunc tanto conatu aduerſum me comparat, id ipſum mihi ad maiorem cedet gloriam: & quia me immerentem atque innocentem occidet, omnium, in quos ius & imperium habebat, poſſeſſionem amittet.

Similitudo Chriſti & Dauid, & Diaboli atque Gigantis Goliath. Heb. 2.

117 Ad illuſtriorem horum Domini verborum explicationem pertinet præclara ſancti Gregorij diſputatio, quæ legitur in eius homilia trigeſimanona in Euangelia, & his fermè verbis ab eo ſcripta eſt: Cogitandum nobis eſt, quantum nobis erit terribilis hora noſtræ reſolutionis, qui pauor mentis, quanta tunc omnium malorū memoria, quæ obliuio transactæ fœlicitatis, quæ formido & conſideratio iudicis. Quid ergo eſſe nobis de præſentibus ad delectationem debet, quando cunctis ſimiliter tranſeuntibus non valet tranſire quod imminet; quādo & hoc funditus finitur quod diligitur, & aliud incipitur vbi dolor nunquam finitur? Tunc egrediente anima maligni Spiritus opera ſua requirunt, tunc mala quæ ſuaſerunt replicant, vt ſociam ad tormenta trahant. Sed cur hoc de peruerſa ſolummodo anima dicimus cùm ad electos quoque egredientes veniant, & ſuum in illis, ſi præualeant, aliquid requirant? Vnus tantùm in hominibus extitit qui ante paſſionem ſuam libera voce dixit: *Venit princeps huius mundi, & in me non habet*

Memorabilis ſuper mortis noſtræ conſideratione B. Gregorij diſputatio.

Ioann. 14.

habet quidquam. Quia enim hunc mortalem hominē vidit, ſuum in illo mundi Princeps aliquid inuenire poſſe credidit: ſed ſine vllo peccato à mūdi corruptio ne exijt, qui ſine peccato in mundum venit. Hoc de ſe contra mundi Principem nec Petrus dicere præſumpſit qui audire meruit, *Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis.* Hoc nec Paulus dicere præſumpſit, qui priuſquàm mortis debitum ſolueret, ad tertij cœli ſecreta peruenit, Hoc nec Ioannes auſus eſt dicere, qui pro amore præcipuo in redemptoris ſui pectore in cœna recubuit. Nam cùm Propheta dicat, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea,* ſine culpa in mundo eſſe non potuit, qui in mundum cum culpa venit. Hinc namque idem Propheta ait; *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Nam vt Ioannes dixit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt.* Conſtat enim quia omnes qui de carnis delectatione concepti ſunt, in eorum proculdubio vel actione, vel locutione, vel cogitatione aliquid ſuum princeps huius mundi habuit. Sed idcirco illos vel poſt rapere vel priùs tenere non potuit, quia eos ille à debitis ſuis eripuit, qui pro nobis ſine debito mortis debitum ſoluit: vt ideo nos ſub iure hoſtis noſtri debita noſtra non teneant, quia pro nobis mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus gratuito reddidit quod non debebat. Qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos à debita animæ morte liberauit. Ait ergo: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Vnde curandum nobis eſt, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quàm rabidus, quàm terribilis ſua in no-

Matth. 16.
2. ad Cor. 12.
Ioann. 13.
Pſalm. 50.
Pſal. 142.
1. Ioann. 1.
1. Ioann. 2.

peccatum, quaſi captiuum fuiſſe ſub poteſtate diaboli ante Chriſti aduentum, & per eum fuiſſe iſta captiuitate liberatū, ad quod etiam indicandum valet parabola illa Domini quam refert Lucas capite XI. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet: ſi autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* Nam, *à quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt,* vt ait Petrus. Dominus autem dixit *Si vos Filius liberauit, verè liberi eritis.* Vbi Auguſtinus & Cyrillus annotarunt, verbum liberandi cùm tribuitur Chriſto, ſignificare non ſolùm malis eripere, ſed præcipuè ex ſeruitute in libertatem aſſerere. Huc ſpectat illud Pauli: *Qui eripuit vos de poteſtate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ.* Et alio loco dicit Chriſtū deſtruxiſſe Diabolum qui habebat mortis imperium; *Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.*

Locus Lucæ, cap. 11.

2. Pet. 2.
Ioan. 8.
Auguſtin.
Cyrillus.
Verbum liberandi cū tribuitur Chriſto quid propriè ſignificet.
Coloſſ. 1.
Ad Heb. 2

Petrus Abailardus confeſſus quidem eſt, iſtam de
119 captiuitate humani generis ſub poteſtate Diaboli ſententiam fuiſſe omnium Patrum, & ipſius Eccleſiæ ab Apoſtolis vſque, ſed ei ſententiæ contradicens ipſe negat, Diabolum ius aliquod & poteſtatem in genus hominum vnquam acquiſiuiſſe, nec Filium Dei aſſumpſiſſe carnem humanam, vt hominem à Diaboli poteſtate liberaret. Hunc errorem copioſè, doctéque ac validè confutauit cum iſto Petro diſputans ſanctus Bernardus, quam diſputationem ab eo ſcriptam legimus in epiſtola centenſima nonageſima quam ſcripſit ad Dominum Papam Innocentiū. At enim etiam infantes, ante vſum rationis, eſſe ſub Diaboli poteſtate demonſtrat Auguſtinus ea con-

Error Petri Abailardi confutatus à S. Bernardo.

Quomodo Auguſtinus Epiſtola 105 demōſtret etiam infantes non baptizatos in poteſtate Diaboli eſſe.

Duplex in homines Diaboli poteſtas.

Gregorius.

ſuetudine, quam ſeruat Eccleſia catholica in baptizandis infantibus; quæ cùm eos exorcizat, & facit eos renunciare Diabolo verbis eorum à quibus illi geſtantur, ſatis oſtendit, eos ſub poteſtate Diaboli fuiſſe & ab ea per baptiſmum liberari.

Duplex porro fuit Diaboli in hominem poteſtas: 120
Altera fuit in omnes homines ſub peccato originali vel mortali conſtitutos, quos ex hac vita ſic decedētes detrudebat in infernum tanquam in carcerem, ſemper in eo retinendos, & eos, qui cùm mortali peccato mortui fuerant, ſempiternis cruciandos ſupplicijs. Hanc poteſtatem perſpicuis verbis aſſignat Diabolo S. Gregorius explanans verba illa quæ ſunt in ſeptimo capite libri primi Regum, *Et ipſe liberabit vos de manu Philiſthijm:* Sic enim ait, Quæ eſt manus Philiſthijm, niſi poteſtas illa Dæmonum, qua mortuas in peccato animas ad æterna tormenta perducunt? Ab iſta manu Philiſthijm ſolus ille fuit liber qui dixit, *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquā.* Hanc verò poteſtatem habet Dæmon etiam poſt Chriſti aduentum in eos qui cum peccato originali vel mortali moriuntur, quos in ſuum inferni carcerem detrudit.

QVADRA

QVADRAGESIMA DISPVTATIO.

Super altera Diaboli poteſtate tentandi & decipiendi, & ad quoſlibet errores & ſcelera incitandi homines quam poteſtatem habuit Diabolus maximam ante Chriſti aduentum.

21 ALTERA poteſtas, quam in homines habet diabolus, eſt ea qua diabolus homines tentat ad errores & ſcelera incitando. Hæc diaboli poteſtas ante Chriſti aduentum ampliſſima fuit: omnem enim fermè terrarũ orbem idololatriæ, & impiarum ſuperſtitionum, & teterrimorum ſcelerum denſiſſimis tenebris, execrãdíſque ſordibus oppreſſũ tenebat Diabolus. Ob hãc certè cauſam Chriſtus appellauit Diabolum Principem mundi huius, & *Luca. x.* fortem armatum cuſtodientem atrium ſuum, vt Au- *Auguſt.* guſtinus ait in explicatione pſalm. 54. & Paulus Dæ- *ad Epheſ.* mones appellat κοσμοκράτορα. i. vt vertit latinus in- *6.* terpres, mundi rectores, vel vt vocat Tertullianus, mundi tenentes, vel ſecundum Hilarium, mundi potentes: nam verbum græcum κρατεῖν ſignificat obtinere, potiri, & pro ſuo arbitrio dominari alicui.

122 Hæc ſecunda poteſtas Diaboli, licet ei non fuerit poſt Chriſti aduentum ex toto oblata, fuit tamen maxima ex parte diminuta & debilitata. Poſtquàm enim lux euangelicæ doctrinæ mundo affulſit, diſcuſſis idololatriæ, atque impiarum ſuperſtitionũ, & peſtiferorũ humanis animis errorum poteſtas vnus & verus vbique terrarum & gentium Deus agnoſci &

coli cœptus eſt; & immaniſſima ſcelera, turpiſſimaque flagitia, Diaboli fraudibus & fallacijs in hominum opinionem & conſuetudinem inuecta, per Chriſti doctrinã & gratiam exterminata ſunt. Quapropter poſtquàm Dominus dixerat *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet*: proximè adiecit; *ſic autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa eius arma auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet*.

Locus Lucæ cap. 11.

Ad hoc ipſum magis declarandum & illuſtrandum valet quod ſcripſit B. Gregorius in libro 17. Moralium cap. 20. Explicans illa verba Iob quæ ſunt in cap. 26. *Et obſtet ricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus*. Cauernæ, inquit, huius colubri corda ſunt impiorum, quæ quia in prauitatem propriam traxit, quaſi in eorum habitatione requieuit: ſed obſtetricante manu Domini tortuoſus coluber de proprijs cauernis excluſus eſt, quia dum nobis diuina gratia medetur, is qui nos tenuerat, antiquus à nobis hoſtis eijcitur, ſicut dicit Dominus: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*. Vnde nunc nos omnes non tenendo poſſidet, ſed tentando perſequitur. Nam quia non in eis intrinſecus regnat, contra eos pugnat extrinſecus; & quia intus dominium perdidit, bella molitur foris. Sic Gregorius: Qui etiam de Chriſto interpretatur verba illa Iſaiæ quæ ſunt in cap. xi. *Delectabitur infans ab vbere ſuper foramen aſpidis; & in cauernam reguli qui ablactatus fuerit manum ſuam mittet*. Tunc etiam inquit Gregorius, coronari Dominum de cubilibus Leonum, ſicut in Canticis ſcriptum eſt, cùm creditur, Dominum viciſſe Dæmones, eóſque de cordibus hominum expuliſſe, quos ad fidem ſuam vocauit & traxit. 123

S. Gregor. *Ioan 12.* *Cant. 4.*

Beatus

124 Beatus Auguſtinus in Epiſtola 107. ereptos nos *Auguſtin.*
eſſe ex poteſtate Diaboli docet his verbis, intrat
Chriſtus in domum fortis, id eſt, in hoc ſæculum *Locus Lucæ cap.11.*
mortalium ſub poteſtate Diaboli, quantum ad ip- *Ad Heb. 2.*
ſum pertinet, cõſtitutum, ſi quidem de ipſo ſcriptum
eſt, quod mortis habebat imperium. Intrat igitur
in domum fortis, id eſt Diaboli in ſuo dominatu ha-
bentis genus humanum: & prius alligat eum, id eſt,
eius coërcet & cohibet poteſtatem, ſuæ poteſtatis
fortioribus vinculis: & ſic eripit vaſa eius, eos ſcili-
cet quos prædeſtinauit ad gloriam, arbitrium eorum
ab eius poteſtate liberans, vt illo non impediente,
credant in ipſum libera voluntate.

125 Sed quæri hoc loco poſſet, An Diabolus ante *An dæmon habuerit imperiũ in omnes mortuos, etiam qui iuſti & ſancti erãt, ante Chriſti aduẽtũ.*
Chriſti aduentum ſicut in poteſtate ſua habebat ho-
mines viuos, ita & mortuos haberet, vel quantum ad
deductionem eorum ad loca inferni, vel etiam quan-
tum ad detentionem eorum in illis locis; loquor
autem de mortuis non ſolùm reprobis, ſed etiam
iuſtis & ſanctis qui erant in ſinu Abrahæ. Nam *Pſal.106.*
Chriſtus deſcendens ad inferos dicitur contriuiſſe *Pſal.67.*
portas æreas, & vectes ferreos confregiſſe, & inde *Ad Epheſ. 4.*
captiuam duxiſſe captiuitatem. Habuit etiam teſte
Paulo Diabolus, ante Chriſti aduentum, mortis im- *Ad Heb. 2.*
perium: quod non poteſt intelligi de poteſtate quam
haberet inferendi mortem corporalem cuicunque
hominum vellet: ſed videtur intelligendum eſſe de
poteſtate quam haberet in omnes mortuos, vel
quantum ad eorum punitionem, vt in reprobos; vel
quãtum ad eorum in illis locis inferni detentionem,
vt in homines iuſtos.

Digitized by Google

Solutio ſupradictæ quæſtionis. Sed profectò ſimilius vero, dictúque probabilius 126
eſt animas iuſtorum, quæ ante Chriſti aduentum,
poſt mortem erant in ſinu Abrahæ, non fuiſſe tunc
ſub Diaboli poteſtate: non enim conſtituimur ſub
Diaboli poteſtate niſi propter peccatum vel originale
vel mortale; ergo qui vtroque peccato carent,
extra Diaboli poteſtatem ſunt. Quod ſi per gratiam
iuſtificationis liberamur à poteſtate Dæmonis, qui
cum ea gratia deceſſerunt ex hac vita, & in ea confirmati
ſunt, eos ab Imperio Diaboli eſſe liberos fatendum
eſt. Adde quòd, omnes iuſti ſunt amici & filij
Dei, & dicuntur non eſſe de hoc mundo, & appellantur
Ad Epheſ. vlt. Filij Lucis: at verò Dæmon dicitur Princeps huius
mundi, & rector tenebrarum harum; non igitur mortui
qui erant iuſti, ſub Diaboli erat poteſtate. Enimverò,
planè indecens fuiſſet, iuſtos qui in hac vita victores
Diaboli fuerant, poſt mortem ſub Diaboli
poteſtate & imperio conſtitui. Ad hæc, animas iuſtorum
poſt mortem in ſinum Abrahæ non per Dæmones,
ſed per ſanctos Angelos deferri ſolitas, apertè
oſtendit hiſtoria Lazari, quam narrat Lucas cap. 16.
Factum eſt autē (inquit Lucas) *vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Si autem ſanctarum
animarum deductio ad loca inferni non erat in
poteſtate Diaboli, ergo neque earum in locis illis
detentio, ſub Diaboli erat poteſtate. Sed huic ſecundo
tomo Diſputationum noſtrarum in Euangelium
Ioannis finem hoc loco ponere viſum nobis eſt.

Auctor ipſe huius operis ſecundum hunc Tomum ſuum miſit Lugdunum, Horatij Cardonij typis excudendum, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quarto, & ab ortu Domini 1609.

INDEX

INDEX
RERVM MAXIME
ILLVSTRIVM QVAE HOC volumine tractantur.

A

ABAILARDI error confutatus à ſancto Bernardo, 441.
Accumbere, recumbere, diſcumbere, 270
Architophel figura Iudæ, 261
Actionum & paſſionum Chriſti finis ſiue fructus, 221
Ænigma quid ſit, 6
Allegoria quid ſit, 6
Amoris perfecti erga aliquem quinque proprietates, 175
Angeli ſunt conſerui hominum qui colunt Chriſtum, 174
in Anima noſtra quid ſit caput, manus, pedes, 215
Anticipatione duas ob cauſas vtuntur Auctores, 85
Antiqui qui poſitu corporis agentes conuiuia cubabant in lectis, 274
Antiquitas Chriſti, 209
Apoſtoli quatuor ob cauſas dicuntur præcipuè fuiſſe Chriſti, 173
Apoſtoli præ cęteris ſanctis ſecundum octo res fuere Chriſto propinqui & ſimiles, 174
Apoſtoli quo ordine in vltima Chriſti cœna, 273
an Apoſtoli omnes in tempore paſſionis Chriſti, fidem amiſerint omnes, 319
Apoſtolorum vexatio cur aſſimiletur cribrationi tritici, 315
Apoſtolos cur pecunias habere noluerit Chriſtus, 150
Argenteus quanti ponderis & pretij fuerit, 232
Argumenta quinque eorum qui putarũt diuerſas fuiſſe Chriſti vnctiones, & à diuerſis mulieribus factas, 104
Argumentis quinque probatur vnam & vnius mulieris fuiſſe vnctionem, quæ narratur à tribus Euangeliſtis, 105 106
Argumentis duobus probatur Magdalenas fuiſſe diuerſas mulieres. 113. ſoluuntur hæc Argumenta, 115
Argumentis pluribus probatur vnicam fuiſſe Magdalenam, 120
Argumentis pluribus probatur Magdalenam quæ plorabat ad ſepulcrum Domini, & illam olim dæmoniacam fuiſſe Mariam ſororem Marthæ, 123
Ariani mente cæciores Iudæis, 58
Ariani quo nam modo duobus Scripturę teſtimonijs abuterentur. *ibid.* & ſeq.
Arianorum interpretatio refellitur illorum Domini verborum, Ego & Pater vnum ſumus, 56 & ſeq.
Auctorum variorum opiniones ſcientium & negantium, Marias fuiſſe

Digitized by Google

diuerſas mulieres. 74.77
quas res Apoſtoli Eccleſiæ tradiderint, quæ non ſunt in ſactis ſcripturis expreſſæ. 414

B

Baptiſmi virtus. 216
Baptizatorum omnium lauabantur olim pedes in Eccleſia, 216
Cur mos ille non ſeruaretur in Eccleſia Rom. ibid.
in quo principaliter ſit virtus Baptiſmi ſecũdum Auguſtinum, 220
Beatorum ſocietas cæleſtis cur dicatur ciuitas, 332
cur appelletur Regnum, ibid.
Beatorum gloria diſpar. 335
reliqua vide in Gloria Beatorum.
Bona tria magna quæ Spiritus ſanctus tribuit ſeruis ſuis, 381
Buccellã panis, quam Iudas accepit à Chriſto, non fuiſſe ſacram Euchariſtiam. 250

C

Caiphas quomodo dicatur fuiſſe pontifex anni illius, cùm pontificatus duraret vſque ad mortem pontificis, 140
Caiphæ verba de morte Chriſti, an fuerint ab ipſo tantùm, an tantùm à Spiritu ſancto, an ab vtroque, 136
an illa Caiphæ ſententia habuerit duos ſenſus litterales, 137
Caipham, propriè loquendo, non prophetaſſe, nec fuiſſe prophetam, 138
Calendarum feſtum, ſiue Neomeniæ, 42
Caput, manus, pedes, quid ſit in anima noſtra, 215
Cauſa cur olim Eccleſia ieiunare ſoleret in quarta & ſexta feria, 231
Cauſæ quinque, quas veriſimile eſt Iudam prætexuiſſe proditioni Chriſti, 227
Cerinthus & Photinus hæretici quid de Chriſto ſenſerint, 48
Charitas cur dicta ſit à B. Paulo vinculum perfectionis, 299
Charitatis funiculus triplex, 302
Chriſtus, qui eſt Paſtor, quomodo etiam appelletur Oſtium, 8
Chriſtus quale ſit Oſtium, 8
Chriſtus ſeptem modis dedit animam ſuam pro ouibus ſuis, 30
Chriſtus nunquam riſit, ſed ter fleuit, 130
Chriſtus cur vngi voluerit à Magdalena, 148
Chriſtus Apoſtolos ad prædicandũ à ſe miſſos, tres ob cauſas habere pecunias noluit, 150
Chriſtus cur comparetur grano frumenti, 151
Chriſtus cur comparauerit ſe cum grano frumenti potius quàm cum alijs granis, 153
Chriſtus quæ ſigna dederit & in vita & in morte, amoris quo diligebat Apoſtolos, 176
Chriſtus quomodo & vt Deus & vt homo exiuerit à Patre. 201.
an Chriſtus ſtans & accumbẽs menſæ comederit agnũ Paſchalẽ. 204
Chriſtus. *Vide* Filius Dei.
Chriſtus cur ſingulariter orauerit pro Chriſto, 317
Chriſtus quo modo dicatur in Scriptura ex Patre, in Patre, cum Patre, à Patre, pro Patre, ſub Patre, & quodammodo ſine Patre, 359
ante Chriſti aduentum, tria fuiſſe, quæ ſpeciem oſtij habebant. 8
Chriſti cultorum & ſectatorũ qualia ſint paſcua, 13
de diuina Chriſti excellentia vndecim in ſacris litteris tradita. 50
Chriſti mors an neceſſaria fuerit redemptioni generis humani, 156
Chriſti ſumma excellentia quatuor ex rebus cognoſcitur. 199
Chriſti ſcientia. ibid.

poten

potentia, 200
Nobilitas & dignitas, 201.209
Sanctitas, 202.259
humilitas, 206
excellentiæ ſeptem, 209
pulchritudo, ibid.
potentia, 209
maieſtas, ibid.
antiquitas, ibid.
dominatio & imperium, 210
ſapientia, 210
innocentia & ſanctitas, 259
ante Chriſti aduentum tria homines abſterrebant ab acceſſu ad Deum, quæ per Chriſtum ſublata ſunt, 343
Chriſtiani & ſpiritualis viri perfectio, ſex rebus continetur, 382
Chriſti amplum & luculentum encomium, 420
Chriſtianæ legis & religionis & Eccleſiæ duratio vſque in finem ſeculi, 384
Chriſtum animam ſuam poſuiſſe pro ouibus, quàm excellentis, ac perfectæ virtutis fuerit, 30
Præter Chriſtum quomodo alij omnes fuerint fures ouium, 34
Chriſtum eſſe verum Deum, quatuordecim modis ſuis rationibus ex ſcriptura oſtenditur, 51
Chriſtum quatuor modis fuiſſe nobis viam, 338
Chriſtum eſſe viam & veritatem & vitam quomodo interpretati ſint Patres, 339.341
extra Chriſtum quales ſint viæ, 342
per Chriſtum tribus modis ad Patrem perueniri, 342
in Chriſto quid fuerit quòd poſuit animam ſuam, & iterum ſumpſit eam. 31
Chriſto viſo videri etiam Patrem ſex modis poteſt intelligi, 344
Ciuem bonum & innocẽtem occidere pro conſeruationę boni publici an ſit licitum, 132
illud, *Cœna facta*, tripliciter poteſt intelligi apud Ioannem, 192
Cœnam vltimam quo die egerit Chriſtus, 178. & ſeq.
Collegium Apoſtolorum ſi pecunias habebat, cur Apoſtoli miſſi ad prędicandum, pecunias habere prohibiti fuerint, 150
ſub Columbæ figura ſæpe Spiritus ſanctus innotuit hominibus. 373
Columbæ proprietates quatuor, ibid.
Comparatio humilitatis aliorum Sanctorũ cum humilitate Chriſti, 206
Confirmare fratres ſuos, quid ſit, 325
Conuiuarum & lectorum numerus in conuiuiis, 273
Conuiuij locus quomodo appellaretur à Romanis, 267
in Conuiuiis tredecim res & à Romanis & à Iudæis ſeruabantur. 267
Creatura nulla libero arbitrio prædita, naturaliter impeccabilis eſſe poteſt, 384
Creaturæ diuerſitas à Deo cognoſcitur ex nouem rebus, 349

D

Dæmon *Vide in* Diabolus.
Dæmonia illa Magdalenæ fuerunt maligni ſpiritus à quibus corporaliter vexabatur, 102
Dæmonibus poſſidentur homines tribus modis. 103
Damnatis & Reprobis an melius fuiſſet numquam fuiſſe, quàm eſſe damnatos, 243. & ſeq.
an Denuntiatio proditoris à Chriſto ſit facta ante, an poſt inſtitutionem Euchariſtiæ, 247
Deus cur permiſerit B. Petrum labi, 325
Deus Pater quomodo dicatur tradi-

Digitized by Google

diſſe Chriſtum morti, 229
quomodo Deus & diligat omnes, & non diligat omnes. 395
Deus quid agat in hominis animo, cùm ad eum venit. 398
Diabolus an habuerit imperium in omnes mortuos, etiam qui iuſti & ſancti erant, ante Chriſti aduentum. 444. & ſeq.
Diabolus quomodo præcipuè & notabiliter intret corda peccatorum, qui vocantur reprobi & indurati. 252
Diabolus dupliciter intrat in hominem. 252
Diaboli poteſtas in homines duplex. 442
Diabolo non licet vexare ſeruos Dei, niſi quando & quantum permiſerit Deus. 316
Dies venditionis Chriſti an fuerit Martis, an Mercurij. 231
Dierum obſeruatio duplex apud Iudæos. 188
Dignitas miſſionis alicuius perſonæ, ex quinque rebus æſtimatur. 201
Dilectionis mandati quinque genera. 279
Dilectionis Chriſtianæ tres gradus. 279
Dilectionis perfectæ erga proximum, effecta & ſigna quatuor. 285
Dilectionis præceptum cur Dominus appellauerit præceptum ſuum. 288
Dilectionis Dei quintuplex fructus. 394
Dilectionis mandatum. *Vide in* Mãdatum dilectionis.
per Dilectionem & eleemoſynam hominum peccata mundantur. 220
de Dilectione proximi præclara Beati Ioannis ſententia. 289
Diligere proximum ſicut Chriſtus dilexit nos, quid ſit. 277
an quia Diligimus Deum, ideo Deus diligat nos. 394
Diſcipuli quam agni munditiam habuerunt ante paſsionem Domini. 219
Diſcipulorum quis prior à Chriſto lotus. 208
Diſcrimen inter res ſucceſſiuas & permanentes. 193
Diſcumbere, recumbere, accumbere. 270
Diſputatio Abbatis Sereni ſuper tribus modis quibus homines poſſidentur à dæmonibus. 103
Doctrina Chriſti grano frumenti, Doctrina mundi paleæ ſimilis. 152
Dominatio & imperium Chriſti. 210
Domini aduentus ad hominis animam, quantum & quam multiplex bonum ferat. 397
Domini aduentus ad animas noſtras, tres ob cauſas neceſſarius. 299
Dominus. *Vide* Chriſtus.
Domus nomen quid ſignificet in ſermone Domini poſt cœnam. 331
Domus corporalis triplex vtilitas & vſus. 332
Domus cœleſtis fundamentum, parietes & tectum. ibid.

E

Eccleſia cur ſoleret olim ieiunare in quarta & ſexta feria. 231
Eccleſia Chriſti licet per omnem mundum diſperſa ſit, tantáque hominum varietate conſtet, cur tamen vnum dicatur ouile, quinque redduntur cauſæ. 20
Eccleſiæ ſanctæ ſententia, vtrum Mariæ plures fuerint mulieres, an vna tantùm. 73
an Eccleſiæ triumphanti nomen Ouilis propriè conueniat. 21

Digitized by Google

per Eleemoſynam & dilectionem hominum peccata mundantur. 220
Encæniorum feſtum. 39
in vtrius renouationis templi memoriam ageretur. 40
cur vocatum ſit feſtum luminum. 41
Epiſcoporum in ſuis Eccleſiis reſidentia, an ſit iuris diuini. 28
Excellentiæ ſeptem Chriſti. 209
Expiationis feſtum quo die celebtarent Iudæi. 42

F

Faber duplici argumento probat, Magdalenas fuiſſe duas & diuerſas mulieres. 113
Felicitas æterna cur dicatur manſio. 334
Feſtum luminum, quodnam. 41
Feſtum Encæniorum cur vocatum ſit feſtum luminum. ibid.
Feſta duodecim Iudæorum, & eorum ſeptem lege Dei præſcripta. 41
Feſta quinque Iudæorum authoritate Principum & Synagogæ inſtituta. 42
Fides Petri an defecerit cùm negauit Chriſtum. 318
Fides recta & ſincera Chriſti numquam defecit, nec deficiet in Apoſtolica & Rom. ſede. 321
Fidei Chriſti quanta ſit vis & efficacia. 364
Filiatio diuina quo differat ab humana. 49
Filius Dei ter ſurgens inducitur in Scriptura. 204
Filius Dei. *Vide* Chriſtus.
Filij Dei glorioſum glorioſum triplex. 201
Finis ſiue fructus actionum & paſſionum Chriſti quadruplex. 221
Fructus mortis Chriſti, nouem. 159
Frumentum decem modis patitur vt euadat in bonum hominis nutrimentum. 154
Funiculus charitatis triplex. 302
Furis ouium proprietates duæ. 31
per furis ſimilitudinem quid ſignificetur. ibid.

G

Genera ſeptem eorum, quorum poteſtatem Deus Chriſto dedit. 200
Genera tria eorum quæ præcipiuntur homini a Deo. 213
ad Generationem magni alicuius boni non peruenitur niſi per quandam velut corruptionem. 157
Generis humani triplex miſeria in præſenti vita, ſecundum Bernardum. 399
Gloria cœleſtis cur dicatur domus Patris. 333
Gloria Beatorum diſpar. 335
Gloria omnium Beatorum quomodo vt & vna, & multiplex. ibid.
Gloriam omnium Beatorum eſſe vnam ſeptem modis. ibid.
Gloriæ Beatorum diuerſitatis & diſparitatis cauſa. 356
Gradus octo cōſolationis, per quos in animis hominum conſolatio Spiritus ſancti procedere ſolet. 374
primus, in vera peccatorum pœnitentia. ibid.
ſecundus, in remiſſione peccatorum. 375
tertius, conſolationis in rebus aduerſis. ibid.
quartus, in teſtimonio conſcientiæ, quòd ſint filij Dei, & heredes vitæ æternæ. 377
quintus, in donatione gratiarū quæ nominantur gratię gratis datę. 378

ſextus, in quibuſdam ſanctis qui confirmantur in gratia vſque ad finem vitæ, ibid.
ſeptimus, in ſpiritualibus & deliciis quibus animos ſeruorum ſuorum recreat Spiritus ſanctus. 379
octauus, in morte Sanctorum, 380
Grano frumenti cur comparetur Chriſtus, 151
Granum ſingulariter cur dictum ſit, & non pluraliter Grana. 152
Granum cadere in terram quid myſticè ſignificet in Domino, 155

H

Hæreſes quatuor exploſæ his Domini verbis, *Ego & Pater vnum ſumus.* 47
Helenæ Conſtantini matris humilitas, 206
Homo tribus modis per gratiā Dei fieri poteſt impeccabilis, 384
Hominis optima præparatio ad dignè percipiendam Euchariſtiam, 218.
Hominem occidere pro conſeruatione boni publici, an ſit licitum, 132.
Hominum peccata mundari per eleemoſynam & dilectionem, 220.
Homines à Dæmonibus poſſidentur tribus modis, 103
Homouſion vocabulum à Patribus Concilij Niceni introductū, 48
Humilitas Sanctorum comparata cum humilitate Chriſti, 206

I

Ignis triplex ſpecies. 372
Imperium & dominatio Chriſti, 210
Infantes etiam non baptizatos eſſe in poteſtate Diaboli quomodo demonſtret Auguſtinus, 442
Infideles etiam verè dici oues Chriſti triplici nomine. 18
Infremere ſpiritu, quid, 127
Innocentia & ſanctitas Chriſti in tempore paſſionis eius, 259
Inſania eorum qui dixerunt, Iudam de proditione Chriſti eſſe laudandum, 228
Ioannes in ſua hiſtoria Euangelica exactè ordinem temporū & rerum geſtarum ſeruauit, 85
Ioannes an ſciuerit quorſum Chriſtus iſta verba dixiſſet Iudæ, *Quod facis fac citius,* 256
Ioannes quomodo recubuerit in ſinu & ſupra pectus Ieſu, 264
Ioannis mos diligenter diſtinguēdi perſonas de quibus agit. 126
Ioſeph Patriarcha quanti venditus fuerit, 233
Ioſephi lapſus, 233
Iſcariothes nomen quid ſignificet, 226.
Iudas ſimilis Cain, 261
& Achitopheli, ibid.
Iudas in ſuo ſuſpendio non periit, ſed ſuperuixit, & poſtea hydropico morbo laborauit, &c. 263
Iudas quomodo fuerit à Diabolo poſſeſſus, 104
Iudas quo animo prodiderit Chriſtum. 258
Iudas an acceperit Euchariſtiam, 234. 241
Iudas cur Chriſtum tradiderit Iudæis, 227
Iudas quàm malè ſenſerit de miraculis Chriſti, 227
Iudas ſecundum Hieronymum & Cyrillū fuit ex tribu Ephraim, 226
Iudas quando prodiderit Chriſtum Iudæis, 230
Iudas cur non fuerit mundus, 220
Iudæ pœnitentia potuit à triplici cauſa proficiſci, 258
Iudæ cur pecuniæ adminiſtratio cōmiſſa, 149
Iudæ nomen quid ſignificet, 225
Iudam quando cœperit pœnitentia ſui ſceleris, 257

Iudæi

Iudæi dupliciter dies obſeruabant, 188
Iuliæ duæ ob inſignem impudicitiã famoſiſſimæ, 82
rerum à Iuda Machabæo geſtarum quanta fuerit apud Iudæos autoritas & veneratio, 41
Iudæi tempore Chriſti Romanorũ more ſuas agebant cœnas &conuiuia, 266

L

Lacrymarum quinque genera laudata in ſacris literis, 130
Lapſus Lyrani & Ruperti ſuper pretio venditionis Chriſti, 232
Lauandi ſpiritualiter pedes proximi quadruplex modus, 222
Lazari reſuſcitationis miraculum quando factum, 70
Lex charitatis appellatur lex libertatis quatuor ob cauſas, 296
Lex bona amicitiæ, 396
Legis vocabulum variè in Scriptura vſurpatum, 63
Legis & religionis & Eccleſiæ Chriſtianæ duratio vſque in finem ſæculi, 384
verbum Liberandi cùm tribuitur Chriſto, quid propriè ſignificet, 441
Lingua hominis à Spiritu ſancto erudita, 373
Locus in quo Chriſtus vltimã cœnam paſchalem egit, qualis fuerit, 165
Locus in quo Chriſtus lauit pedes diſcipulorum, ſex ob cauſas admodum celebris, 167
Locus honoratior in conuiuijs,quis eſſet. 272
Lotio pedũ quando facta à Chriſto. 193.
refutatio huius ſententiæ. ibid.
refutatio ſecundæ, 195
tertia probatur Autori, 196
Lotio corporis apud veteres ante conuiuium, 268
Lotionis pedũ virtus mirabilis. 216
S.Ludouici Galliæ Regis humilitas cibos pauperibus, manibus ſuis, porrigentis, 206
Luminum feſtum,quodnam, 41
Lupum cur Dominus inter animalia oibus in feſta potiùs nominauerit in parabola, quàm leonẽ, vel vrſum, 37
per Lupum quid ſignificetur in parabola, 38

M

Rerum à Machabæis geſtarũ quãta fuerit apud Iudæos autoritas & veneratio, 41
Magdalena plorans ad ſepulcrum Domini,& illa olim dæmoniaca, fuit Maria ſoror Marthæ, 123
de vna Magdalena notabilis Hieronymi ſententia, 117
Magdalenæ dæmonia fuerunt maligni ſpiritus à quibus corporaliter vexabatur, 102
Magdalenæ an fuerint duæ, 110
Magdalenam vnicam fuiſſe pluribus argumentis probatur, 120
Magiſter potandi, ſeu Rex vini in conuiuiis Romanorum, 274
Maieſtas Chriſti, 209
Maius vnum alio quot modis dici poſſit, 429
Mandatum de dilectione cur Dominus appellauerit mandatum nouum, 276
Mandatum dilectionis cur à Ioanne dictum fuerit & nouum & nõ nouum, 278
Mandatum dilectionis. *Vide in* Pręceptum dilectionis, 290
Mandata,ſiue ſermones Dei ſeruare,quid, 390
Manifeſtationis Chriſti duplex modus,alter ſpeculatiuus ,alter affe-

ctiuus. 406
Manſiones in domo Patris quomodo paratæ ſint Sanctis, 337
Manus,pedes,caput,quid ſit in anima noſtra, 215
an Maria ſoror Lazari fuerit illa mulier de qua Lucas, 81
Maria ſoror Lazari fuit illa mulier peccatrix quæ vnxit Dominum, 84.87
Maria ſoror Marthæ an fuerit ea ipſa quæ vnxit caput Chriſti, 104
Maria Iacobi & Maria Cleophe fuit eadem mulier ſecundum D. Hieronymum, 112
vtrum Mariæ fuerint diuerſæ mulieres, an vna tantùm mulier, 73
Mariam ſororem Lazari non fuiſſe publicam meretricem, 83
B. Martini humilitas, qui ſeruo ſuo miniſtrabat, 206
Martis an Mercurij fuerit dies venditionis Chriſti, 231
Medicinæ pars triplex, 157
Mercenarius quibus rebus ſimilis ſit & diſſimilis bono Paſtoris, 35
Meſſalina ob inſignem impudicitiam inſignis, 82
Miraculum reſuſcitationis Lazari quam factum, 70
fuiſſe Miraculum illud omnium miraculorum Domini celeberrimũ ob quinque cauſas, 71
Miraculi huius ſex notabiles circũſtantiæ, ibid.
Miracula cur non fiant omni tempore, quatuor redduntur cauſæ, 365
Miſsionis alicuius perſonæ dignitas ex quinque rebus æſtimatur, 201
Modus Redemptionis hominum per mortem Chriſti, quanto fuerit vtilior omni alio modo, 156
Modi ſex quibus dilexit nos Chriſtus, 282
Modis ſiue rationibus quatuordecim oſtenditur Chriſtum eſſe virum Deum, 51
Monarchiarum quatuor viciſſitudo, 158
Mors Chriſti variis nominibus appellata, 170
Mortis Chriſti fructus quinque modis maximus, 159
Mortis Chriſti nomen fructus, 159
Moyſes & Paulus Monachi ſancti & à dæmonibus vexati, 103
Mulier peccatrix an fuerit ea ipſa de qua Dominus eiecit ſeptem dæmonia, 95
Mulier iſta quando fuerit à peccatis & à dæmonibus liberata. 99
Mulieres nobiliſſimæ ob inſignem impudicitiam infames, 82

N

Negatio Petri quoties iterata, 311
Negationis Petri tempus, 309
Negationem Petri quoties prædixerit Chriſtus. 307
Negationem Petri quomodo excuſet Ambroſius, 319
Neomeniæ feſtum, ſiue Calendarum, 42
Neſtorius quid de Chriſto ſenſerit, 49
Nobilitas & dignitas Chriſti, 201. 209

O

Obiectiones contra eos qui tenent plures & diuerſas fuiſſe Magdalenas, 118
Obſeruatio Ruperti ſuper Pſalmo 108. 234
Obſeruatio ſermonum Dei certum eſt ſignum veræ dilectionis Dei. 390
Opiniones variæ aientium & negãtium Marias fuiſſe diuerſas mulieres. 74.77

Oſtiarij nomine quid ſignificetur, 15
Oſtium quid ſignificet, 7. & ſeq.
Oſtij nouem proprietates. 9. & ſeq.
Ouis nomen quomodo conueniat electis, 22
Oues nominatim vocare quid ſit. 26
Oues nominatim vocare quatuor denotat, quæ in bono paſtore eſſe debent, 27
Oues educere quid ſit, 27
Oues Chriſti an poſſint rapi de manu eius, 46
Oues Chriſti duplices, ibid.
Ouium ſex proprietates quas in ſe referunt Iuſti, 23
Ouilis boni ſex proprietates, 17

P

Pacis vox tripliciter interpretata, 417
Pacis Chriſti, & pacis mundi triplex differentia, 417.418
Pacis Chriſti tres effectus, quę ſunt tria magna hominum bona, 419
Pacis mundi quales ſint proprietates & effectus, 421
Pacis encomium, 424
Pacem habere ad Deum, quid ſit, 426
Panis triplex genus, 154
Parabola quid ſit, 5
Parabolæ multiplex ſignificatio, 6
Parabolæ nomen cur tam amplè pateat in Scriptura, ibid.
Paracleti nomen quid ſignificet. ibid.
Paſchæ vocabulum quid propriè ſignificet, 167.168
Paſſionum quæ ſunt in homine tripartita conſideratio, 218
Paſſionum & actionum Chriſti finis ſiue fructus quadruplex, 221
Paſtor bonus animarum ſimilis eſſe debet bono medico corporum. 27
Paſtor quomodo dicatur ante oues ire debere, ibid.
Paſtor duobus modis animam ponit pro ouibus, 29
Paſtor fugit nonnunquam, ſed aliter quàm mercenarius. 36
Paſtoris & boni & mali proprietates quinque, 24
Paſtores in Scriptura laudati, ſex. 25
Paſtores ouium malos quibus Ezechiel coloribus depinxerit, Ibid.
Paſtores alij præter Chriſtum, quorum non ſunt propriæ oues, quomodo non ſint mercenarij, 36
Patinæ Æſopi, 274
Patinæ Vitellij, ibid.
Pater maior me eſt, quomodo ſit intelligendum, 427. 428
Patrem cauſam eſſe Filij quomodo intellexerint Græci Patres, 428
Paulus & Moyſes monachi ſancti & à dæmonibus vexati, 103
Pax vera quid ſit, & quos habeat effectus, 425
Pax vera quantum ſit bonum, ibid.
Pax triplex, 426
Peccata hominũ mundari per eleemoſynam & dilectionem, 220
Peccata proximi tripliciter operiũtur, 298
Pedes, manus, caput, quid ſit in anima noſtra, 215
Pedes ſpiritualiter lauandi quadruplex modus. 212
Pedibus nudis accumbebant in conuiuio Romani, 271
Pentecoſte feſtum quo die celebrarent Iudæi, 42
an Perſeuerantia vſque ad finem

Digitized by Google

in bono, ſit meritis hominum comparabilis: an verò donum ſit Dei planè gratuitum, 401
cur tertia Perſona diuina nominetur Spiritus ſanctus, 409
Petrus recuſans lauari ſibi pedes à Chriſto, quinque peccabat 212
cur Petrus in horto non aduerſus Iudā potius quàm aduerſus Malchum inſurrexerit, 257
Petrus negando Chriſtum an perdiderit Apoſtolici ordinis principatum, 320
Petri fides an defecerit cùm negauit Chriſtum, 318
Petrum fuiſſe primum omnium à Chriſto lotum, ſententia eſt Auguſtini, quæ probatur Autori, 208
Phaſe feſtum, ſiue Paſcha, quo die celebrarent Iudæi, 42
Photinus & Cerinthus hęretici quid de Chriſto ſenſerint, 48
Pœnitentia quando cœperit Iudam, 257
vnde profecta, 258
tres partes illius, 260
peſſima fuit, & maximè deteſtanda, 260
Porticus Salomonis quæ fuerit, & cur ſic appellata, 43
Potentia Chriſti, 200.209
Præceptum dilectionis Dei appellatur primum tres ob cauſas, 290
Præceptum dilectionis Dei appellatur maximum ob ſex cauſas, 291
Præceptum dilectionis dicitur lex regalis quatuor ob cauſas, 295
Pręceptum dilectionis. *Vide in* Mandatum dilectionis.
Pręcepta omnia ordinantur ad charitatem quadrupliciter, 291
Præceptorum Dei genera tria, 213
quædam bona, quædam mala, quædam indifferentia, ibid.
Prædicata vndecim de diuina Chriſti excellentia in ſacris literis tradita, 50
Præparatio quæ ſit optima ad accipiendum Spiritum ſanctum, 369
Probatio multiplex, quòd Iudas acceperit Euchariſtiam, 234
Proprietates amoris perfecti erga aliquem, 175
Prouerbium quid ſit, 5
Proximum diligere debemus ſicut nos ipſos, 282
Purgatio animi triplici affectu vitioſo, quæ eſt optima præparatio hominis ad dignè percipiendam Euchariſtiam, 218
Pulchritudo Chriſti, 209

Q

Quadruplex finis ſine fructus actionum & paſſionum Chriſti, 221
Quadruplex modus lauandi ſpiritualiter pedes proximi, 222
Quæſtio de feſtis à Machabæo inſtituendis, 41
Quæſtio nobilis & accurata de Marijs, vtrum diuerſæ fuerint mulieres, an vna tantùm, 73
Quæſtio, an liceat hominem occidere pro conſeruatione boni publici, 132
obiectio, & eius ſolutio, 134
Quæſtio duplex ſuper illis verbis, *Amen Amen dico vobis* &c. 361
Quadruplex ratio reſpondendi ad priorem quæſtionem, 362
refelluntur hæ reſponſiones, 362. 364
Quęſtio, an quia nos diligimus Deū, ideo Deus diligat nos, 394
Quæſtiones quatuor ſuper ouili Chriſti, 18
Quæſtiones de Iuda tres, 224
Quæſtiones duæ circa mortem Chriſti, 128
ſolutio eorum, 29
Quinque cauſæ, quas veriſimile eſt Iudam prætexuiſſe proditioni Chriſti, 227

Ratio ſeptuplex ob quam aliqui dicuntur eſſe Chriſti. 172.173
Ratio triplex mouens ad diligẽdum Deum. 303
Rationes tres ob quas Iudę pecuniæ adminiſtratio demandata eſt. 149
Rationes. *vide verbo* Argumenta.
Rationibus quatuordecim oſtenditur ex Scriptura, Chriſtum eſſe verum Deum. 51
Recumbere, accumbere, diſcumbere. 270
Regula duplex diligẽdi proximũ. 282
Reprobi & indurati homines quibus nominibus appellari ſoleant in Scriptura. 252
Reprobis & damnatis an melius fuiſſet nunquã fuiſſe, quàm eſſe damnatos. 143.& ſeq.
Res ſucceſſiuæ & permanentes quo differant. 193
Res vna dupliciter eſſe poteſt imago alterius rei. 346
ex Reſurrectionis Domini Euangelica hiſtoria an probari poſſit, Magdalenas de quibus in ea hiſtoria agunt Euangeliſtæ, fuiſſe duas & diuerſas inter ſe mulieres. 113
Rex vini, ſeu Magiſter potandi in Romanorum conuiuiis. 274
Romani Pontificis primatus. 312
Romani antiquitus etiam ſedendo cœnabant. 270
Romani in conuiuiis ex eadem patina comedebant omnes. 274

S

Sabellius hæreticus quid de Chriſto ſenſerit. 48
Sanctitas & innocentia Chriſti in tempore paſſionis eius. 259
Sanctitas Chriſti. 201
Sanctorum humilitas cum humilitate Chriſti comparata. 206
Sapientia Chriſti. 210
Satanas quo modo in Iudam intrauerit. 250.253
Satanas quando primùm introiuerit in Iudam. 254
Scenopegiæ feſtum quo die celebrarent Iudæi. 42
Scientia Chriſti. 199
Scripturæ diuinæ mos diuerſis nominibus appellandi eãdem perſonam in diuerſis locis. 112
Semiramis Aſſyriorum regina ob inſignem impudicitiam notiſſima. 82
Sentẽtia mirabilis Ambroſij & Bernardi de virtute lotionis pedum, 216 confutata. 217
Sententia Chryſoſtomi de mũditia Agni quam habuerunt Apoſtoli ante paſſionem Domini. 219
Sententia notabilis Hieronymi de vna Magdalena. 117
Sẽtentia notabilis Hieronymi quàm malè Iudas ſenſerit de miraculis Chriſti. 227
Sententia Ruperti de Iuda, memorabilis, ſed improbabilis. 240
Sententia eorum qui dixerunt Iudam non accepiſſe ſacram Euchariſtiam. 241
ratio qua formari ſolet iſta Sententia. 242
Sententia Didymi de modo quo ſatanas intrauit in Iudam. 253
Sententia præclara B. Ioannis de dilectione proximi. 289
Sententia eorum qui putauerunt Marias plures vna fuiſſe mulieres. 74
Eorum item qui putauerunt vnam tantũ fuiſſe mulierem. 77
Sereni Abbatis diſputatio ſuper tribus modis quibus homines poſſidentur à dæmonibus. 103
Sermones, ſiue mandata Dei ſeruare, quid. 390
Signa amoris quo Chriſtus diligebat Apoſtolos quæ dederit & in vita & in morte ſua. 176
Simõ Machabæus illuſtris fuit figura tranſitus Chriſti. 171

Simonis nomẽ quid ſignificet. 225
in Sinu alicuius recumbere in conuiuiis, quid ſit. 271
Spiritus ſanctus quatuor modis aperit oſtium Paſtoribus Eccleſiæ. 16
Spiritus diaboli ſeptuplex contrarius ſeptuplici ſpiritui Dei. 101
Spiritus ſanctus quomodo appelletur Aduocatus. 370
quomodo ſit conſolator hominum. 371
Spiritus ſanctus quam vtilitatem & iucũditatem efficiat in hominum animis, ex quinque rerum ſimilitudine oſtenditur. 372
quatuor in homine ſuauiſſimos operatur effectus. 373
Spiritus ſanctus quot modis conſoletur ſeruos Domini. 374.376.380
Spiritus ſanctus quæ bona tribuat ſeruis ſuis. 381
Spiritus ſanctus perpetuò manet in Eccleſia octo modis. 383
Spiritus ſanctus ob octo cauſas nominari poteſt Spiritus veritatis. 385
Spiritus ſanctus an propriè dici queat imago filij Dei. 348
ad Spiritum ſanctum accipiendum quæ ſit optima præparatio. 369
quid ſignificet, Spiritum ſanctum mitti in nomine Chriſti, quatuor modis declaratur. 412
Spiritualis & Chriſtiani viri perfectio ſex rebus continetur. 382
Stater, Secel, & argenteus, eiuſdem erant valoris. 232

T

TEmpli Ieroſolymitani duplex renouatio. 39
Teſtimonia innocentiæ & ſanctitatis Chriſti in tempore paſſionis. 259
Traditio Iudæorum antiqua ſecundum Nicephorum, ſed minimè probabilis. 166
Traditio notabilis quorumdam de Iuda circa panẽ Euchariſticum quem à Chriſto accepit. 238.239
cur mors Chriſti dicatur Tranſitus. 170
Tranſitus Chriſti figura illuſtris fuit Simon Machabæus. 171
quem Tranſitum ſignificet vox Paſcha. 169
Tubarum feſtum quo die celebrarent Iudæi. 42

V

VEnditionis Chriſti pretium. 232
Venti ſimilitudine rectè inſinuatur virtus Spiritus ſancti. 373
Veritatis encomium. 386
Veſtimentum glorioſum filij Dei, triplex. 205
Veſtis mutatio ante cõuiuium apud veteres. 269
Via fuit nobis Chriſtus quatuor modis. 338
qualis ſit Via Chriſtus, declaratur eo quod ſequitur, *veritas & vita*. ibid.
Via & terminus viæ quomodo ſit Chriſtus. 339
Viri etiam iuſtiſſimi, & diu multumque in ſeruitute exercitati, vnde accidat vt gratia Dei excidant. 402
Vitæ noſtræ præſentis, & illius vitæ quæ futura eſt in cœlis, differentia inſignis. 334
quæ Vitia regnent in mundo. 388
vocis illius *Vobiſcum* probabilior interpretatio. 384
Voluptatum ſpiritualium, quibus ſeruos ſuos afficit Spiritus ſanctus, triplex modus & genus. 379
Vnctio Chriſti, actus & opus vſquequaque decens & laudabile. 145
fuit omni ex parte non ſolùm inculpabilis, ſed etiam laudabilis. 146
Vnctio ante conuiuium apud veteres. 268
Vnctiones Chriſti an fuerint diuerſæ & à diuerſis mulieribus factæ. 104. 105. 106

FINIS.

251.341
LAS 2211438

11
D
25

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google